
FIRPO

3295

BIBLIOTECA NAZIONALE
TORINO



chi l'a pi 'd fil farà pi 'd teila

Ex libris

LUIGI FIRPO

26. 14. 11.

HISTORIA UNIVER-SALIS.

Sublimis ac perennis
FAMA

Sub

LEOPOLDO,

Summo velut Magiſtro,

Auguſtas vexillationes, tubâ *directâ,*

ad notum Aquilæ *nutum,*

ſuperiùs *regens*

ſilet, *admiratione* ſuſpenſa;

dum gratæ inferiùs *collocutioni*

aures per auras præbet.

HISTORIA & BELLONA & EUTERPE,

inter tot rudia lapidum rudera,

non lapides *loquuntur;*

nec lapidi *dicunt, quod dicunt:*

Bellona *bella memorat*, Euterpe *monet*,

Hiſtoria *ut artes inſerat* volumini.

En, haſta *fortes denotat, doctos* chelys!

A tergo Illarum

canus, incurvus, tremulus Temporis *ſenex*

(*nam quid decrepito cum* Venerum triga?)

in falcem *pariter ac* numos *pronus,*

promusq́; tibi, nec ſibi, prodeſt,

LECTOR!


C.A. Ruperti
HISTORIAE
UNIVERSALIS,
ex
quitate Añalium,
Fastorum,
dum Numorumq;
eruta;
et
lucem prolata
à
Arnold.
G. Strauch inv.
CAES

CHRIST. ADAMI RUPERTI,

Wertheimenſis Franci, in incluta Altdorphina quondam Hiſt. Prof. celeberrimi

OBSERVATIONES

AD

HISTORIÆ UNIVERSALIS

Synopſin Beſoldianam minorem.

Quas

CHRISTOPHORUS ARNOLDUS,

in Æde Mariana V. D. M. & Eloq. Poëſ. ac Græcæ Ling. P. P. recenſuit;

& ad hæc uſq; tempora ſcripſit

Supplementum.

His acceſſerunt

Tabulæ Chronologicæ,

unà cum neceſſario *Indice.*

NORIBERGÆ

Typis & Sumptibus MICHAELIS ENDTERI,

A. C. cIɔ. Iɔ. c. LIX.

NOBILISSIMO, STRENUISSIMO, PRUDENTISSIMOQUE VIRO,

DN. JODOCO CHRISTOPHORO KRESS A KRESSENSTEIN, &c. JOD. CHR. F.

FLORENTISSIMÆ REIPUB. NORIBERGENSIS SENATORI DIGNISSIMO,

FAUTORI OPTIMO,

Chriſtophorus Arnoldus
S. P. D.

NOBILISSIME AC STRENUISSIME DOMINE!

E*St*, ut dixit (1) Joh. Sareſberienſis, *in quavis profeſſione invenire militē glorioſum, qui obſequiis & muneribus ſuam Thaidem, id eſt, nomen celebre, & quaſi famæ gratiam captat. Sed & ei nec Gnatho, qui decipiat; nec Phædria, qui laudem præripiat; nec, qui dona corrumpat, adoleſcens; aut ſervus Parmeno, qui deſipientem irrideat, deeſt.* Iſti nempe dant operam, ut cum ra-

(1) *lib. IV. de Nug. Curial. c. 3.*

tione

tione inſaniant; dum illuſtrium virorum *nomina* rapere, & *ludificando* clepere haud erubeſcunt: neque enim in verecundia habent, quod inquinent.

Tantum verò abeſt, NOBILISSIME DOMINE, ut hæc eadem meæ rationis regio ſit & via; ut illorum potiùs hominum ſectam atque inſtituta perſequar, qui alienæ uſuram gloriæ turpem & indignam putant. Lucubrationes hæ meæ non ſunt (nam meas ſcriptiunculas, quarum me pretium non latet, conſpectu Tuo indignas judico) ſed Illius, cui pleraq; omnia veterum literarum quæſita evigilataq;

erant: Nulli tamen malui hunc RUPERTI P. M. laborē, quàm Ampliſſimo Nomini Tuo dedicatum. Quod meum factum ut in meliorem partem accipias, ea, qua par eſt, reverentia & humilitate oro atq; obſecro.

Sed quæres fortè, quid ſit, quamobrem felici Præſtrenuæ Nobilitatis Tuæ nomine illas inſignierim? Cui potiùs, quæſo, dicarem, quàm celeberrimi Auctoris Contubernali olim dilectiſſimo, auditori aſſectatorique diligentiſſimo? Laudarem hîc exquiſitiſſimis, ſi opus eſſet, verbis mutuam fidem atque amicitiam Veſtram; quam inter

ter voſmet ipſos coluiſtis, eamque benè firmam habuiſtis. Nec illud ſilentio tranſmittendum, Te amore literarū MSS[tis] quibusdam Rupertianis nos mirum in modum juviſſe; quibus aliàs haud ſine gravi carendum eſſet jactura. Cæterum quoties mihi in mentem venit (venit autem quotidiè) amicitias nos ac ſtudia *Lugduni Batavorum* conglutinaſſe, familiaritatem Tuam penitùs me intraſſe; animo non mediocrem capio voluptatem. Adhæc das mihi jucundas recordationes conſcientiæ ac ſalutis meæ, cum apud me repeto, quod ſæpè facio, quantum Tibi inprimis,

ME-

MECOENAS OPTIME, Tuisq; propter magna officia debeam; quantum propter ea, quæ mihi hodieque præſtatis, infantiam meam ſtatim ſentio; qui nullam poſſum inire rationem declarandi KRESSIIS, ſicut optarem, quantis me ILLIS agnoſcam eſſe devinctum beneficiis. Capitolina certè Tabula tot ingentibus benefactis palàm exhibendis haud ſufficeret. Hoc ego ut agnoſco ſincerè, ita libenter pro eo ac debeo, & ingenuè apud omnes profiteor; neq; recuſo, qui tot tantisq; in me beneficiis ſum devinctus, & uſu & mancipio eſſe KRESSIORUM.

Eccui

Eccui potiùs Hiſtoriam nuncuparem, quàm inter Patres lecto; qui ſimul conſilio ac ſapientia regit ac gubernat Rempublicam? Hiſtoria enim nonne *lux veritatis*(2) & *magiſtra vitæ* eſt? Dicat pro me princeps (3) Philoſophorum: *Utiles* πρὸς τὰς πολιτικὰς συμβουλὰς, *ad publicas deliberationes, rerum geſtarum hiſtoriæ*. Nec temerè Polybius *veriſsimam* (Livii verbis) *diſciplinam exercitationemq́;* πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, *ad res civiles, hiſtoriã eſſe* dixit. Hanc ipſam, VIR PRUDENTISSIME, ſummo ſtudio curaq́; didiciſti; hanc ab adoleſcentia pulcherrimè à ſapientiſſimis

(2) *Cic. lib. II. de Orat. c. 9.*
(3) *Ariſt. lib. I. Rhet. c. 5.*

imis viris traditam memoria & ſcientia comprehendiſti; & huic tamen exquiſitiùs adhuc ſtudes, ut infinita KRESSIORUM in Remp. merita adæques, augeas, ſuperes. Ut, inquam, beatiſſimi Soceri Tui, DN. CHRISTOPHORI FURERI (quam ipſam familiam vel nominaſſe, ſit cauſam viciſſe!) *Duumviri & Caſtellani quondam Eminentiſſimi*, recentia virtutum laudumq; veſtigia pede fauſto perſequaris: ILLIUS enim imaginem cives non in tabella, ſed in pectore adhuc geſtant. Salvo FURERO nil metuebant, quàm cœli ruinam! Quid, quod MAGNI-

FICI

FICI DOMINI PARENTIS (quem Deus ſervaſſit ſemper!) in graviſſimis admirandæ hujus Reipub. negotiis pariter ac comitiis difficillimis compluries LEGATI feliciſſimi, hoc tempore circumſpectiſſimi & prudentiſſimi SEPTEMVIRI, ſumma laus & gloria, magnis periculis, magnis laboribus parta, animum filii, patre dignisſimi, ſenſim ac leniter accendit? Vir enim conſummatisſimus, perfectæ eruditionis, cumulatæq; prudentiæ, res geſtas legere nondum adſpernatur; ſed veteres crebrò reguſtare hiſtorias, novas curiosè atq; contentè lectitare ultrà

digna-

dignatur. Hinc magnus honos ac favor ille Principum, Regum, Induperatorum!

Quapropter Tibi gratulor, NOBILISSIME AC STRENUISSIME DOMINE, velut patri feliciſſimo de filiis; avo digniſſimo de nepotibus; utrique de poſteris; toti denique patriæ de æterna poſteritate Veſtra. Sic erunt (ceu ſpes eſt) quibus & poſteri mei, majorum ſuorum nomine, beneficia laudare, & gratias agere porrò pergant. Nonne fato (cujus arcana quædam vis eſt) & ſorte naſcendi, ſub LEOPOLDO, PIO, FELICI, AUGUSTO, liberos

liberos tollere libet, immò expedit? Magnum hoc eſt educandi incitamentum, tollere filios in ſpem libertatis, in ſpem nobilitatis, ac præmiorum: Sic neminem (opinor) poſterorum, neminem ſui parentumvè pœnitebit!

Eſt apud Perſas (4) ſingularis quædam & optimi ominis avis, *Huma*; quod AQUILÆ genus in aëre degere dicitur, & in eo ova, pulloſq; ſuos excludere: Omnium verò avium (5) cenſetur *præſtantiſſima*, quoniam veſcitur oſſibus; cæteraque *animantia non dilaniat.* Dein hæc illi virtus tribuitur, *ut il-*

(4) *Gentius in not. ad Roſar. Polit Sadi ad pag. 47. fol. 552.*
(5) *Idem ad pag 81. fol 554.*

le, quem volans UMBRA *ſua contigerit, aut ad regium, aut ad ſummæ opulentiæ faſtigium evehatur:* Quemadmodum noctua è contrario omnia ſiniſtra, & præcipites rerum humanarum caſus, portendere ſolet. Unde ſapientiſſimus Perſarum (6) *Musladinus Sadus:*

Nemo mortalium ſub noctuæ *patrocinium conceſſerit,*
Etſi Aquila *in orbe terrarum non exſtiterit!*

Exſtat autem AQUILA in orbe Romano, exſtat in urbe Noriberga; Cujus *umbram* Sacroſancti Imperii cives ſibi ſuisque vel ſolo *nutu* auſpicatisſimam venerantur, admi-

(6) *Muſl. Sadus in Roſ. Pol. cap. I. fol. 47.*

admiranturq;. Verbo dicam Arabum: *Rex umbra* (7) *DEI eſt*; Vel etiam Perſarum: *Umbra ſummi Numinis in terra*! ſub qua labor omnis Hiſtoricorum nunc requieſcit, velut robur animis calamisque in hoc ſimentium; ut in ſcribendo pleni virium, & virtute cæteris prævalentes, tractu æquali & uno tenore cum AQUILA VOLANTE alacriùs procedant; vel ſi poſteriores fuerint (ceu facilè conjicimus) *priſcæ* AUSTRIACORUM *virtutis σκιογραφίαν* ſaltim, ſed undiq; aptam atq; perfectam præſtent: Haud enim exiguæ molis eſt, quaſi formam AU-

(7) *Gent. l. c. ad pag. 11. fol. 540.*

GUSTISSIMÆ AUSTRIACORUM DOMUS verbis exprimere, aut oratione res geſtas deinceps includere; cùm non falsò putàrit FRIDERICUS IV. CÆSAR, juxta *vocales quinq;* ſymbolicas: AUSTRIACI ERUNT IMPERATORES ORBIS ULTIMI!

De *priſca virtute* quid dicam? Obſtupui, cùm Majores legenti mihi demonſtravit Vir ſummus (& cujus laus major eſt, quàm ut manu mea attentari debeat) *D. Joan. Guilelmus Mannagetta,* Archiater Imperatoris Gravisſimus, in Oratione ſua ad FERDINAN-

DUM

DUM IV. Auguſtum Romanorum Regem, Viennæ Auſtriæ A. C. cIↄ. Iↄ. c. LIV. dicta; quam *Coronæ duodecim Cæſarum ex Auguſtiſſima Domo Auſtriaca* præmiſit. Ibi inter alia: *Plinius libri ſeptimi cap. 41. de ſumma felicitate inſcripſit, in quo velut miraculum quoddam: Vna, inquit, familia Fabiorum, in qua III. continui Principes Senatus. Quid hodiè diceret, ſi videret, non jam tres ex una familia Auſtriadum; ſed* quatuordecim *Auguſtos Orbis* Monarchas, *&* *continua ſerie* undenos? *Dedit miraculorum perpetratrix Auſtria, ab anno nati Redemtoris ſexcenteſimo*

decimo tertio, per Sigebertum Habſpurgicæ Domus conditorem, orbis bono, Tuæ gloriæ Heroas ducentos nonaginta octo: *Heroinas* centum ſeptuaginta tres. *Ex his* Auguſtos XIV. *Imò ſi* tres *adnumeremus, ex Habſpurgico ſanguine ante Rudolphum primum creatos, & reliquos* decem, *Eidem affinitate ac ſanguine junctos; jam gloriabitur* Romanis Regibus viginti ſeptem. *Dedit Auſtria Thaumaturga præter Cæſares orbi* Reges XII. Reginas XXXVIII. Regum & Reginarum Genetrices XXVI. *Verbo dicam, ſupra* ducentas quadraginta Coronas *dominatrici Majeſtatis*

tis Tuæ Domui vindicavit. Et poſt nonnulla ibidem: *Omnes miraculosè ſuperat feliciſſima Archiducum Auſtriæ propago, in hac Auguſtiſſima Majeſtate familias omnes, quæ à condito Imperio ejus gubernacula tractarunt, longè antecellens. Siquidem ultra* ducentos & ſexaginta annos, *atq; ex iis* ducentos & ſedecim continuos, *Orbi Chriſtiano divinitùs præeſt. Ita ut omnibus omnium gentium ac ætatum clariſſimis familiis, magnitudine ſui ſplendoris, caliginem induxerit.*

Hæc dum conſidero, non poſſum non toto pectore Familiæ cœ-

litùs orbi datæ auſpicatisſima quæque ominari; ſatis habens, & hoc contentus uno, quod Univerſalem Hiſtoriam uſque ad LEOPOLDUM (cui mens gratabunda: FELICITER, QUOD AGIS!) licet diſpari filo, deduxi. Quod ſi unus & item alter de hac ſcriptione mea ſecus cenſeat, ſuccenſeatve; ſciat velim, me talium favorem ne teruncio quidem redimere; quia ſemel amiſſus ſemper eſt redimendus: *At foro iſto* (Sareſberienſi iterum judice) *nihil iniquius eſt, quo rem ſemel emiſſe non proderit; niſi ſemper ematur: & ubi quisq; rem ab alio venditam vendicat, niſi & ipſi*

ipſi de pretio ſatisfiat. Hos igitur nil moror: Tua æquitas, PRUDENTISSIME DOMINE, mihi patrocinabitur; quam judicio iſtorum antepono, haud immemor illius: *Se 'l Sol mi ſplende, non curo la Luna!* Accipe à me non meum quidem munus, verùm amoris in Te maximi teſtimonium fidelisſimum: Tibi enim, ſecundum Deum, ſalus à me mea accepta fertur. Benè vale, & me, ut ſoles, ama!

Noribergæ, in ante d. 3. m. MartI. (*quo Rupertus fuit ſepultus*) A. C. cIↃ. IↃ. c. LIX.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

A*Ccipe laborem* R*UPER*-T*I* ultimum, *Erudite Le-ctor, ſecunda cura retra-ctatum d. 17. Jul. A. C. 1645. quem abſolvit feli-citer d. 25. Febr. A. C. 1646. Maximè hunc librum laudibus celebrare, quid at-tinet?* circumſpectus *Lector de me fal-ſam opinionem fortaſſe acciperet, ac ſi eundem in* cœcorum *numero putarem; quibus graphicè id plerumq; depingitur, quod non vident; nec viſuri ſunt un-quam. Nunc enim in memoriam redit ſuavis quædam hiſtoriola, quam Arabes tradunt: Patrem quendam* filiam *ha-buiſſe valdè* deformem, *adeò ut eam*

cœco

cœco *cuipiam in matrimonium dare coactus fuerit. Hæc aliquando marito ſuo inquit*: Mi vir, ô, ſi tu nunc uſum oculorum haberes, ut me vel ſemel contemplari poſſes! tum demum conſpiceres vultum meum plenilunii inſtar ſplendidiſſimum, collum meum argenti inſtar nitidum, genas meas ut aurum coruſcantes, mentum ut roſam, labia uti rubinum, dentes ut uniones, linguam uti corallium. *Ad hæc maritus*: Quamvis ego, ô mulier, non oculorum quidem, ſed recti tamen judicii uſum habeo; quod equidem hoc mihi perſuaſum it, ſi tu ea pulchritudine fuiſſes, qua te nunc mihi non videnti jactas, non te mihi cœco nuptum dediſſet pater. *Oculatos igitur & perſpicaces volo, ut faciliùs de illo exiſtimare poſſint.*

Nonnulli de vera Auctoris eruditione

fruſtrà

fruſtrà (ceu ſolent) ſoliciti, nimis profe-ctò pueriliter ac petulanter de ea affir-mare, haud erubeſcunt, Rupertum ſyllo-giſmo, ritu Sophorum, uti non ſciviſſe. Sciant itaque iſti (qui omnia ſe ſimu-lant ſcire, *ait Plautinus ille Megaroni-des,* nec quicquam ſciunt) *non paucas hujuſcemodi ratiocinationes in hoc ipſo opere hiſtorico-chronologico legentibus hinc inde ſuccurrere; quas ſaniorum in-geniis committo, & ad horum judicia re-fero; non vehementer de eo laborans, quid ſtultus alieni artificii exiſtimator præfractè judicet.*

De cætero ſi quod σφάλμα *vides, quod turpe ſit, ne, quæſo, auctori adſciſcas er-rorem iſtum; qui longè perfectiorem hunc librum ſuo nomine divulgaſſet, ſi quidem vita ſuppetiiſſet. Sed fati neceſ-ſitate, & febris malignitate ſubitò cor-reptus d. 27. Febr. A. C. 1647. anno æ-*

tatis

tatis XXXV. profeſſionis IX. (haud ſine magna lugentium ægritudine, omniumq́; lamentatione) in Academia finem vitæ, non ita creditus, implevit. Hujus equidem operis difficillimi editionem recuſavi tamdiu; dum amici precibus ſuis me vincerent, mihiq́; perſuaderent, ut reip. literariæ commodarem. Quodſi quibuſdam minus fortè arriſerit alia atque alia nominum propriorum ſcriptio, veniam dandam putem & veteribus & novis Scriptoribus; quos difficiliùs inter ſe conciliaveris, quàm disjunctiſſima Pariſiis, Romæ, Amſtelodami, Madriti, Londini ac Noribergæ horologia. Variæ interim ſcriptionis exempla ſi deſideras, hæc habe: Maſaniſſa, Maſſaniſa, Maſſaniſſa, Maſiniſſa; Ricimer, Ricymer; Ricomer, Richomer, Richomerꝰ; Stilico, Stilicho, Stillico; Plinta, Plenta, Plentha; Athanaricus, Athalaricus, Athal-

Athalricus; Theodatus, Theodahatus, Theodahadus, Theodahaldus; Odoacer, Odouacer; Maſcizel, Maſcezel; Gizerichus, Geizerichus; Artavaſtes, Artabaſtus, Artabasdus; Siffridus, Seifridus; Azumitæ, Axumitæ; Alamani, Alamanni, Alemanni; Goti, Gothi, Gotti, Gotthi; Viſigothi, Vuiſegothi, Veſegothi, Veſegothæ; Amalaſuenta, Amalaſuentha, Amalaſventa, Mathaſuentha, &c.

Ad ultimum de Synopſi minore Beſoldi *admonendus eſt Lector humanus, eam ſecundum* editionem Argentinenſem A. C. 1626. *fuiſſe recuſam.* Tabulas *verò* Chronologicas (*ne furtum feciſſe videamur*) Dn. Chriſtophoro Schradero, *ex eloquentia, variaq́; doctrina nobili & claro in Iulia Viro grati debemus; quarum cùm ſumma apud nos penuria eſſet, commodiore hac forma prælo ſubjicere viſum fuit. His fruere, Lector amice, boniq́; conſule.*

Si ju-

SI juvat Hiſtoriā pernoſcere totius orbis,
& celebratorū res penetrare Virûm:
adſis; atque peregrinare per huncce libellum:
non ullum tibi iter tutius eſſe poteſt.
Hîc mores hominum, bona pravaq; facta tueri,
& quæ vitanda, aut ſint imitanda, licet.
Utere RUPERTO doctore. Fideliter ille,
à motu, ad metam ducet honorificam.

Memoriæ Viri præclariſſimi P.

JOHANNES MICHAEL DILHERRUS, P. & P.P.

MAximus Tyrius: *Nihil eſt jucundius, quàm in Hiſtoria verſari; quàm ſine labore ullo paſſim divagari; omnes ſimul locos intueri; omnibus bellis ſine periculo intereſſe; infinitum temporis ſpatium contrahere; infinitas res geſtas ſimul cognoſcere; quæ ab Aſſyriis, quæ ab Ægyptiis, quæ à Perſis, quæ à Medis, quæ à Græcis facta ſunt: bello nunc terreſtri, nunc marino, nunc concionis mediæ conſiliis intereſſe: cum Themiſtocle in mari, cum Leonide*

nide in terra pugnare, cum Ageſilao trajicere, cum Xenophonte incolumem redire, amare cum Panthea, venari cum Cyro, regnare cum Cyaxari. Quod ſi ſapiens ea de cauſa Ulyſſes dicitur, quòd

Multorum mores hominum luſtraſſet, & urbes:

multò ſapientior eſt, qui, extra periculum, Hiſtoriæ lectione ſe explet. Charybdin videbit; ſed ſine naufragio: Syrenas audiet; ſed ſine vinculis: cum Cyclope aget; ſed miti & pacato. Et ſi eo nomine felix fuiſſe Perſeus judicatur, quòd paſſim alarum vagaretur beneficio, totam terræ naturam, omnia intueretur loca: multò & levior certè & ſublimior, his Perſei alis, habenda eſt Hiſtoria; quæ paſſim animum circumfert noſtrum. Diſſertatione XII.

CHRIST. BESOLDI JC.

SYNOPSIS MINOR

Rerum ab orbe condito geſtarum.

INTRODUCTIO IN HISTORIAM.

Cap. I.

De Statu rerum humanarum ante Monarchias.

Hiſtoria, temporum teſtis: Dum totius humanæ vitæ periodum ob oculos ponit, Mundi vanitatem, Deiq; providentiam & Judicia juſta docet.

Tractat res geſtas ante & ſub quatuor Monarchiis.

Adam primus homo, ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditus (de terræ nempè limo ab ipſo Deo formatus, vitæq; ſpiraculo animatus) in Paradiſum voluptatis collocatus: Eiq;, ſolatii & propagationis gratiâ, Eva, ex coſta ipſius formata, conjuncta fuit. Verùm in tanta felicitate & perfectione non diu perſtiterunt. Etenim paulò pòſt ob inobedientiam ejecti inde ſunt ambo.

Filii eorundem recitantur Cain, Abel, Seth. Quorum Cain, primus parricida, pium Abelem ex odio & invidia interfecit.

Adam noningentos & triginta annos natus, mortuus eſt. Cujus filius Seth, poſtquam Enos genuiſſet, noningentos & duodecim annos natus, naturæ conceſſit.

Enos attigit annum noningenteſimum & quintum. Reliquit filium Kenan, qui noningenteſimo & decimo ætatis anno vitam cum morte mutavit.

Hujus progenies Mahalaleel vixit octingentos & nonaginta quinq; annos.

Filius ejus Jared ſuperavit noningenteſimum & ſexageſimum ſecundum annũ.

Cujus filius Henoch, poſtquam Methuſalah procreâſſet, piè & ſanctè vitam egit; ideò vivus in cœlum tranſlatus eſt.

Methuſalah, omnium hominum ætates excedens, obiit anno ætatis ſuæ noningenteſimo ſexageſimo nono.

Filius hujus Lamech anno ſeptingenteſimo ſexageſimo ſeptimo è vita exceſſit.

Noah ejus proles genuit Sem, Cham, Japhet.

Quo tempore Deus ad ſceleſtum hominum

minum genus vindicandum diluvium immiſit, Anno 1657.

Ne autem imago Dei penitùs corrueret, Deus Noah cum ſua familia in arca (in qua anni ſpacium fuit) obſervavit. Atq; hæc ante diluvium contigerunt.

Poſt diluvium Noah filiis ſuis terram colendam diſtribuit: Ab hisq; diſſeminatum eſt omne genus hominum in univerſo Mundo.

Cham verò immemor pœnarum divinarum, non erubuit parentem irridendum fratribus ſuis propinare. Quare maledictionis notâ inſignitus fuit. Primi autem Mundi antiquitates Lambertus Danæus exequutus eſt, quatuor integris libris, jucundâ varietate refertis.

Caput II.

Initia primæ, ſeu Babylonicæ Monarchiæ: Quæ etiam Aſſyriorum & Chaldæorum vocatur.

Ante Diluvium, Imperii cujusdam poteſtate, homines fuiſſe gubernatos, ex Chaldæo paraphraſte liquet: Qui Filios Dei, quorum Geneſ. *cap. 6. v.2.* mentio fit,

Princeps interpretatur; eosq; poſtea Gigantes, id eſt, Tyrannos procreâſſe refert.

Poſt diluvium verò, novorum Gigantum auctor fuit Nimrod, Nohæ pronepos: Ab aliis etiam Saturnus dictus (potens venator coram Domino) in terra Chaldæorum unà cum ſuis confidens, Babel urbem, perpetuum nominis ſui monimentum, ædificare cœpit.

Offenſus autem Deus, irritos fecit illorum conatus, linguarum conturbatione immiſſâ.

Poſthæc Aſſur, Medum, Magogum & Moſcum, Principes Coloniarum huc illuc miſit, qui Regna ſui nominis conderent; Aſſyrium, Medum, Magogum, Moſcum.

Aſſur, teſte Scripturâ Sacrâ, Nineven urbem ædificavit.

Nimrodo ſucceſſit filius Jupiter Belus, qui omnem agrum in Sarmatiam usq; Europæam occupâſſe traditur. Reliquit Ninum.

Caput III.

Continuatio ejusdem primæ Monarchiæ.

NInus productis longè lateq; finibus, Monarchiam primus omnium incepit.

Ab

Ab hocq́;, teſte Oroſio, *lib.2. cap.2.* omnes hiſtoriæ incipiunt: De eoq́; Juſtinus *lib. 1.* tradit, eum veterem & quaſi avitum gentium morem novâ Imperiorum cupiditate mutâſſe.

Tandem ictu ſagittæ interiit, relicto filio impubere Zamei: Quem alii Ninyam vocant.

Ejus igitur uxor Semiramis, ne Regna vi capta deſciſcerent, ſexum virilem mentita, divitiis, victoriis & triumphis nulli mortalium ceſſit.

Æthiopiam devicit: Et in India quoq́; bellum geſſit.

Zameis nihil memorabile fecit. Proximus ab eo Arius, Bactrianos & Gapſios imperio ſuo conjunxit.

Aralius huic ſuccedens, ingenio & ſtudio militari clarus fuiſſe traditur.

Baleus alter ab eo plurimas gentes perdomuit, ſuos fines ad Judæam usque produxit: Ideoq́; Xerxes, hoc eſt, bellator & Triumphator fuit cognominatus.

Armatrites, qui hunc excepit, voluptatibus & otio planè addictus fuit.

Belochus auſpicia & divinationes curâſſe traditur.

 Ba-

Baleus hunc ſequutus, alteram à Semiramide virtutis & induſtriæ militaris laudem habet, atque doctorum hominum ſcriptis valdè celebratus fuiſſe dicitur.

Altadas ſtultum eſſe duxit, multis defatigari laboribus & variis implicari curis, amplificandi regni cauſsâ, quia ad nullam hominum utilitatem, ſed ad detrimentum potiùs pertineret.

Monitus belli curam atq; laborem in ſuis iterum excitavit: ejusq; potentia Syriis & Ægyptiis ſuſpecta fuit.

In Mancaleo narrandi argumentum deficit. Sphæri magna fuiſſe virtus atque prudentia dicitur. Mameli nullum facinus commemoratur. Sub Spareto, proditum eſt, paſſim accidiſſe miranda.

Aſcarades omnem Syriam ſuæ ditionis fecit.

Ab hoc deinde viginti Reges ab aliis numerantur ad Sardanapalum trigeſimum octavum Aſſyriorum Regem. Eumq; Vellejus tradit, à Nino & Semiramide, loco tertio & triceſimo (levi numerorum ab aliis, quos ſequimur, variatione) natum: ſic ut ſemper ſucceſſor Regni paterni, filius eſſet.

Fuit

Fuit hic omnium longè effœminatiſſimus, inter mulierculas perpetuò deſidens, colum & lanam tractabat, nemini ſui conſpectum præbens.

Ejus autem præfecti, Belochus Babyloniæ, Arbaces Medorum his rebus abalienati, factâ conjuratione bellum ipſi intulerunt, & eum fugârunt.

Sardanapalus igitur re malè geſtâ, & pyrâ conſtructâ, ſe divitiasq; omnes in ignem abjecit, hoc unico facto virum (ut quidam ait) imitatus Anno à condito Mundo 3148.

Porrò hi duo præfecti Monarchiam pòſt inter ſe patiuntur: Et Belochus quidem Babyloniæ, Arbaces verò Medorum atq; Perſarum Rex factus eſt.

Belochus poſt hanc mutationem, primus Aſſyriorum Rex, Manahen Regem Iſraëlis, vectigalem ſibi fecit.

Ei ſucceſſit Phul Aſſur, qui urbes aliquot Judææ cepit, & populum in Aſſyrios captivum abduxit. Hunc ipſum Achaz, Rex Judæ, ſub quo vixit Eſaias, de auxiliis interpellavit adverſus Regem Syriæ, eique dona miſit.

 Sal-

Salmanaſſar Samariam urbem poſt trium annorum obſidionem cepit: Hoſeam Regem Iſraëlis, unaq; populum abduxit, & per ſuam ditionem illis domicilium attribuit, anno Mundi 3232.

Sennacherib Ezechiam Regem Judæ mulctavit: Deinde cum ingenti exercitu Hieroſolymam obſedit, miſſis legatis populum ad defectionem hortabatur: Regem à Deo auxilium ſperantem irridebat. Quare, Angelo Dei percutiente, deſideravit una nocte ad centum octoginta quinq; millia hominum. Tandem interfectus eſt à filiis ſuis Adramelech & Saraſar, qui, licet fugerent, tamen arma in fratrem Aſſaraddonem parârunt.

Aſſaraddo poſt parentis necem regni occupans, cum fratribus conflictatur.

Merodach autem Babyloniæ præfectus hiſce turbis deſcivit, vicinas gentes partim vi paulatim ad ſe transfert, indicit bellum, & duodecimo Regni ſui anno Aſſaraddone devicto, totum Aſſyriorum Imperium Babyloniis adjunxit. Succeſſit ei filius Benmerodachus, qui Regem Judæ Manaſſem cepit, ſed pôſt humaniter dimiſit.

Se-

Sequitur Nabuchodonoſor I. qui Ægyptiis filium cognominem opponit.

Nabuchodonoſor II. (cognominatus Magnus) à primis annis bellum intulit Ægyptiis, & regionem omnem, quæ eſt indè ab Euphrate usq; ad Peluſium, illis ademit. Jojachim Regem Judæ vectigalem ſibi fecit. Cujus filium Jechoniam octavo Regni ſui anno unà cúm præcipuis ſuis viris & artificibus totius regionis, Babylonem captivos abduxit.

Decimo octavo Regni ſui anno Hieroſolymam per biennium obſeſſum cepit, paulò pòſt diripuit, incendit, muros diruit, potiſſimam populi partem captivam abduxit: Regem Zedekiam exoculavit, filios illius atque proceres interfecit. Anno Mundi 3365.

Ad annum Regni ſui circiter vigeſimum quartum, Ammonitarum & Moabitarum Regibus devictis, exercitum duxit in Ægyptum: Quâ regione totâ occupatâ, Monarchiam verè obtinuit.

Altero Monarchiæ anno ſomnium de ſtatua, cujus Daniel meminit, vidiſſe creditur.

Ma-

Magnitudo ipſius Imperii inde patet, quòd comparatur arbori ad cœlum usque pertingenti, totum terrarum orbem obumbranti, & omne genus volucrum atq; animalium recreanti.

Eſt igitur hæc primæ Monarchiæ ſumma Majeſtas: Quæ ſicut hoc Rege vehementer aucta, & ad ſummum faſtigium educta fuit, ita quoque in ipſius nepotibus deſiit & deleta fuit.

Caput IV.

De primæ Monarchiæ ruina & interitu.

Evilmerodach Nabuchodonoſoris filius regnavit annis triginta.

Aſſur (aliis Regaſſar) tribus annis præfuit.

Labaſſardach ſeptem annorum Rex fuit.

Balthaſar Imperii ſummam obtinuit annis quinq;. Huic Deus calamitatem imminentem denunciavit. Cùm enim genio indulgens, vaſa ſancta in conviviorum uſum adhiberet; manus quædam parieti verba inco-

incognita, quæ à nemine præter Danielem intelligi poterant, inſcripſit.

Paulò pòſt Imperii ſumma, Rege interfecto, ad Darium Medum eſt translata.

Hic Darius vocatur à Scriptoribus Cyaxares, fuitq; filius Aſtyagis.

Qui cùm ſobolem maſculam non haberet, filiam ſuam in matrimonium dedit Cyro Perſæ ſororis filio.

Res autem hujus Monarchiæ, vel ob antiquitatem, vel ob Chronologiæ incertitudinem, in obſcuro pleræq; latent. Res verò Eccleſiæ, & populi Hebræi, præcipuum momentum obtinent in Monarchia hac prima.

CAPUT V.

De ſecundæ, ſeu Perſicæ Monarchiæ initiis.

A morte Darii, ſumma rerum ad Cyrum generum delata fuit. Et hoc quidem eſt alterius Monarchiæ initium. Anno Mundi 3435. Jam enim Aſſyriam, Mediam & Perſiam ſolus Cyrus obtinebat, ad Jonicum usque mare. Prælio cepit Crœſum Lydiæ Regem potentiſſimum: Initio ſui Regni

gni poſt captam Babylonem, populo Judaico permiſit, ut ex captivitate domum reverſi templum ac urbem Hieroſolymam reædificarent: Ad eamq; rem ſumptum liberaliſſimè ſubminiſtrari juſſit. Devictis Babyloniis, bellum geſſit cum Scythis: Eoq; profectus ipſe cum exercitu tandem per inſidias, princeps laudatiſſimus fuit circumventus & interfectus. In eo peccavit, quòd molliter filios inter fœminas educavit. Grandiores enim facti, & ab aſſentatoribus corrupti, cùm ipſorum auribus pleriq; ſervirent, mortuo parente, vitæ periculum alter alteri creârunt.

Caput VI.

De ſecundæ Monarchiæ continuatione.

Cambyſes Darii filius, abſente & occupato patre, cepit Ægyptum. Bello quidem fuit egregius, ſed alioqui vitioſus, & patris virtutem minimè repræſentans. Inter alia turpiter immaniterq; facta, fratrem ſuum Smerdem inſidioſè necari juſſit. Poſt mortem verò patris non diu fuit ſuperſtes. Darius filius Hyſtaſpis ſucceſſit, qui ſtatim

ab

ab initio principatus arma ſumpſit, & Imperio ſuo rurſus illos adjunxit, qui defecerant: Capta quoq; Babylone, poſt longam obſidionem, operâ Zopyri.

Bellum deinde ſuſcepit in Athenienſes, qui ſubitò collectis copiis ingentem illius exercitum ad Marathonem, duce Miltiade, fuderunt.

Xerxes hujus filius, anno decimo poſt prælium illud, ad Marathonem innumerabili cum exercitu venit, ut Græciam omnem ſibi ſubjugaret.

Athenienſes verò, Themiſtoclis conſilio, hoſtem ad Salaminem Inſulam vincunt prælio.

Xerxes turpi & infelici fugâ domum reverſus, re malè geſtâ, cùm in magnũ contemptum veniſſet, à ſuis eſt interfectus.

Artaxerxes Longimanus ejus filius ſucceſſit. Ad hunc Themiſtocles exul profugit, ibiq; vitam finivit. Hunc item multi Aſſuerum, Eſtheræ maritum fuiſſe putant.

Ochus, cognomento Darius Nothus, à Longimano regnavit, qui ſororem illius in matrimonio habuit.

Artaxerxes Mnemon & Cyrus, Darii

filii

filii erant: Quorum ille mortuo parenti ſucceſſit. Cyrus verò Joniam Lydiamq; tenebat; ſed ſorte ſuâ non contentus, fratri Regi intulit bellum (à Xenophonte ſingulari prudentiâ deſcriptum) in eoq; fuit victus & occiſus. Ochus ex tribus natu minimus filius à Mnemone regnavit.

Caput VII.

De ſecundæ Monarchiæ exitiô.

DArius (quem Juſtinus Codomanum vocat) poſtremus Perſiæ Imperator hunc excepit: De cujus ſplendore, delitiis & luxu mira narrant Scriptores. Nam omnis generis coquos, cupedinarios, ſartores, artifices, magiſtrosq; gulæ & unguentarios habebat in caſtris, ne quid ad corporis voluptatem omninò deeſſet. Ei bellum intulit Alexander Philippi Macedonum Regis filius. Qui, Thebis everſis, & pacatâ Græciâ, in Aſiam contendit, & tribus præliis Darium ſuperavit: Captâ illius & matre, & uxore, & filiabus.

Ingentes quidem conditiones, & Regni partem ad Euphratem usq; Alexandro defe-

deferebat: Sed reſpuit, neq; antè deſtitit, quàm illum expugnâſſet.

Tertium itaque bellum Darius inſtaurat, & educto validiſſimo exercitu, rurſus profligatur.

In fuga, cùm aquam turbidam bibiſſet, negabat unquam ſe bibiſſe jucundiùs. Nec enim ſitiens unquam biberat. Trucidatur in fuga à ſuis. Anno Mundi 3642.

Caput VIII.

De tertia Monarchia, Græcorum ſcilicet.

Alexander his tantis victoriis in ſuam ditionem perduxit, quicquid eſt ferè terrarum ad orientem Solem: In Europam ex Aſia transportavit Imperii ſummam; & *tertiam Monarchiam* conſtituit. Pòſt etiam in India belligeravit. Nec præter rem, de eo Juſtinus ſcribit: Incertum eſſe, utrum admirabilius ſit, Alexandrum viciſſe orbẽ, quàm vincere aggreſſum eſſe. Sed ſingularis providentia Dei Alexandrum duxit; indeque, reverenter ſummo Pontifici Judæorum ſupplex factus, Hieroſolymam ingreſſus eſt.

Erat autem Alexander bonarum ar-

tium inprimis amans, & in homines doctos fuit principio liberaliſſimus.

Homeri poëma ſibi familiariſſimum habebat: Ariſtoteli præceptori negocium dedit animalium deſcribendi naturas: Ad eamq; rem aliquot hominum millia per Græciā Aſiamq; conſtituit pecuarios, venatores, piſcatores, cetarios, aucupes, & id genus alios, qui de ſingulis illum docerent.

Sed, quæ hominum eſt infirmitas, tantam fortunæ benignitatem & indulgentiam moderatè ferre non potuit: Et cùm inſolenter multa faceret, ſeq; pro Numine vellet propemodum adorari; Babylonem ubi veniſſet, febri, vel, ùt nonnulli tradunt, veneno fuit extinctus, cùm annorum eſſet triginta trium & annos regnâſſet duodecim.

Memoriâ autem dignum eſt, quod Arrianus refert, Alexandrum, cùm devictis Coſſæis, exercitum Babylonem reduceret; in itinere ei obviam proceſſiſſe Chaldæos vates, nunciantes, ſe noſſe ex Divinatione aſtrorum, Babylone ei periculum mortis imminere. Philoſophos autem (qui ferè Athei & Epicuræi) Alexandro perſuaſiſſe, ut illas non curaret præſagitiones.

Caput IX.

De tertiæ Monarchiæ diviſione.

DIſpar Monarchiæ tertiæ, à ſuperioribus duabus facies cognoſcitur. Etſi enim initium ſumpſit à capite uno; ea tamen avulſo, diſſiliit in diverſa membra.

A morte namq; Alexandri diviſa fuit Imperii moles in proceres: Ptolomæum, Laomedontē, Antigonum, Caſſandrum, Leonatum, Eumenem, Pythonem, Lyſimachum, Antipatrum, Meleagrum, Seleucum. Lyſimachus *ille* eſt, quem Alexander iratus aliquando concluſerat cum Leone: cùm autem interfectam belluam ab eo audiſſet, magno habuit in honore. Inter eos ſucceſſores, eorumq; filios atq; nepotes graviſſima bella fuerunt, quibus vehementer afflictæ regiones, in populi Romani ditionem paulatim venerunt.

In his autem præcipui fuerunt Seleucus Syriæ, Ptolomæus Ægypti, Antigonus Aſiæ minoris, Caſſander Macedonum, Græciæq; deinde Rex factus, oppreſſis omnibus Alexandri propinquis. Quod & prædixerat Daniel cap. 8. verſ. 22. apud quem ideò quatuor cornua tribuuntur.

Cap. X.

De Syriæ Regibus.

SEleuci virtus clara & admirabilis fuit: Babyloniam namq; cepit. Inde, auctis ex victoria viribus, Bactrianos expugnavit. Tranſitum in Indiam fecit. Demetrium ad deditionem coëgit.

Antiochus Soter, hujus filius, in Imperio ſucceſſit.

Antiochus Theos, hunc excipiens, habuit filios Seleucum, Callinicum & Antiochum, cui cognomen fuit Hierax.

Seleucus Callinicus auſpicia regni à parricidio cepit: ipſe, de equo lapſus, mortuus eſt.

Seleucus Ceraunus in expeditione contra Ptolomæum (qui Philopator cognominatur) diem obiit. Antiochus Magnus, hujus frater, in Europam transgreſſus, invadit Ptolomæum Epiphanem. Sed cùm, admodum adoleſcentulus, per ætatem Ægyptios defendere non poterat, ut Regis pueri tutelam Senatus ſuſciperet, Legati Romam ſunt miſſi. Eo facto, Antiocho denunciat Senatus, ut ab Ægypto abſtineat. Offenſus in Græciam cum claſſe trajecit, ſed à Romanis

nis

nis devictus eſt. Poſt acceptam cladem dicere eſt ſolitus, benignè ſibi à populo Romano eſſe factum, quòd, nimis magnâ procuratione liberatus, modicis Regni terminis uteretur.

Seleucus Philopator nihil Principe dignum perfecit.

Antiochus Epiphanes, cùm patrem Antiochum Magnum obiiſſe intelligeret, clàm ex urbe Roma fugiens, Regnum Syriæ, filio Seleuci pulſo, occupavit. Hieroſolymis crudelitatem exercuit.

Libros Moyſis & Prophetarum, undiq; conquiſitos, igne conſumpſit. Ægyptum tutelæ ſpecie tentavit. Sed Cajus Popilius, Romanorum nomine, ipſum virgulâ circumſcribens, clarè juſſit antè reſpondere, quàm excederet. Ita perterrefactus, pacem promiſit: curru tandem prolapſus, magnis cruciatibus mortuus eſt.

Antiochus Eupater, hujus filius, à Demetrio patruo ſuo eſt interfectus.

Alexander, ſortis extremæ Juvenis, nomen & originem (Antiochi enim ſe filium eſt profeſſus) mentiens, à Demetrio interficitur.

Demetrius igitur verus heres erat. Initio enim belli Demetrius Soter duos filios apud Gnidiū hoſpitē cōmendaverat; ut belli periculis eximerentur, &, ſi ita ſors tuliſſet, paternæ ultioni ſervarentur. Ex his major Demetrius Regnū occupat: in ſegnitiē labitur; à fratre, Antiocho Sedete, Regno ejicitur.

Antiochus Sedetes, Tryphonis cujusdam ope, Imperio præeſt.

Trypho interim in Syria tutor Antiocho, Demetrii privigno, ſubſtitutus, occiſo pupillo, Regnum Syriæ invadit: Poſtea expulſus à ſuis occiditur.

Demetrius, Antiocho Sedete fratre deleto, obſidione Parthorum liberatus, & in Regnum reſtitutus, ob intolerabilem crudelitatem rurſus Regno privatur, ab Alexandro oppugnatur. Relictus tandem cum paucis ſervulis, cùm Tyrum, religione templi ſe defenſurus, petiiſſet, navi egrediens, Præfecti juſſu, interficitur.

Alexander Potarcla, negociatoris Ægyptii cujusdam filius, effictâ Regis Antiochi adoptione, Demetrium in ſummas anguſtias redegit. Vincitur à Grypo.

Antiochiam profugit. Ibi, inops pecuniæ, ſacrilegium in Jovis templo patrat.

In

In ſacrilegio deprehenſus,& adGrypum perductus, necatur.

Grypus, Imperio recuperato, inſidiis matris appetitur,quam veneno,quod paraverat ipſi, extinguit. Fratrem Cyziceum ſibi hoſtem excitat,à quo deniq; ſuperatur.

Hi duo bella inter ſe diu geſſerunt, quibus cùm SyriæRegnum eſſet conſumptum, populus externa auxilia imploravit: Donec Cajus Pompejus Romano Imperio eam ſubjiceret.

Caput XI.

De Ægypti Regibus.

PTolomæus, Lagi filius, Ægyptum retinuit. Juſtitiâ & Liberalitate excelluit.

Ptolomæus Philadelphus, admodum laudatus Princeps,pacem coluit,artes liberales excitavit, bibliothecam effecit luculentiſſimam, & Moyſis libros atq; Prophetarum in Græcam linguam juſſit converti.

Ptolomæus Evergetes bello claruit. Ptolomæus Philopator(cui ex facinoris crimine cognomen fuit) parentibus interfectis,Ægyptum occupavit.

Ptolomæus Epiphanes nullo admodum inſigni facinore eſt notus. Pto-

Ptolomæus Philometor ſegnis, quotidianâ luxuriâ marceſcens, Regno pulſus, ad fratrem confugit. Eodem ferè tempore bello Achæos Romani, propter Legatos violatos, adorti ſunt. Ptolomæus Evergetes inceſtis libidinibus, ſtupris, & cædibus fuit infamis.

Ptolomæus Soter crudeliſſimus, Judæam ingreſſus, quicquid mulierum ac infantium offendit, mactari, & militibus in cibum coqui juſſit.

Ptolomæus Alexander, matris crudelitate territus, eam reliquit, periculoſo Regno ſecuram vitam anteponens.

Ptolomæus Auletes cùm regnaret, fructus Ægypti annuos, duodecim millia quingenta talenta fuiſſe, auctores tradunt.

Hic Regno pulſus à Pompejo Conſule, per Aulum Gabinium eſt reductus.

Ptolomæus Dionyſius, hujus filius, ſucceſſit. Cleopatra, ultima Ægypti Regina, luxu diffluens, cœnæ ſplendore, unione mixto, Antonium ſuperavit. Octavius Cleopatram & Antonium ad mortem ſibi ipſis inferendam coëgit: Et Ægyptum (quæ tùm ſola ex Græca Monarchia reſtabat) populi Romani provinciam fecit. CA-

Caput XII.

De Aſiæ minoris Regibus.

ANtigonus, primus Aſiæ Rex, quatuor geſſit bella. Primum cõtra Eumenem, auxilio Antipatri & Ptolomæi. Secundum contra Caſſandrum. Tertium adverſus Ptolomæum & Seleucum. Quartum contra Ptolomæum, Seleucum, Caſſandrum & Lyſimachum: In quo cæſus eſt.

Demetrius, Antigoni ſucceſſor, à Seleuco in fugam vertitur: Tandem cùm poſſet honeſtè mori, turpiter ſe dedere Seleuco maluit.

Caput XIII.

De Macedonum Regibus.

CAſſander, Macedoniæ & Græciæ Rex, multa bella cum finitimis geſſit. Philippus, ejus filius, paucis diebus pòſt interiit. Antigonus, ſeu Antipater, & Alexander, Philippi fratres, bella inter ſe geſturi, à Lyſimacho de concordia monentur. Cauſa belli erat, quòd Antipater matrem ob ſuſpicionem è medio ſuſtulerat.

Alexander igitur necem matris ultu-

tus, bellum movet, & Demetrium in Macedoniam vocat.

Demetrius Alexandrum per inſidias interfecit, occupatoq; Macedoniæ Regno, cædem apud exercitum excuſat.

Pyrrhus, Rex Epiri, Demetrii exercitu corrupto, eum in fugam agit, Regnumq; occupat. Pyrrhus in Italiam veniens bella geſſit cum Romanis.

Cajus Fabricius Luſcinius, ad defectionem à Pyrrho ſollicitatus, ampliſſima illius munera contempſit, & captivum per fugã, qui veneno ſe Regem poſſe tollere confirmârat, remiſit. Omnium primus Pyrrhus elephantos in Lucaniam adduxit.

Lyſimachus, pulſo Pyrrho, Macedoniam occupat. Ptolomæus Ceraunus, Lyſimacho à Seleuco devicto, Seleucum Orco tradit, Macedoniam invadit, favorem ſibi conciliare ſtudet. Meleagrus exiguo tempore Imperio præfuit. Antipater diebus paucis Regnum tenuit. Soſthenes Gallos, victoriâ exultantes, compeſcuit, & Macedoniam ab hoſtili populatione defendit. Antigonus Sonatas Gallos, divitias & elephantes ſuos ipſis monſtrans, ad prædam

inſti-

inſtigat. Demetrius, puer admodum, abſente patre, Regnum amiſſum recipit, & Epiri Regno Alexandrum ſpoliat.

Antigonus, tutor datus, acceptâ in matrimonium pupilli matre, arte fit Rex.

Philippus ſuccedit, quem Dardani, cæteriq; omnes finitimi populi contemptu ætatis aſſiduè laceſſebant. Ille verò & hoſtes ſubmovit, & aliis bellum intulit. Poſtremò Romani ipſum ſuperârunt; qui, ne Senatus injuſſu belligeraret extra Macedoniæ fines, præſcripſerunt.

Perſeus, hujus filius, ſuccedit patri; bellum cum Romanis ſuſcepit. Sed Lucius *Æmilius* Paulus II. Conſul, prælio tandem illum vincit, & unà cum uxore, matre, liberisq; capit, inq; triumpho ducit, undè vocatus eſt Macedonicus. Ab eo tempore Macedonia facta eſt populi Romani provincia.

Caput XIV.

De quarta Monarchia ſub Imperatoribus Romanis.

QUatuor his Regnis Romanæ poteſtati ſubjectis, *Cajus Iulius Cæſar* rerum potitus; bello clarus, doctrinâ inſignis, in urbem

bem redit anno quinto poſt inceptum bellum civile. Cùm de Hiſpania triumphâſſet, Dictatoris nomen, ſibi delatum, perpetuò ſumpſit: Senatum ſuo arbitratu conſtituit, reliquos honores ac publica munera propè ſolus elargitus eſt. *Quartam Romanorum Monarchiam* inchoavit, in odia plurimorum incurrens, quinto pòſt menſe, quàm Romam veniſſet, in curia Pompeji fuit idibus Martiis interfectus ab iis, quos recenti beneficio ſibi devinxerat. Anno Mundi 3928.

Ciceronem quoq; Marcus Antonius Conſul Collega Cæſaris, ut conſcium cædis ad Senatum coarguit, quòd, interfecto Cæſare, ſtatim cruentum altè extollens Marcus Brutus pugionem, ipſum nominatim exclamâſſet, atque ei recuperatam libertatem eſſet gratulatus.

Interfecto Julio Cæſare, Triumviri, Antonius, Octavius, & Lepidus Mutius bellis ſe exercuerunt: donec tandem Marcus Lepidus Triumviratu motus & relegatus, atque Antonius devictus fuerit.

II. Octavius igitur, Antonio ſublato, ſecundus Romanorum Imperator leges civiles,

viles, & pacem toti terrarum orbi reſtituit, ideoq; Jani templum clauſit. Imperii hujus anno trigeſimo nono, Anno Mundi 3970. natus eſt Salvator noſter JESUS CHRISTUS, cùm ante ſeptem annos Herodes, cognomento Magnus, templum Hieroſolymæ dirutum, reædificâſſet magnificentiſſimè.

III. Claudius Tiberius Nero, Liviæ filius, Octavii Auguſti privignus, gener, & filius adoptivus, admodum invitus, ut præ ſe ferebat, & vix tandem exoratus à Senatu, principatum ſuſcepit. Anno Chriſti 15. Initiò nihil ſolus agebat, ſed paulò pòſt totum ſe voluptatibus tradidit. Sub ejus Regno, Chriſtus Salvator noſter crucifixus fuit.

IV. Cajus Cæſar Caligula, parentis optimi Germanici filius peſſimus (Anno Chriſti 38.) infinitam auri vim primo Imperii anno profudit. Regni ipſius anno ſecundo Herodes Antipa in exilium fuit miſſus.

V. Claudius Tiberius Druſus, ejus patruus, Caligulâ necato, ſurrogatus eſt (Anno Chriſti 43.) Britanniam in deditionem recipit. Maxima eo regnante fuit inedia, quam ab Agabo prænunciatam Lucas Evangeliſta commemorat. VI. Do-

VI. Domitius Nero (Anno Chriſti 55.) immanis & efferata bellua, multas provincias defectione amiſit. Hoſtis à Senatu judicatus, ſeipſum interfecit. Eo imperitante, Petrus & Paulus, Romæ, martyrio coronati fuerunt.

VII. Sergius Galba doctrinæ adminiculis ad ſummam dignitatem pervenit.

VIII. Silvius Otho ſplendididis majoribus ortus, ſed omni vitâ turpis fuit.

IX. Aurelius Vitellius Scenicus & Epicuræus Princeps.

X. Flavius Veſpaſianus (Anno Chriſti 70.) multas provincias Romani populi fecit. Hieroſolymam funditùs delevit, adminiſtrante bellum Tito filio. Refertq; Joſephus, fame & gladio periiſſe, undecies centena millia hominum, & centum millia vendita fuiſſe. Ac ſcribit Tacitus, intra urbem tunc concluſa fuiſſe ſexcenta millia hominum: Quot ſcilicet exierant ex Ægypto.

XI. Titus Veſpaſianus (Anno Chriſti 80.) laudatiſſimus Princeps, deliciæ & amor humani generis, quodam die recordatus, ſe nihil alicui præſtitiſſe, dixit: *Amici, diem perdidimus.*

XII. Fla-

XII. Flavius Domitianus (Anno Chriſti 86.) crudelis & avarus: Sub eoq; fuit ſecunda perſecutio Chriſtianorum.

XIII. Nerva Coccejus (Anno Chriſti 97.) primus ex advenis Imperator: Princeps lenis, clemens, liberalitate & magnificentiâ claruit.

XIV. Ulpianus Trajanus, à Nerva Coccejo adoptatus, ac deindè Cæſar factus, Anno Chriſti 99. multos populos Romano Imperio adjunxit, qui tamen pleriq; omnes tandem rebellârunt. Sub hoc tertia fuit perſecutio Chriſtianorum.

XV. Ælius Adrianus, Anno Chriſti 118. Judæam rebellantem domuit. Sub hoc Irenæus & Tertullianus vixerunt. In Chriſtianorũ uſum, templa ſive ſimulachra poni juſſit: ſed prohibitus ab aliquibus fuit, qui dixerunt, ſi id faceret, omnes Deorum templa deſerturos, & Chriſtianam Religionem amplexuros. Lãpridius *in Alexandro Severo.*

XVI. Antoninus Pius ab Adriano convocato Senatui commendabatur, qui póſt eum factus Cæſar, Anno Chriſti 141. pacem coluit, & exteros Reges atque populos tùm humanitate, tùm literis in officio continuit.

Eique

Eiquc Juſtinus Philoſophus librum tradidit pro Chriſtiana Religione conſcriptum, qui adhuc extat.

XVII. Marcus Antoninus, Philoſophus, filius, ſucceſſit, Anno Chriſti 162. Lucium Aurelium Verum ſocium Imperii ſibi ſumpſit, & feliciter imperavit. Sub eo tamen perſequutionis quartæ procella, Polycarpum (qui nonnullos Apoſtolorum Magiſtros habuerat) Juſtinum, aliosque Chriſtianos complures, abſorpſit.

XVIII. Commodus Antoninus, filius, Anno Chr. 182. flagitioſiſſimus in omni genere turpitudinis & crudelitatis vitã degit.

XIX. Ælius Pertinax, mitis & placidus, Anno Chriſti 197. ad Imperium pervenit; primùmq; Grammaticus Profeſſor fuit.

XX. Didius Julianus malis artibus ad Imperium pervenit: Uterq; paucis diebus imperitavit.

XXI. Septimius Severus civile bellum geſſit cum Nigro & Albino. De eoq; Senatus ita judicavit: Illum aut naſci non debuiſſe, aut non mori. Quòd & nimis crudelis, & nimis utilis Reipublicæ videretur. Fuit ſub hoc quinta perſequutio commota in Chriſtianos.

XXII.

XXII. Antoninus Baſſianus, Caracallæ filius, Anno Chriſti 213. fratrem Getam interfecit: Papinianum Jureconſultũ, nolentem defendere parricidiũ, trucidari juſſit.

XXIII. Popilius Macrinus Anno Chr. 218. parùm feliciter pugnavit; non ultrà annum & menſes duos regnavit.

XXIV. Heliogabalus, Baſſiani filius, turpiſſimus & flagitioſiſſimus fuit omnium.

XXV. Alexander Severus, Anno Chriſti 223. vir ſtrenuus, Meſopotamiã recuperavit. Huic erat familiaris Ulpianus Jurecõſultus. A ſuis eſt interfectus (Anno eodem) tumq; Origenes Alexandriæ vivebat.

XXVI. Julius Maximinus Thrax, A. *Chr. 236.* Germaniam invadens, militem reduxit opulentum, à ſuis militibus, unà cum filio quieſcens in tabernaculo, fuit interfectus. Excitata ſub eo eſt perſequutio ſexta Chriſtianorum.

XXVII. Duo Gordiani, Pater & filius, Anno Chriſti 238. vix per unum menſem Imperium tueri potuerunt. Poſt eos Gordianus adoleſcens (majoris illius ex filia nepos) ab exercitu præfectus eſt: Quam rem Senatus habuit ratam, & Pupieno atq; Bal-

bino occiſis, ad eum rerum ſummam detulit: A Philippo eſt interfectus.

XXVIII. Philippus, primus ex Imperatoribus Chriſtianus factus perhibetur, Anno Chriſti 245. Idem ejus exitus fuit, qui Gordiani.

XXIX. Decius à legionibus Illyricis factus Cæſar, aſſentiente poſtea Senatu, A. Chr. 250. in armis promptiſſimus, Chriſtianorum hoſtis acerrimus, & ſeptimam perſequutionem contra Chriſtianos commovit: Mox verò à Gothis, ex inſidiis, unà cum filio eſt interfectus.

Deinde Gallus A. Chr. 252. à legione una, & militum reliquiis Cæſar factus, pacem cum Scythis fecit, populo Romano turpem & ignominioſam. Hinc Scythæ, ferociores facti, aliis multis Romanorum hoſtibus magna perfecturi videbantur, niſi Æmilianus illos fudiſſet. Hac de cauſſa Cæſar fuit ſalutatus à milite. Gallus, eo cognito, profectus, ut obſiſteret, unà cum filio Voluſiano, Imperii ſocio, fuit interfectus. Æmilianus, datis ad Senatum literis, quum Imperator factus eſſet, promiſerat, ſe multa recuperaturum. Interim exercitus alter, qui in Alpibus erat, Valerianum, nobili ge-

nere natum, Cæſarem creat, quod milites Æmiliani audientes, ne turbis implicentur, ſuum Cæſarem interficiunt, & ad Valeriani partes tranſeunt, Anno Chriſti 254.

XXX. Valerianus Cæſar, in bellum Perſicum profectus, culpâ cujusdam ſui Ducis, fuit captus. Sub eo fuit octava perſequutio Chriſtianorum, quæ beatum Cyprianum, Epiſcopum Chartaginenſem (in cujus ſcriptis ſingula propè verba martyrium ſpirant) abſumpſit.

XXXI. Gallienus, filius, ſucceſſit: qui ſe totum voluptatibus dabat, neglectâ Republicâ contemptus, igitur tàm domi, quàm foris interfectus eſt.

XXXII. Flavius Claudius, Anno Chr. 271. omnes, qui ſub Gallieno deſciverant, rurſus debellavit.

XXXIII. Valerius Aurelianus, A. Chr. 271. in Syria provincias, quas Zenobia, fortis & animoſa fœmina, obtinebat, recuperavit. Palmyram civitatem, deficientem poſtea, evertit. Ægyptum & Gallias recepit, pòſt Romæ triumphavit. Perſis bellum illaturus, in itinere à ſuis familiaribus eſt interẽptus. Cùm nonam perſecutionem Chriſtianorum indixiſſet; quæ morte ejus inter-

rupta fuit. Ab ejus interitu fuit interregnum aliquandiu: Tandem ſucceſſit.

XXXIV. Tacitus Anno Chriſti 277. paucorum menſium Imperator. Ab hoc Senatus oraverat, ne moriens filios, ſed ſpectatæ virtutis virum, ſucceſſorem faceret.

XXXV. Valerius Probus, à Tacito electus, à Senatu confirmatus, Galliam recepit, & Francones Germanos multis præliis devicit. Multos populos terruit, & ſubegit. Pacatâ longè lateq;, & florente Republicâ, dixiſſe fertur, brevi futurum, ut legionibus atq; præſidiis nihil eſſet opus, quo dicto milites offenſi, è medio ipſum tollendum judicabant.

XXXVI. Carus Anno Chriſti 280. Sarmatas fregit, inq; Perſas proficiſcens, Meſopotamiã cepit, longiusq; profecturus interiit.

XXXVII. Diocletianus A. Chr. 284. Carinum, Cari filium, debellavit. Collegam aſſumpſit Maximinianum, Ægyptum & Britanniam pacavit: Et ne motus novi, propter ſucceſſionem, excitarentur, Galerium adoptavit. Maximinianus autem Galliam commotam pacavit, & Africam: Conſtantium Chlorum adoptavit. Poſtea uterq;, abdicato magiſtratu, ſuos conſortes Imperio præficiunt.

ciunt. Hoc tempore Romæ fuit Epiſcopus Marcellus, cujus extat decretum: Epiſcopis non licere convocare Synodum, absq; Romanæ ſedis auctoritate: Non licere item damnare ullum Epiſcopum, qui Romam provocârit. Conſtantio mortuo, Galerius (qui à Diocletiano miſſus, Perſarũ Regem Narſem ſuperavit, & totam Aſſyriam domuit) adoptavit Severum & Maximianum. Interea milites prætoriani Maxentium Romæ ſalutant Cæſarem. Interfecto Severo, Maximianus Imperii Collegam aſſumpſit Licinium. Inter hos magni fuerunt motus, ideoq; nobiles Romani Conſtantinum, Conſtantii filium, in Galliis agentẽ, evocant, ut urbem à Tyrannide Maxentii liberet. Fuit autem decima Chriſtianorum perſecutio à Diocletiano A.C. 303. concitata; quæ ſuperioribus omnibus diuturnior atq; immanior fuit. Eaque de re ita Sulpitius ſcribit: Hac tempeſtate omnis ferè ſacro Martyrum cruore orbis infectus eſt; quippe certatim in glorioſa certamina ruebatur, multoque avidiùs tunc Martyria glorioſis mortibus quærebãtur, quàm nunc Epiſcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Nullis unquam bellis mundus magis exhauſtus eſt, neq; majore

unquam triumpho vicimus, quàm cùm decem annorũ ſtragibus vinci non potuimus.

Caput XV.

De Imperatoribus Conſtantinopolitanis, ante avulſum Occidentem.

I. Conſtantinus Magnus cum parte copiarum in Italiam profectus, commiſſo prælio vincit, A. C. 312. cùm paulò antè Chriſtus, per ſomnum ei adparens, juſſiſſet, ut Crucis ſigno pro vexillo in prælio uteretur. Porrò etiam Rerum potitus, & veram amplexus religionẽ, Chriſtianis portus atq; refugium extitit. Liberalitatis illius immenſæ (quam huic tribuunt) cauſa & occaſio falſi redargui poteſt ex Hiſtoriis. Hujus mandato Niceæ Concilium eſt habitum longè frequentiſſimum, in eoq; dogma damnatũ Arrii, qui Chriſtum negabat ejusdem eſſe ſubſtantiæ cum Patre. Byzantium, Thraciæ urbem, ſuo de nomine vocavit, eò translatâ ſede Regiâ, A. C. 331. Salutatus ampliſſimè à Senatu populoq; Romano, propter reſtitutam Reip. pacem, ad externa bella totum ſe convertit. In Aſiam cùm veniſſet cum exercitu, ſumpto pharmaco, vitam finiit, nõ absq; veneni ſuſpicione. Anno Chr. 337.

II. Con-

II. Conſtantinus, patris diviſione non contentus, bellum intulit fratri Conſtanti: ſed, amiſſo exercitu, confoditur. Conſtans biennio ditionem omnem mortui fratris obtinuit: Poſtea fraude Magnentii (quem milites, præmiis allecti, Imperatorem ſalutaverant) fuit interfectus. A.C. 350.

III. Conſtantius, hac re cognitâ, magnis cum copiis in Italiam, ac indè in Galliam accedens, hoſtem ingenti prælio vincit: Julianum, patruelem ſuum, adoptat, & Galliæ tutelam committit. Qui, feliciter adminiſtratâ re, ab exercitu non modò Cæſar, verũ etiam Auguſtus ſalutatus, & diademate, licet *invitus*, uti præ ſe ferebat, eſt ornatus. Eâ re Conſtantius plurimùm offenſus, iter ingreſſus eſt, ut Julianum ad officium reduceret: Sed in itinere febri correptus, vitam finivit. Juliano priùs conſtituto ſucceſſore. A. Chr. 361.

Miſera hoc tempore Eccleſiæ facies, ita depingitur ab Hilario Epiſcopo Pictavenſi. Pòſt Nicænam Synodum, nihil aliud, quàm fidem ſcribimus: Dum in verbis pugna eſt: dum de novitatibus quæſtio eſt: dum de ambiguis, dum de auctoribus querela eſt: dum de ſtudiis certamen eſt: dum in conſenſu

difficultas eſt; dumq́; alter alteri anathema eſſe cœpit, propè jam nemo eſt Chriſti, &c.

IV. Julianus Apoſtata, accepto, cùm eſſet medius inter ſuos milites, vulnere, exceſſit è vita, Chriſtiani nominis hoſtis. Anno Chriſti 363.

Hac de re ita Nazianzenus: Julianum à Perſis vulneratum dicunt, cùm inconſideratè excurſiones faceret, & nunc huc, nunc illuc imperterritus rueret. Vulnus itaq́; accepit tempeſtivum, totiq; Mundo ſalutare. Et cùm ſtolidus ille omnia ſe ex viſceribus cognoſcere putaret; unum hoc vulnus propriis viſceribus infligendum ignoravit.

Sub hujus Imperio Judæi Templũ Hieroſolymis reſtauraturi fulmine extinguuntur.

V. Jovinianus à militibus Cæſar conſtituitur. Hoſte imminente, pacem fecit Reipublicæ ignominioſam. Progreſſus cum exercitu, ut domum rediret, in finibus Bithyniæ mortuus eſt. A.C. 364. De eo Beatus Hieronymus in Epitaphio Nepotiani: Jovinianus, guſtatis tantùm Imperialibus bonis, fœtore prunarũ ſuffocatus interiit: Oſtendens omnibus, quid ſit potentia humana.

VI. Valentinianus, ab exercitu Cæſar electus, poſtquam Conſtantinopolim venit,

nit, Collegam ſumpſit fratrem Valentem. Profectus in Germaniam, Saxones, Oceano vicinos,domuit. Irâ concitatus periiſſe fertur. Interim frater ipſius Valens in Europa prælio victus, in fuga vulneratus, inq; tugurium quoddam delatus, immiſſo ab hoſtibus igne, conflagravit.

VII. Gratianus à Patre Valentiniano A. Chr. 369. cooptatus à quodam ſuo belli Duce Maximo, affectante Imperium, per inſidias fuit in Galliis interfectus. Eodem ferè fato filius Valentinianus occubuit, etiam fraude ſui familiaris Arbogaſti.

Sed percuſſores,poſtmodum pœnas dederunt, hic ſibi mortem ipſe conſcivit,alter *Aquileiæ* fuit interfectus.

VIII. Theodoſius pietate clarus, ab Ambroſio Epiſcopo Mediolanenſi aditu templi prohibitus, patienter tulit. Rerum potitus A.C.379. Imperii ſocios conſtituit Honorium & Arcadium: Quibus ætate adhuc minoribus attribuit,huic Ruffinum,illi Stiliconem.

Ipſo jubente,Conſtantinopoli fuit habita Synodus, damnatumq; in ea Macedonii dogma,Divinitatem Sp. S. derogantis.

IX. Poſt Theodoſii obitum, A.C.395.

Arcadius ad Orientem Solem Conſtantinopoli præerat: Honorius autem Romæ. Sed Ruffinus perfidè Gothorum Regem, ut Arcadio bellum faceret, hortans, à militibus trucidatus eſt. Arcadium Cæſarem Innocentius, ejus nominis primus, Pontifex Romanus, excommunicavit.

X. Theodoſius Secundus, hujus filius, qui A. C. 423. Imperium ſolus obtinuit, Synodum Epheſinam, in qua Neſtorius, qui Chriſtum natum eſſe Deum ex Maria Virgine negabat, damnatus eſt, inſtituit: eiq; interfuit Cyrillus, cujus adhuc Divina extant ſcripta.

Stilico, inſidias huic Cæſari ſtruens, captus & interfectus fuit.

Theodoſius hic vetuſtiſſimam Bononienſem Academiam fundavit, eamq; ampliſſimis privilegiis donavit. Sub hoc item Imperatore Eutyches, Abbas Conſtantinopolitanus, hæreſin condidit de confuſione duarum naturarum in Chriſto: contra quam Leo, ejus nominis primus, Pontifex Romanus, inſignem, planeq; Orthodoxam epiſtolam ſcripſit.

XI. Martianus ſucceſſit A. C. 451. Circiter hoc tempus Attila Rex Hunnorum,

Daciâ & Pannoniâ occupatâ, vicinas regiones crudeliſſimè vaſtabat, Imperii partem ad Occidentem Solem occupare ſtuduit. Quo tempore Venetorũ urbs condita fuit. Pleriq; enim potentiores ex vicinis locis, in illa maris æſtuaria, velut in portum aliquẽ, ſeſe receperunt. Martiniano jubente, Chalcedonenſe fuit coactum Concilium ampliſſimum, & damnatus Eutyches.

XII. Leo Primus à Patriarcha coronatus, A. C. 457. nihil memorabile fecit. Hujus tempore Odoacer cum ingenti manu Herulorum Italiam vaſtavit.

XIII. Zno Iſauricus ſucceſſit, A. C. 464. qui Theodoricum Oſtrogothorum Regem miſit, ad Odoacrum extinguendum: Quæ res feliciter ſucceſſit.

XIV. Anaſtaſius A.C.491. dogma Eutychianũ probans, Orthodoxis gravamini fuit. Hoc ferè tempore, Anno ſalutis quinquageſimo, Rex Francorum Clodoveus Chriſti religionẽ primus fuit amplexus. Anaſtaſius fulmine eſt extinctus; cùm biennio antè Hormisdæ, Pontifici Romano, de hæreſi Eutychis relinquenda, ſubmonitus reſcripſiſſet: Nos imperare volumus, nobis imperari nolumus.

XV. Ju-

XV. Juſtinus, obſcuro genere natus, & è ſubulco factus miles, ſucceſſit A.C. 518.

XVI. Juſtinianus, ſororis Juſtini filius, Italiam & Africam recuperavit, & leges collegit, quæ adhuc hodie in Scholis & foro uſurpãtur. Fuitq́; ob res præclarè tàm domi, quàm foris geſtas, Magnus cognominatus.

XVII. Juſtinus, hujus ex filia nepos, ſocordis ingenii Princeps, A.C. 565. per Italiã Magiſtratum Exarchũ inſtituit: is erat tanquam Cæſaris Vicarius atq; Legatus: Ravennæ potiſſimum habitabat, neglectâ Româ; ſingulisq́; civitatibus & oppidis (quæ non occupaverunt Longobardi) unum aliquem præficiebat.

XVIII. Tiberius, jam antè occupatus, & Imperii factus Collega, A.C. 576. beneficus in pauperes fuiſſe, dicitur.

XIX. Mauritius, illius gener, factus Cæſar, A. C. 583. propter avaritiam exoſus militi, coactus eſt profugere Chalcedonẽ. Hoc regnante, Cometa ſenis menſibus apparuiſſe, tunc etiam Mahometus natus eſſe, traditur. Sub eoq́; viguit inter Gregorium Magnum, Pontificem Romanum, & Johannem, Epiſcopum Conſtantinopolitanum, contentio de primatu.

XX.

XX. Phocâs, Centurio, Mauritium cum uxore, liberis, omniq; ſtirpe neci dedit: qui per ſeditionẽ deinde ſalutatus Imperator, A.C. 602. ſed propter crudelitatem, & neglectam Rempublicam, occiſus eſt.

XXI. Heraclius A.C. 615. multis bellis fuit occupatus. Ab hoc Saraceni militantes, cùm ſtipendiis fraudarentur, maximâ multitudine deficiunt, &, Mahometo Duce, per Syriam graſſati, Damaſcum occupant, Ægyptum vaſtant, Arabiam ſubigunt, & in Perſas quoq; feliciter præliantur.

XXII. Conſtantinus, filius, paucos menſes imperat.

XXIII. Conſtans, Heraclii nepos, A.C. 642. infeliciſſimè mari pugnavit. Romam placidè ingreſſus, omnibus ornamentis eam ſpoliat. In Sicilia in balneo fuit interfectus. Cùm de ſucceſſione eſſent diſſidia, Saraceni occaſionem nacti, Imperio magnum damnum inferunt.

XXIV. Conſtantinus Barbatus A. C. 669. Saracenos fudit, inducias annorũ triginta, & annuũ vectigal ipſis impoſuit. Sub hoc Imperatore, Monotheletæ, ponentes unam in Chriſto voluntatem ac operationem, damnantur in tertia Synodo Conſtantinopolitana.

XXV.

XXV. Juſtinianus, filius, A.C. 686. per ætatem & imperitiam malè Remp. gerebat. Ob crudelitatem à Leontio, naribus præciſis, fuit relegatus, quem Tiberius, à militibus Imperator electus, rurſus naribus truncat, in catenas conjicit. Tandem Juſtinianus, Trebellii, Bulgariæ Regis, auxilio (in quem tamen poſtea ingratus fuit) utrumq; cepit, & interfecit. In hocq; deficit Heraclii progenies, elapſis ab Heraclii principio annis centum. Soli certè Heraclio inter Romanos Principes contigit, ut in una ſtirpe ſextus Auguſtus legeretur.

XXVI. Philippicus Bardanes A.C. 712. ad quem exercitus defecerat, à Conſtantino Pontifice Schiſmaticus pronunciatus, tandem à ſuis eſt exoculatus. Anaſtaſius interim ſucceſſurus, à militibus recuſatur, & factus eſt Imperator quidam obſcuri generis Theodoſius, qui Anaſtaſium, prælio victum, ſacris addicit: Sed non multò pòſt ipſe ejectus eſt, à Leone copiarũ Præfecto.

XXVII. Leo ſucceſſit: Quo regnante Saraceni Conſtantincpolim per triennium obſident. Hic Cæſar ſtatuas omnes, & Divorum imagines è templo ejecit, malè audiens à Pontifice Romano: Et indè Iconomachus dictus fuit.

XXVIII. Conſtantinus Copronymus A. C.741. Leonis filius, Artabaſtum, novũ Imperatorem electũ, Conſtantinopoli exoculat. Excommunicatus quoq; fuit à Papa, & legati ipſius in vincula ſunt conjecti.

XXIX. Leo, A.C.775. hujus filius, ejusdem cum patre fuit Religionis.

XXX. Conſtantinus filius, cùm per ætatem regere nequiret, mater ejus benè Remp. gerebat. Ille autem grandior factus, dejectâ matre, inſolenter cœpit regnare A. C.790. Tandem verò rerum ſumma ad matrem Irenẽ rediit, quæ, quarto demùm Anno ſui Imperii, iniq; in exilium eſt relegata.

Caput XVI.

De Imperatoribus Orientis poſt avulſum Occidentem.

Intereà, dum ita Conſtantinopoli tumultuoſè res aguntur, celebris erat Caroli, Regis Francorum, fama. Aquitanico enim bello confecto, ab Adriano Pontifice Romano rogatus, cum exercitu venit in Italiam: Et Deſiderium gravem Italiæ, poſt longam obſidionem, cepit, ejusq; filium Adalgiſium regno dejecit, & omni expulit Italiâ. Cæterùm Imperatores Orientis, continuis

fere

ferè bellis agitati, vel non potuerunt, vel noluerunt difficultates, & varios tumultus ſedare.

Ab Irene autem ad Palæologum poſtremum, circiter quinquaginta numerantur Imperatores Græci, & in his aliquot fœminæ: Ex ipſis tamen pleriq; ignavi.

Conſtantio Monomacho regnante, Turcæ ab humiliori origine paulatim progreſſi longiùs, Aſia vaſtari cœpta, vires quotidiè auxerunt. Princeps illorum fuit Ottomanus, ad Annum Chriſti circiter milleſimum trecenteſimum.

Mahometus deinde, ejus nominis ſecundus, Solymani proavus, captâ Conſtantinopoli, & Conſtantino Palæologo, Cæſare, interfecto, cum omni familia, nomen & ſucceſſionem Imperatorum noſtræ Religionis, iis in locis, funditus delevit.

Cap. XVII.

De Imperatoribus Francicis.

I. CArolus ergò, Rex Francorum, vocatus & rogatus Italiam, & reliquas oras pacavit, tandem Romam profectus à Leone, & ab omni populo Romano, ſalutatus eſt Imperator Auguſtus, cùm jam annos regnâſſet triginta tres: Pariſinam Academiam inſtituiſſe,

ſtituiſſe, & menſibus nomina Germanica dediſſe traditur. Mortuus eſt annos ſeptuaginta natus, cùm per annos ferè quatuordecim Cæſar fuiſſet: A. C. 814. Germanorum omnium primus ad eam evectus dignitatem.

II. Ludovicus, cognomine Pius, Caroli filius, alter Imperator Germanicus, cum *Cæſare* Græco Leone Armenio renovavit amicitiam. A filiis ad monaſticam vitam fuit detruſus.

III. Lotharius Imperium nactus eſt A. C. 840. cæteri fratres Carolus Aquitaniæ, Ludovicus Bavariæ ſunt præfecti. Verùm, contentionibus inter fratres exortis, nova eſt facta diſtributio: ut Ludovico Germania, Galliæq; pars; Carolo Gallia ab Oceano Britannico & Pyrenæo ſaltu, uſque ad Moſam cederet. Lotharius præterquam quòd Cæſar eſſet, Italiam & Narbonenſem quoq; provinciam obtinuit: eamq; Franciæ partem, quæ adhuc hodiè ab eo Lotharingia adpellatur.

IV. Ludovicus Secundus, hujus filius, A. C. 855. Saracenos, in Italiam irruentes, repreſſit. Hujus Legatis neglectis, Adrianus II. Papa fuit electus.

V. Carolus Secundus, cognomine Calvus (filius Ludovici Pii) Galliæ Rex, A. C. 875. magnâ celeritate proficiſcitur in Italiam, reſiſtente licet altero fratre, natu majore, Ludovico, Germaniæ Rege, & à Johanne Octavo, Romano Pontifice, conſecratur.

VI. Ludovicus Tertius, hujus filius, cognomine Balbus, A. C. 877. biennium præfuit.

VII. Carolus Tertius Craſſus, Ludovici, Germaniæ Regis, filius, omnem Germaniam, Italiam & Galliam obtinuit, Saracenos profligavit. A Proceribus tandem Imperio exutus, ad eam egeſtatem redactus fuit, ut etiam neceſſariis alimentis deſtitueretur.

VIII. Arnolphus, fratris filius, A. C. 887. Romam capit. Quo imperante, Hungari, ex Scythia pulſi, in Pannoniam irrunt.

IX. Ludovicus IV. hujus filius, ſucceſſit, A. C. 895. cui Hungari magnum damnum intulerunt. A Berengario, Italiâ devictâ, exoculatus dicitur: in eoque defecit ſtirps Caroli Magni. Germani, Saxones præſertim, & Francones, hoc mortuo, Cæſarē ſalutabant *Othonem*, Saxonum & Thuringo-

ningorum Principem. Sed is, ætate gravis, auctor ipſis fuit, ut *Conradum*, Franconiæ Ducem, eligerent, A. C. 912.

Cap. XVIII.

De Imperatoribus Germanicis.

I. HEnricus Auceps, Othonis filius, à Conrado Imperator proponebatur, A. C. 920. Hi duo Cæſares à Pontifice Romano non fuerunt conſecrati. Henricus quidem oblatam à Papa conſecrandi Ceremoniam neglexiſſe fertur; quòd bonorum virorum judiciis atq; ſuffragiis contentum ſe diceret. Arnolphus Malus Bavariæ, & poſtea Burchardus Sueviæ Dux, rebelles, rei ſummam ad ſe traducere cogitabant: ſed ille colloquio, hic potentiâ Cæſaris territus eſt. Multis peractis bellis, Romam venit: concilium habet, eiq; præfuit; & Johannem XII. propter crimina loco removens, Leonem, ejus nominis Octavum, inſtituit. Hungaros ad Merſburgum incredibili cæde fudit: exercitu ejus vociferante: Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon.

II. Otho Primus, Henrici filius, à patre Imperii Collega deſignatus, propter rerum geſtarum amplitudinem, & præſtantem virtutem Magnus vocatur: ſólus imperare

cœpit A. C. 936. & Chriſtianiſmum in Sclavos propagavit.

III. Otho Secundus, A. C. 973. Henricum, Bavariæ Ducem rebellantem, armis ad officium adduxit.

IV. Otho Tertius, hujus filius, A. C. 984. Papam conſtituit Brunonem, hominem Germanum, nominatum poſtea Gregorium Quintum. Adſcribitur ei vulgò inſtitutio Imperii Electorum: ſub eoq́; Hugo Capetus, primus apud Gallos Gallus, regnare cœpit.

V. Henricus Secundus, Bavariæ Dux, Othonis Magni, Saxonum Ducis, atq́; Cæſaris propinquus, A. C. 1001. Eccleſiis admodum gratus fuit Cæſar: ac propter pietatem obtinuit, ut Sanctis accenſeretur. Eo mortuo, cùm inter Principes Electores non conveniret, interregnum fuit aliquandiu.

VI. Conradus demum Secundus, A. C. 1025. Franconiæ Dux, & inde Salicus dictus, ſucceſſit: Romam profectús, & à Johanne XVIII. conſecratus, acclamante populo, ſalutatur Auguſtus.

VII. Henricus Tertius, Conradi filius, de Principum voluntate ſucceſſor, A. C. 1044, Bohemos domuit: Hungariæ Regem

aliquo-

aliquoties reſtituit. Romam, tumultu exorto, profectus, urbe per obſidionem captâ, conventus agit, & per Bambergenſem *Epiſcopum* Suitgerum conſtituit Papam; qui poſtea dictus eſt Clemens II.

VIII. Henricus IV. hujus filius, adoleſcentulus, ſuccedit A. C. 1056. adminiſtratio autem penes matrem erat. Quod Germaniæ Principes moleſtè ferentes, filium à matre diſtrahunt. Cæſar verò, naturâ proclivis in vitia, laſcivire cœpit. Saxones igitur, ad vindicandam libertatem, arma ſumunt. Ille verò poſtulatis ipſorum ſatisfaciens, nocturnâ fugâ vix elabitur. Excommunicato (quòd Præfecturas Eccleſiaſticas divenderet) à Papa Cæſari, Principes Germaniæ parere nolunt: cogitur itaque deprecari. Poſt multam actionem hæc ei conditio proponitur: judicio ſe ſiſtat, & cognitioni ſubjiciat Papæ, quem Auguſtam ſint evocaturi: abſolutionem impetret excommunicationis, copias dimittat, Spiræ privatus vivat parva cum familia: publicam rem nullam gerat, neque faſces, vel Imperii ſigna ſibi ſumat: donec legitimè ſit deciſa controverſia. Recipit conditionem: Papæ obviam iturus Italiam ingredi-

greditur: ab Epiſcopis honorificè (opinabantur enim animo irato illum eò veniſſe) excipitur: à Papa, per Legatos, abſolutionem rogat. Cæſar totum triduum permanſit in arcis area & veſtibulo (ubi Pontifex erat) tenui cultu, depoſitis regiis inſignibus, nudis pedibus, & ad veſperam uſq; jejunus. Quarto demum die admiſſus omnes Pontificis leges probat & admittit. Quâ re cognitâ, Proceres Italiæ, vehementer offenſi, de filioſo Cæſaris eligendo, Romamque traducendo, & dejiciendo Pontifice cogitant. Cæſar, eo cognito, à pactione diſcedit, Pontificis conſilia turbat. Principes igitur Germaniæ, hiſce de rebus à Papa certiores facti, Rudolphum, Sueviæ Ducem, creant Cæſarem, qui ab Henrico oppugnatus, tertio conflictu graviter vulneratus, non multò pôſt è vita exceſſit. Cæſar profecturus in Italiam, filium ſibi ſucceſſorem deſignat. Sub hoc Imperatore Hieroſolyma capta, & Saracenis erepta: inibique Godofridus Bullionæus creatus Rex fuit.

IX. Henricus V. hujus filius, ab aliis exſtimulatus, in ſummas anguſtias parentem conjecit, & abdicare ſe Magiſtratu cöegit, A.C.1106. Aliquot pôſt annis in Italiam vadit,

dit, &, ferro patefactâ ſibi viâ, Romam demum venit. Reverſum in Germaniam Cæſarem, Pontifex à pacto diſcedens, excommunicat. Ea res multos Germaniæ Principes ad rebellionẽ commovit. Sub hoc Imperatore Otho, Epiſcopus Bambergenſis, Deo placitam obiit peregrinationem, ad gentem Sclavorum, qui dicuntur Pomerani: prædicavitq; illis verbum Dei; Deo cooperante, & ſermonem conformante ſubſequentibus ſignis: omnemq; gentẽ illam, cum Principe eorum, ad Dominum convertit Cranzius in Saxon. & Vandal.

X. Lotharius è Saxoniæ Ducum familia ſuccedit, A. C. 1126. Qui Sueviæ Ducem, rebellantem, pacem petere coëgit. A Carolo Magno vix alius majora per Italiam egiſſe fertur. Reſtituit Innocentium II. Pontificem. Hoc Imperatore jubente, Irnerius Leges Romanas revocavit.

XI. Conradus III. Sueviæ Dux, A. C. 1138. Henrici V. ex ſorore nepos, Henricum Superbum, Bavariæ Ducem, proſcripſit. Sub hoc Imperatore, Gratianus, Monachus, compoſuit Decretorũ opus: quod Eugenius Pontifex adprobavit, & in Academiis publicè proponi mandavit.

XII. Fridericus Ænobarbus, Sueviæ Dux, Conradi fratris filius, Heroici vir ingenii, A.C.1152. multisq; rebus laudabiliter geſtis clarus. Eo imperitante, duo de Principatu contendebant Pontifices, Victor & Alexander. In Victorē quidem magis Cæſar inclinabat: ſed Alexander competitorem, poſt etiam, aucto diſſidio, Cæſarem excommunicabat. Licet autem bello ſuperior eſſet: periculis tamen ingruentibus, ab amicis exoratus, ſupplex Pontifici Venetiis in gratiam rediit. In Aſiam profectus, adverſùs Chriſtianæ Religionis hoſtes; & oppreſſus impetu fluminis, in quod lavandi cauſſâ ſe dimiſerat, periit. Sub hoc Imperatore, Petrus Lombard⁹, Epiſcopus Pariſienſis, celebre illud Sententiarū ſcripſit opus.

XIII. Henricus VI. hujus filius, A. C. 1191. Apuliâ & Calabriâ devictis, Neapoli quoq; captâ, Siciliam domat. Deinde filium ſuum Fridericum, adhuc infantem, ſucceſſorem, de voluntate Germaniæ Principum, deſignat.

XIV. Philippus, A.C.1199. licet alii Othonem, Saxoniæ Ducem; undè magnus motus fuit exortus, crearent, partim armis, partim humanitate adverſarios ad officium

dedu-

deduxit. In cubiculo eſt occiſus. Sub hoc Imperatore, Innocentius, Pontifex Maximus, quinque Libros Decretalium legi in Scholis, & in judiciis ubiq; ſervari, præcepit. Conſtantinopolis item à Balduino, Flandriæ Comite, capta fuit.

XV. Otho, Saxoniæ Dux, A.C. 1208. ſuccedens, ab Innocentio IV. eſt excommunicatus. Principes ergo Electores à Pontifice ſollicitati, ut alium crearent, Henrici VI. filium, cui fidem dederant adhuc infanti, ſed propter infantilem ætatem nondum admiſerant, evocant è Sicilia.

XVI. Fridericus igitur II. A.C. 1228. Othonem, cum exercitu occurrentem, expugnat. Rebelles per Italiam domat. Excommunicatur à Pontifice: quare deprecatus, ſeſeq; purgans, cùm nihil proficeret, Romam petit, & Pontificem dejicit. Rurſus excommunicatus, per Legatos agit de pace. Verùm nihil impetrans, & denuò excommunicatus, fremens & iratus in Italiam redit, atq; Romam obſidet.

XVII. Conradus IV. à patre deſignatus, A.C. 1252. patri ſuccedens, ab Innocentio excommunicatus, & ab Henrico, Thuringiæ Landgravio (cui S. Eliſabetha fuit nupta) oppugnatus fuit.

XVIII. Guilielmus, Holandiæ Comes, ab Electoribus Imperator creatus, A. C. 1255. Dum in Friſios, res novas molientes, cum exercitu proficiſcitur, ab inſidiis circumventus, & haſtis confoſſus eſt. Ab hoc per annos ſeptemdecim fuit interregnum: cùm ſubindè variè fluctuaret Reſpublica.

XIX. Rodolphus Habsburgius, ex caſtris vocatus, & Cæſar factus, A. C. 1273. motus per Germaniam componit, fuitq; Princeps prudens, ſtrenuus armis & bello, ac qualem turbata Reſpublica depoſcebat. Acceptâ pecuniâ, Italiæ Civitates multas, quæ erant Imperii, liberas & immunes fecit: Bononienſes, Florentinos, Genuates, Lucenſes & alios.

XX. Adolphus, familiæ Naſſovicæ, A. C. 1292. inimicitias exercuit cum Alberto, Auſtriæ Duce. Cùm ſuis moribus Germaniæ Principes admodum offenderet, loco eſt remotus.

XXI. Albertus, Auſtriæ Dux, Rudolphi filius, electus, A. C. 1300. in agro Spirenſi Adolphum graviſſimè ſauciavit. Sed demum à ſuis eſt interfectus.

XXII. Henricus VII. è familia Luceburgica, A. C. 1308, filio ſuo Johanne, per matrimo-

trimonium facto Rege Bohemiæ, in Italiam proficiſcitur: Romæ ab aliquot Cardinalibus coronatus, Jusjurandum præſcriptum pronunciare recuſat. Mortuo Henrico, non abſq; graviſſima veneni ſuſpicione, acerrimæ contentiones ortæ ſunt in Germania ſuper electione.

XXIII. Ludovicus tandem, Bavariæ Dux, rerum potit9, A.C.1314. Romam profectus eſt, &, magna cum gratulatione exceptus (invito Pontifice) coronatus eſt, ab uno & altero Cardinali. Cùm Pontifex ingeminaret excommunicationem, ille, de Conſilio Procerum, Papam alium creat. In Germaniam revertente Cæſare, Papa moritur: ſucceſſor ejus Benedictus XII. Cæſarem & ipſe excommunicat, & dignitate privat. Cæſar ideò Principibus exponit Pontificum injurias, & oſtendit: ſufficere in electione Cæſaris Principum voluntatem. Mortuo Benedicto, ſuccedit Clemens VI. omniũ violentiſſimus. Fluctuante ad hunc modum Republicâ, Ludovicus mortem obiit. Fridericum cognomine Pulchrum, Auſtriæ Ducem, à quibusdam Imperatorem creatum; atroci prælio commiſſo vicit, cepitque. Ludovicum autem hunc, ex

quo

quo deſcendunt moderni SereniſſimiBavariæ Duces,operoſè contra Bzovium defendit Magnificus Herwartus.

XXIV. Carolus IV. Bohemiæ Rex,eligitur A.C.1347. Italiâ egreſſus, Decretum illud Imperii facit, quod Bullam Auream vocant. Sub hoc tempore Johañes Wiclef, Anglus, multa ſcripſit, contra receptas opiniones: ideoq; inter Hæreſiarchas nominatus fuit.

XXV. Wenceslaus,Caroli filius,magnis largitionibus vix tandem factus Imperator, A.C.1379. naturâ, educatione, & vitæ genere admodum vitioſus fuit. Principes ei Magiſtratum abrogant. Eo regnante,moritur Argentinæ Johannes Taulerus Colonienſis,Sacroſanctæ Theologiæ Doctor.

XXVI. Jodocus Barbatus nihil memorabile, toto vitæ tempore, edidit.

XXVII. Robertus Palatinus, à Principibus electus,A.C.1400.ad emendandum ea, quæ Wenceslaus peccâſſet,animũ adjecit.

XXVIII. Sigismundus, Hungariæ, ac deinde Bohemiæ Rex electus, A.C.1411. Interfuit Concilio Conſtantienſi, in quo Johannes Huſſus, & Hieronymus Pragenſis, combuſti fuerunt.

XXIX. Al-

XXIX. Albertus II. Auſtriæ Dux, A.C. 1438. Hungariæ, Bohemiæq; Rex, civilibus & Turcicis bellis impeditus, in Italiam non venit.

XXX. Fridericus III. Auſtriæ Dux, ſucceſſit A.C. 1440. Regni ipſius Anno quarto Uladislaus, Poloniæ ſimul & Ungariæ Rex, ab Amurathe Secundo ejus nominis, Turcarum Imperatore, prælio victus, ad Varnam occubuit. Nono pòſt Anno Conſtantinopolim vi cepit Mahometus, Amurathis filius.

XXXI. Maximilianus I. A. C. 1494. filius Friderici, inter alia multa, cum Venetis quoq; bella geſſit. Inſtituit ſupremum Cameræ Imperialis Judicium Spirenſe: & Eberhardum Comitem Würtembergiæ Ducem creavit.

XXXII. Carolus hujus nominis V. è filio Philippo nepos Maximiliani, Cæſar longè potentiſſimus, Princeps nunquam ſatis laudatus, ſucceſſit A. C. 1519. Hoc imperante, varii tumultus in Religione ſunt exorti, qui etiamnum durant. Etſi enim pax quædam certis limitibus ſit definita: tamē, gliſcente odio, omnibus ex partibus vulnus illud ſubindè refricatur.

XXXIII.

XXXIII. Ferdinandus I. frater Caroli V. ſucceſſit, A. C. 1558. in cujus tempora factio Grumbachiana incidit.

XXXIV. Maximilianus II. hujus filius, hunc excepit, A. C. 1564. Rex poſtea Ungariæ coronatur, Viennæ deceſſit, relinquens ſapientiæ, & pietatis, memoriam digniſſimam Imperatore.

XXXV. Rudolphus II. Maximiliani filius, Imperator poſt eum factus, A. C. 1576. Bella Turcica, per Legatos, ſumma cum prudentia geſſit. Obiit Pragæ.

XXXVI. Matthias, frater Rudolphi, ſucceſſit, Anno Chriſti 1612. cujus tempore oppidum Rhæticum Plürs, dictum à monte vicino, horribiliter oppreſſum eſt (ſuppreſſionem præſagiens Rhæticæ, nimis licenter uſurpatæ libertatis) ſuntque in Bohemia periculoſi excitati motus, quibus nondum ſedatis, Imperator Viennæ rebus humanis exemptus eſt.

XXXVII. Ferdinandus II. Ferdinandi Primi Nepos: Francofurti, Anno Chriſti 1619. poſt hunc in Imperatorem electus & coronatus, etiam nunc rerum potitur, Princeps verè pius & felix. Hæc ex Sleidani Libello, de Quatuor Monarchiis, magnam partem deſumpta; jugi lectione augeri, & forſan inſtar Locorum Communium, ſecundùm temporis ſeries inſtitutorum, uſurpari poſſunt.

Veni Domine JESV!

C. A. RUPERTI

OBSERVATIONES

AD

Synopſin minorem C. Beſoldi.

CHRISTOPHORI ADAMI RUPERTI

OBSERVATIONES

AD

HISTORIÆ UNIVERSALIS

Synopſin Beſoldianam minorem.

CAP. I.

Hiſtoriæ diviſio. Univerſalis Scriptores quidam veteres. Ejusdem difficultas & laus, ſed pragmatica. Diviſio Ionſtoni & Beſoldi parùm commoda. Quam Hiſtoriæ antediluvianæ notitiam habuerint gentilium ſapientiores? Fabuloſæ Poëtarum narrationes de Adam, Eva, Paradiſo, Lapſu primorum Parentum, Caino, Thubalcaino, Naamâ, Lamechi filiâ; & aliis. Diluvium, & provinciarum diſtributio in Iaphetum, Semum,

 Cha-

Chamum. Fabulæ aliæ de Noacho & ejus filiis.

QUi nuper artem hiſtoricam profeſſi ſunt (quorum agmen ducere mihi videtur *Gerhardus Johannes Voſſius*) id ante omnia faciendum putârunt, ut hiſtoriam divinorum munerum longè pulcherrimum utiliſſimumq; quàm accuratè diſtinguerent. Eſt quidem ita (ut ſcribit illuſtris *Salmaſius in Funere* linguæ Helliniſticæ p. 6.) *rudes & indigeſtas auri moles & maſſas in acervum fortuitò conjectu accumulatas magis æſtimari ab intelligentibus, quàm plumbi lamellas, multo artificio bellè compoſitas, vel diſpoſitas.* Quo dicto perſtringit eos, qui *magnas nugas* aptè dividunt ac diſponunt; ſed id nihil huc pertinet: Nam in hiſtoriarum ſtudiis (quibus juventus, Reip. nata, initianda eſt) cùm memoriæ ſtudendum ſit, οὐδὲν οὕτως οὔτ᾽ εὔχρηστον, οὔτε καλὸν, ὡς ἡ τάξις: *Nihil utilius pulchriúsve quàm ordo*, ut in *Oeconomico* loquitur *Xenophon p. 841.* edit. Leunclav. Nec quicquam tàm cavendum, quàm ne omnia ſint Bacchi κέρνος *(vas fictile)* in quo teſte *Athenæo lib. XI. Dipnoſoph.* p. 476. ſimul fuerunt *papaver, album triticum, hordeum, piſum, ervum, cicer, lens, faba, zea, avena, caricæ, mel, oleum, vinum, lac; quin etiam illota ovis lana.* Cujuſmodi mixturam, ut hilaria Bacchantium fortaſſe non aſpernantur; ita hic omnia diligenter ſeparanda eſſe cenſentes eruditiſſimi viri, *Hiſtoriam* diviſerunt in *Divinam*, *Naturalem & Humanam.* Hanc poſtremam ſecuerunt in *veram*, *mythicam & quaſi*

quaſi mythicam. *Veram* rurſus triplicem fecerunt, vel occupatam in deſcriptione *Perſonarum* vel *Locorum*, vel *Temporum*. Hiſtoriam *Perſonarum* vel perpetuam vel ſejunctam: *Perpetua* dividenda videbatur in *Univerſalem*, *Particularem*, *Singularem*. *Univerſalem* nuncupârunt, quæ vel *omnium*, vel *præcipuarum* ſaltem *gentium res geſtas* continet, & hanc quoque fecerunt *trium generum*: ut quæ vel ab *orbe condito*, vel ab *ævo* (quod *antiquiſſimum* putatur) inciperet; vel *aliquam* tantùm *temporis portionem* complecteretur. *Particularem* definierunt, *gentis* alicujus, aut *civitatis* res geſtas, vel *ab origine* referentem; vel *partem* duntaxat illius. *Singularem* interpretati ſunt *vitas* illas, quas ſcripſere *Plutarchus*, *Corn. Nepos*, alii.

Univerſalem à mundi creatione ad Salvatoris adventum *libris XIV*, & res à Chriſto nato usque ad Macrini Imp. tempora, licet ſuccinctè, ſcripſit *Jul. Africanus*, quem legit *Photius*; ut atteſtatur ipſe *Cod. XXXIV.* Ita quoq; *Cephaleon* à Nino & Semiramide ad Alexandri M. tempora, ut eſt apud *Eund. Cod. LXIIX.* Et *Heſychius Illuſtrius* à Belo, Aſſyriorum Rege, ad exceſſum Anaſtaſii Romanorum Imperatoris; quem laudat *Idem Cod. LXIX.* *Diallus Athenienſis* de Rebus ubiq; terrarum geſtis, ut nos docet *Diod. Sic. lib. XXI. c. 5.* Ipſe *Diodorus Siculus*, qui in unum volumen totius ferè habilis Orbis hiſtorias congeſſit, congeſtasq; accuratè & diligenter digeſſit; inter Scriptores Ἱστορίας οἰκουμενικῆς, ſive καθολικῆς locum habet, judice *Heinr. Stephano*: Sed & *Nicolaus Damaſcenus*, Vir illuſtris, Auguſti & Herodis M. quondam amicus,

incredibili ſtudio omnem undiq; hiſtoriam collegit, & inter laborem ſæpe dicere ſolitus eſt: *Euryſtheum, ſi Herculi tale quid imperâſſet, maximè illum vexaturum fuiſſe.* Hoc propriis experimentis edoctus pronunciavit *Nicolaus* ipſe in *Excerptis Peireſcianis p. 420.* Sagacitate quadam mentis ſingulari aſſecutus eſt *Julianus Juſtinus*, cùm *Tropum Pompejum* (quem ſeculo ad ignaviam vergenti, an auctori jam ob magnitudinem ſuam neglecto? gratificare volens, in Epitomem redegit) *in præfatione §. 3.* Herculeâ quædam audaciâ orbem terrarum aggreſſum diceret; cujus libris omnium ſeculorum, Regum, Nationum, Populorumq; res geſtæ contineantur. Nec minora ſunt, quæ apud *Diod. Siculum lib. I. c. 1. & 3. Polybium lib. I. c. 4. & 5.* legimus; licet de hiſtoriâ pragmaticâ (h. e. interprete *Salmaſio ad Capitolinum p. 259.*) ea, quæ omnia copioſè & diligenter exequitur, potiſſimùm capienda: qualem quidem (ut ſuperioribus adhuc unicum adjiciam) *Polybius* ſcripſit *ferè inimitabilem*, & à ſummis ingeniis commendatam; ſed nunquam commendatam ſatis. Certè judicium *Lipſii in Notis ad Politica* neminem latet; ſed conſulenda maximè *Caſauboni* epiſtola, quâ *Henrico IV. Galliarum Regi* Scriptorem illum dedicat; & ſimul nobiliſſimorum Autorum cenſorem agens, tandem in Polybio, & univerſalis hiſtoriæ laudes ſic erumpit: *Eſt hoc hiſtoriæ Polybianæ grande atq; inſigne decus, quod non de una tantùm aut altera natione fuerit inſtituta; verùm de omnibus, quæ toto orbe illis temporibus noſcebantur: Cujus generis hiſtoria cùm reliquas ejus formas tantùm dignitate*

gnitate ſuperet, quantum parte aliquâ ſui totum eſt præſtantius; iis cum difficultatibus eſt conjuncta, ut poſt hominum memoriam perquam pauci fuerint reperti, qui oneri tanto ſubire auderent; quorum autem humeris opus illud bene ſederet, pauciſſimi. Planè inuſitatam animi magnitudinem, & parùm vulgò conſuetum ingenii modum, præ ſe fert; qui univerſalis hiſtoriæ (qualem *Alfonſus X. Caſtellæ Rex* ſolitus optare) ſcriptionem πραγματικὴν aggreditur. Proprias verò laudes ejusmodi hiſtoriæ ſi commemorare velim, nimis longùm faciam. Et præclarè noſter hîc eâ ſuper re nonnulla operis ſui initio: *Vel illud quantum eſt, quàm admirabile? Poſſe aliquem mortalium illam Dei Ter Opt. Max.* πολυποίκιλον *& inenarrabilem ſapientiam (quæ non unam aliquam aut alteram regionem, ſed verò mundum univerſum regit ac temperat) quaſi veſtigiis perſequi, mente capere, & ſtylo enarrare? Quid de populis Orientis, quid eodem tempore de Occidentis Divina ſtatuat providentia? quid vel ſublevandis, vel premendis ad Aquilonem, Auſtrumve gentibus eadem decernat? Tot res, tàm varias, vel animo poſſe capere magnum ſit: quid componere inter ſe, in ordinem digerere, & in unius hiſtoriæ faciem concinnare? Hoc demum illud verò eſt, miniſtrum providentiæ Divinæ in terris agere.* Quem locum utut prolixiorem ideò afferre placuit, quòd prima Beſoldi verba de hiſtoria univerſali (nam iſtam præcipuè laudare voluiſſe, tùm è Synopſi ejusdem auctiore, tùm è ſequentibus cognoſcimus) pulcherrimè firmet, illuſtret, animisq; lectorum inſinuet.

Et quanquam, ut dixi, hiſtoriæ pragmaticæ laus ea propria eſt, & ad ejus potiùs lectionem nos exſtimulet, quàm ad compendia (in quibus nihil ferè quàm nomina legimus; quæq; apud eruditiſſimos Viros, & ipſum Caſaubonum in dicta epiſtola malè audiunt) tamen nec improbare poſſum illud *Quinctiliani* conſilium proœmio *lib. VIII.* Inſtitutionum: *Incipientibus breviùs ac ſimpliciùs tradi magis convenit; aut enim difficultate inſtitutionis tantùm numeroſæ atq; perplexæ deterreri ſolent, aut eô tempore, quô præcipuè alenda ingenia, atque indulgentiâ quadam enutriënda ſunt; aſperiarum tractatu rerum atteruntur.* Igitur nec aſtus Epitomatoribus pretium ſuum detraho, nec noſtro; dum ex antiquitatis Græcæ, Romanæ, aliarumq; nationum genuinis monumentis, non ex imperitorum, vel impoſtorum graveolentibus lacunis ſua propinant. Tunc in Ægyptiacum mihi palatum eſt; quod quale ſit, explicat Plutarchus in libro de Iſide & Oſiride p. 378. edit. Xylandrinæ: *Undevigeſimâ die primi menſis, diem Mercurio feſtum celebrantes, mel & ficos edunt, ſimul dicentes: γλυκὺ ἡ ἀλήθεια, dulce eſt veritas!* Quòd ſi nonnemini generoſâ quâdam aviditate plura expectanti ſterilior noſter videbitur, licet huic ſatisfacere videatur in Synopſi locupletiore, quam Ingolſtadienſes poſt mortem ejus publicârunt; id quidem Obſervationibus hiſce (quantum in me erit) efficiam, ne deſideria tàm æqua inſuper habuiſſe videam. Nunc propiùs ad Auctorem noſtrum. *Hiſtoria univerſalis,* inquit, *tractat res ante & ſub quatuor Monarchiis geſtas.* Nec abiit in Synopſi majore. Joa-

ſtonius

ſtonius pleraq; ſecans, non in partes, ſed in fruſta: *Hiſtoria Univerſalis continet res vel ante Monarchias, vel monarchicas; illaq́; vel antediluvianæ vel poſtdiluvianæ: Et deîn monarchicas à Nabuchodonoſore.* Mihi commodiſſima videtur diviſio in *antediluvianam* & *poſtdiluvianam*; omiſsâ illâ primâ, in antemonarchicam & monarchicam: Nam licet *Beſoldi* & *Jonſtoni* mentem ſatis capiam, ad magna illa *IV. Imperia, Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum & Romanorum* reſpicere; tamen quid opus potentiſſimas Monarchias, quæ fuerunt etiam ante diluvium, nihili facere? Tanta ſanè Babyloniorum fuit, ut nec feræ memoriâ poſteritatis exciderit; ſed hodieq; ſciamus, Monarcharum illorum antediluvianorum continuam ſucceſſionem. Quemadmodum mox oſtendam ad illa capitis ſecundi: *Antediluvium Imperii cujusdam poteſtate homines fuiſſe gubernatos, ex Chaldæo paraphraſte liquet.* Ut illa diviſio, de qua diximus, non haberi non poſſit incommoda.

Cæterum hiſtoriam antediluvianam ignorare ejus eſt, qui ſacras literas nunquam legit; ſed ad has ipſas commentari neque noſtrum eſt: Neque ſi eſſet, Theologiæ & Philologiæ ſacræ doctores eximii quicquam reliquum nobis feciſſent; quorum hic Rhodus, hic ſaltus fuit. At quando profanis Scriptoribus explicandis præfecti ſumus, fortaſſe non alienum erit, quam hiſtoriæ antediluvianæ notiam poſtdiluviani gentiles habuerint, Commentarii loco adducere. Creatum eſſe mundum à Deo Opt. Max. (cujus ab æterno ſit majeſtas) agnoverunt, & in lite-

tas miſerunt *Orpheus, Archelaus, Sophocles, Plato, Antiſthenes, Menander, Zeno, Cleanthes, Chryſippus, Archidemus, Poſidonius*; & è Latinis *Ovidius, Servius*, & alii; quorum loca jam obſervârunt *Paulus Merula Coſmographiæ part.I. lib.I. c.2. Voſſius lib. I. de Origine & Progreſſu Idololatriæ c.1. Lipſ. lib. II. Phyſiologiæ Stoic. diſſert. 8. & Hugo Grotius in notis ad lib. I. de Veritate Chriſt. Rel. p.232. & ſeqq.* edit. Pariſ. vel *p.18. & ſeqq.* edit. Lugd. Ubi multis teſtimoniis probat, vetuſtiſſimam apud omnes gentes famam ita habuiſſe, ut Moyſis ſcripta prædicent. Sed ut hodiè rerum arcanarum disquiſitionem libenter, quamvis cū periculo, ingredimur; ſic olim ad eruendum latens iſtud delapſi ſunt, & in varias partes ſe verſârunt: Quid ante creationem ſuprema illa mens agitarit? Quibus reſpondiſſe mihi videtur Seneca: *Jovem, ceſſante naturâ, acquieviſſe ſibi, cogitationibus ſuis traditum.* Epiſt. 9. Hoc explicat *Lipſius* è Claudio Victore:

Regnabatq́, potens in majeſtate creandi,
Et facienda videns gignendaq́, mente capaci
Secula diſpiciens; & quicquid tempora volvunt,
Præſens ſemper habens: immenſum mole beatâ
Regnum erat ipſe ſuum.

Nimirum Deo (in quo tempora diſparanda non ſunt,) nunquam defuiſſe occupationem, hæc, quæ fuerunt, & quæ inſtant, contemplandi. Jam hominem ipſum creatum è terra, *Varro* aſſerit apud *Nonium* in voce, *blitum.* Zeno Eleates apud *Diog. Laërtium lib. IX. p.647.* edit. Caſaub. Nec aliunde fluxit convenientiſſimum ſacris literis loquendi genus, *terram*

ram omnium matrem eſſe; quod eſt reperire tùm apud alios, tùm *Columellam lib. II. de Re Ruſtica, c. 1.* Facit hûc, quod refert *Livius lib. I. c. 5, 6.* cùm Lucius Brutus Titi & Aruntis Tarquiniorum Delphos miſſorum comes ex infimo ſpecu Apollinis Delphici vocem redditam accepiſſet, *imperium* è præſentibus juvenibus *ſummum Romæ habiturum*; *qui primus oſculum matri tuliſſet*. Tarquiniis Oraculum ſecus capientibus, illum terram oſculo contigiſſe, *quòd ea communis mater omnium mortalium eſſet*. Adde *Dionyſium Halicarnaſſ. lib. IV. c. 75.* Quamvis etiam, quòd omnia nutriat, hoc nomine adfectum eſſe, nullus diſſimulem; quæ ex *Homero, Heſiodo & Callimacho Grotius* obſervavit, huc pertinentia, videri apud illum poſſunt in dictis *notis p. 273. 274. 275.* edit. Pariſ. vel *p. 58. 60.* edit. Lugdunenſ. Vult ibidem memoriam *operis intra ſeptem dies* peracti, ſervatum non apud Græcos tantùm & Italos; ſed Celtas & Indos. Sed cum iis conferre te velim obſervationes *Caſauboni ad Tiberium Suetonii c. 32.* Hæc & alia, verbi gratiâ: *Verbo Dei facta eſſe omnia*: Tenebras luce priores: *Unum eſſe ſummum Deum rerum omnium cauſam*: *Vitam primorum hominum ſimpliciſſimam, ipſos nudos extitiſſe*: *Legem à Deo datam, ne edulibus arborum (ex quibus notitia boni maliq; animis eorum obreperet) veſcerentur*; *ſerpentem autem primitias generis humani malis ſuaſionibus illaqueâſſe*; quæ ibidem notavit Grotius. Item: *Aquam fuiſſe ante creationem rerum* (quod cenſuiſſe *Thaletem Mileſium* ſcribit *Cicero de Nat. Deorum lib. I. c. 10.*) & *antiquiſſimos illos vitam in*

multa ſecula produxiſſe; qua de re egimus *ad Valerii Max. lib. VIII. c. 13.* Item, *Gigantes fuiſſe ſtupendi roboris*; de quibus & ipſe non pauca notavi ad *Vellej. lib. I. c. 5.* & addi poteſt *Lipſius lib. III. Phyſiolog. Stoic. diſſert. 5. Grotius d. l. p. 242. 283 284.* edit. Pariſ. vel *p. 68. 69. 70.* edit. Lugdun. Hæc, inquam, uti per humanos animos minùs turbide profluxerunt, ſic aliæ hiſtoriæ primævæ pluribus per eosdem meandris errârunt impuriùs & decoloratione fœdiori ex admiſto fabularum luto.

Solitum Diabolo (connivente æterno Numine, quòd hiſtoriam Sacram & illibatam novit indicem dejectionis ſuæ, miſericordiæ divinæ, cultus veri & illiciti, quantum in ſe eſt) multis corruptelis & falſis traditionibus eandem inquinare, ac ſimplicitatem mortalium eò deducere, ut poëticè quàm hiſtoricè de antiquiſſimis rebus cenſeant diſſerantq́; accedente præſertim eorum, quos circumvenire ſatagit, *ignaviâ* & ſecuritate, dum *ultra memoriam ſuam ſita parùm ad ſe pertinere putant.* Legi apud *Guilhelmum Poſtellum in Coſmograph. c. 20. p. 152. 153.* in Oriente ultimo *quamplurimos Chriſti nomen ignorare, quantumvis baptizati ſint; paucos Nazaran à Nazareno ſeſe vocare poſſe. Qui ex iis veriſſimè locuti ſint, commemorâſſe ante mille quingentos annos Regem ex matre (quam pater nunquam contigiſſet) natum, in omni vita miraculoſum & potentiſſimum extitiſſe; qui juſſerit, ut virtus & ſanctitas toto in mundo coleretur, idola frangerentur; qui curaverit adorari unum Deum, ſed tres facies habentem.* Adjicit ibidem Poſtellus: *In tota inſula Giapan* ſtatuas

ſtatuas *maximè* tricipites, *& alias mulieris* puerum in ulnis *geſtantis imagines adhuc ævo ſuo extitiſſe*. En, hoc fabularum ſceleſtiſſimus architectus potuit in recentioribus; quid factum putamus antiquiſſimis? Igitur, quæ de *Adamo* ſacræ literæ nos docent, mutata ſunt in fabulas de *Saturno*: Quod vel ipſum nomen indicat. Nam cùm סָתַר, *ſatar* Hebræis ſit *latere*; quis non inde deprehendit hiſtoriæ veræ reliquias? cùm enim Adamus ab uxore in peccati conſortium pertrahi ſe paſſus eſſet, ac ſe videret tegumento deſtitui, pudore nuditatis angulum in paradiſo quæſivit: Hinc illæ *Saturni latebræ* per Poëtarum libros celeberrimæ. Ut hoc magis pateat, confer utriusq; natales: Adamus *Dei filius*, Evangeliſtæ; Saturnus *cœli*. Adamus *è terra*; Saturnus *tellurem matrem* habet. Cogita reliqua: *Imperium primum* habuit Saturnus; habuit & Adamus: ſed Adami fuit tale, ut *ignotæ* eſſent *appellationes ſervitutis & domini*, idem Saturni regnum apud *Juſtinum lib. XLIII. c. 1. §. 3.* hinc & *Saturnalia*, quibus ſervi, *veſte herili* ſumtâ, ſedebant ad dominicam menſam, Dominis præminiſtrantibus. Adamus *paradiſo* & immortalitate *privatus* eſt; Saturnus *regno*, & ſimul *aurea ætas* finem habuit. Conſulendus *Voſſius lib. I. de Idololatria c. 18. p. 139. 140.* Nec aliter apud Gallos veteres hiſtoria creati primi hominis latebat ſub obſcura fabula: Referebant ex ore Druidum, à *Dite Patre* prognatos ſe eſſe, ut ſcribit *Cæſar lib. VI. de Bello Gallico c. 18.* At *Dis*, ſive *Pluto*, tellus eſt, ubi verbis *Varronis lib. IV. de Ling. Lat.* omnia oriuntur & oboriuntur. Videndus idem *Voſſius lib. I. c. 35. p. 262.*

p.262. qui & *c.38.p.277.* rudera doctrinæ Veteris agnoſcit in illa majorum noſtrorum cantilena de *Tuiſtone* Deo, terrâ edito; & filio *Manno*.

Ipſe nunquam hactenus accedere, potui Scriptoribus noſtris, qui *Tuiſtonem* eundem faciunt cum *Aſſenez*, primogenito Japheti. Hoc quidam tantò confidentiùs affirmare ſuſtinuerunt, quò nihil tàm extra omnem dubitationis aleam poſitum judicârunt, quàm *Aſcenezem*, ſive *Aſcenam*, ſive *Aſchanazem* Germanorum patrem ac conditorem eſſe. Confirmabantur, quòd recentiores Judæi *Germaniam* אַשְׁכְּנָז, *Aſcenas*, nec non *Germanos* אַשְׁכְּנָזִים, *Aſcenazim* appellant: Et hoc volebant tradidiſſe ipſum *Joſephum lib. I. Antiq. c. 7.* nam ubi vulgò legitur: Ἀσχανάζης Ἀσχανάζας ᾤκησεν, οἱ νῦν Ῥηγῖνες ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων καλοῦνται. Id eſt: *Aſchanazes condidit Aſchanazas, qui nunc Rhegines à Græcis appellantur*; pro *Rhegines* reponebant modò Γερμανοὶ, modò Ῥηνογενεῖς, hoc eſt, *Rhenenſes*, vel *Rhenigenæ*. Quod quidem ſenſiſſe obſervavimus magnum illum antiquitatum Germanicarum Vindicem, *Marquardum Freherum in notis ad Petrum de Andlo ad præfationem*. Cæterùm hoc maximè invalidum erat: Aſchenazim ſunt gentes *minoris Aſiæ*, quæ Trojada, Phrygiam, Bithyniam, Æolidem, & tractus vicinos habitârunt: Horum pater & conditor Aſchanazes. Legendi *Paulus Merula Coſmogr. part. I. lib. III. c.14. Voſſius d. l. Abrahamus Ortelius in theſauro Coſmographico, in Aſchanaxi.* Ex quibus cognoſces, nimis infirmam eſſe ſententiam, quæ, velut certiſſima, Scriptorum noſtrorum animos inceſſit

inceſſit de Aſchanazc in terram, quam *Germaniam* dicimus, profectò, longiſſimè aberrant;

Et Ganimedeo confundunt omnia Regno:
Troica Teutonicis, & Rheni gurgite Xanton.

De vera origine noſtra dicam aliàs: Jam enim aliud agendum eſt, & *ab Adamo* deveniendum *ad* reliqua; & ipſius *ævi lapſusq;* atrociſſimi nimis involutam *memoriam*. Olim ad *Valerium Max.* notavimus, in Sacris Bacchicis exclamatum εὖα, ſimulq; monſtratum *ſerpentem*, quod non ab alio fonte manabit, quàm à lapſus hiſtoria. Sed & refert *Strabo lib. XV. c.715.* Oneſicritum, cùm ab Alexandro M. miſſus eſſet, ut Sophiſtarum, qui ſunt in India, ſapientiam perciperet; hæc accepiſſe à Calano: *Olim omnia plena erant triticeæ & hordeaceæ farinæ, ut nunc pulveris; fontes alii lacte, alii aquâ fluebant; nonnulli melle, alii vino, quidam oleo. Homines autem ob ſatietatem ac luxuriam Jovem contumeliâ quadam affecerunt: is præſentem ſtatum exoſus, omnia abolevit, & vitam per laborem degendam inſtituit.* Hæc profectò ſunt ex iis, quæ nos ſacra pagina docet, *de ſtatu primi hominis in paradiſo, de lapſu ipſo, de privatione ſummæ felicitatis.* Et hos maximè translucet ex iſtis verbis: *Et vitam per laborem degendam inſtituit*, quod eſt illud irati Dei apud Moyſen: *In ſudore frontis tuæ panem tuum comedes.* Huc etiam refert *Caſaubonus*, *boves Hyperionis Solis*, de quibus *Homerus Odyſſ. lib. XII. p.360. & ſeqq. edit. Giphan.*

Cainum non ignorabant Phœnices, & colebant ſub nomine, quod Græci reddunt, ἀγρότηρον, ἢ ἀγρότην, id eſt, agricolam, ſive ruſticum. *Vulcanum* eſſe

Thubal-

Thubalcainum, Lamechi ex Salla filium, non tàm ipſius nominis ſimilitudo nos docet, quàm quod de Vulcano ſcribit *Diod. Sicul. lib. V. c. 47.* Inveniſſe fabricationem ferri, æris, auri, argenti, & cæterorum omnium, quæ ignis operationem recipiunt: Hoc enim ipſum de Thubalcaino Moyſes commemorat. Eodem modo ſi comparamus, quæ Poëtæ de *Minerva* ſcribunt, & quæ de *Naama*, filia Lamechi, *Genebrardus in Chronicis* & alibi, *lanificium* & *texturam* ei deberi; non hæc diverſa videbitur ab illa. Legendus ſuprà laudatus *Voſſius lib. I. de Idololat. c. 17. p. 129.* ut taceam *Jubalem*, Thubalcaini fratrem, eundem haberi poſſe cum *Apolline, Muſices repertore*; & alia, quorum veſtigia obſcuriora ſunt.

Illud, quod ex ſacris literis *de univerſali diluvio* & interitu generis humani edocti ſumus, nimis longùm foret, ſi omnes gentilium hiſtoricos producere velim; qui loquuntur: Nimirum, cùm vindex Deus orbis primi ſcelera elemento aquæ ſepeliiſſet, non tàm facilè graviſſimæ pœnæ memoriam, quamvis ætas longiſſima, delere poterat: Durantibus præterea contra mortalium oblivionem multis & manifeſtis ſignis. Legimus apud *Camdenum in Britannia p. 592.* in deſcriptione agri, qui nominatur *Richmondshire*, in rupibus & montoſa collium eminentia lapides reperiri, & cochleas marinas & alia aquatilia; refuſi in omnem terram diluvii certa ſigna. Confirmandæq; ſententiæ mox adducit verba *Oroſii lib. I. c. 3.* Refuſo in omnem terram mari, immiſſoq; diluvio (cùm, toto orbe contecto, unum ſpatium cœli eſſet ac pelagi)

deletum

deletum fuiſſe univerſum genus humanum; paucis in arca, fidei ſuæ merito, ad ſubſtituendam originem reſervatis, evidentiſſimè veraciſſimi Scriptores docent. Fuiſſe tamen, etiam illi conteſtati ſunt, qui præterita quidem tempora, ipſumq; Auctorem temporum neſcientes, tamen *ex indicio & conjectura lapidum in remotis montibus, quos conchis & oſt reis ſcabros, ſæpe etiam cavatos aquis viſere ſolemus, conjiciendo didicerunt.* Quin ad annum Chriſti 640. extabant *arcæ reliquæ in Gordiæo monte*, quas (ſi credimus *Elmacino* Arabi) *Heraclius* Imperator propriis oculis luſtravit, cùm Perſas in Armenia vicina prælio viciſſet: Et *Omar*, qui Caliphatum adeptus eſt, anno Chriſti 643. de monte translatas, pro tabulato templi, à ſeſe extructi, adhibuit; ut ſcribit *Benjamin Itinerarii p. 61.* Qui & ipſe non tantùm Europam & Africam peragravit; ſed ad intimas, imò etiam extimas Aſiæ regiones, ſe penetràſſe profitetur. Obiit anno Chriſti 1073, ut è *Chronico Abrahami Zaconthi* docet *Conſtantinus L' Empereur.* Ut proinde erroris manifeſtus ſit *Haython Cilix* (alii *Armenum* crediderunt) qui ſuo tempore, id eſt, anno Chriſti 1300. in montis vertice ſpectatas fuiſſe tradit. Accedam ego *Guilhelmo Schickardo in Tarich, p.28.* ſeductum fuiſſe à plebis credulitate, quæ *nigellum apicem* inveteratæ *nivis* (quâ inacceſſus mons à multis ſeculis veſtitur) *pro putreſcente ligno* habuit. Nihilominus ab anno mundi 1657, quo Noah cùm novi mundi ſeminario arcâ egreſſus eſt, ad ætatem *Omaris* ſunt anni 2935. Ac per tantum temporis illud divinæ potentiæ monumentum in

oculis

oculis mortalium fuit; ut non mirer, per diverſarum nationum Scriptores diluvium celebrari. Sed quinam illi? jam indicavit *Beſoldus in Synopſi majore*; cui velim adjiciatur *Hugo Grotius in notis ad lib. I. de Veritate Relig. Chriſt. p.287. & ſeqq.* edit. Pariſ. ſive, *p. 73. & ſeqq.* edit. Lugdun. Videbis cum admiratione *columbæ* quoque *à Noacho emiſſæ*, Aſſyriorum Scriptorem *Abydenum* & *Plutarchum* mentionem feciſſe. Atque hæc notitia adjuvit improbum illud veterum gentilium acumen, dum *ad uſum caveæ navim* ædificarunt grandem, quæ ſolutilis eſſet; ac ſubitò laxata emitteret omne genus ferarum, pro arbitrio magiſtri temperantis, ut notavit *Lipſius in lib. de Amphitheatro c. 10.* ex illis *Dionis* in Severo: *Receptaculum autem omnium ferarum in amphitheatro extructum erat, inſtar navis; quæ capere ſimul & emittere poſſet ad feras quadringentas. Eâ autem deſubitò occultè ſolutâ exſiliebant urſi, leæ, pantheræ, leones, ſtruthiones, onagri, biſontes; ita ut ſeptingentæ feræ aut pecudes ſimul & currere viderentur, & occidi.*

Tamen & Noachi hiſtoriam Cacodæmon non minùs obnubilavit, quàm res Adami, ejusq; poſterorum; de quibus ſuprà diximus. Conſulendus *Goropius*, qui fabulam *Promethei & Apollinis Didymei* doctiſſimè explanat; omniaq; ad *Noam*, arcæ fabricatorem, refert apud *Freinshemium ad Curtii lib. VII. c. 3. §. 22. & c. 5. §. 28.* Hoc ipſum agit *Voſſius* in laborioſiſſimis libris de Idololat. gentilium. Nam *lib. I. c. 18. p. 141.* pulchrè reſpondit, quomodo *Noachus* adumbratus ſit in *Prometheo*, & *c. 19. p. 144. c. 25. p. 183.* quomodo

modo in *Baccho*, ſive *Libero*; & rurſus *c. 18. p. 140.* quomodo in *Saturno*. Et hic *alter* eſt *Saturnus*, cujus tamen res geſtas cum rebus *primi* licentia Poëtarum miſcuit. Habituri quoque ſumus *Saturnum tertium*; quemadmodum *plures* fuerunt, qui *Jovis* & *Herculis* nomen tulerunt; ſed quorum omnium omnia facta ſunt unius. Porrò & *Chamus*, Noachi filius, mutatus in *Ammonem* & *Plutonem*; *Japetus* in *Neptunum*. Adeundus idem *Voſſius d. l. c. 18. p. 141. & c. 19. p. 144. c. 25. p. 183. c. 26. p. 186.* De Japeto verò *c. 14. p. 118.*

Poſt diluvium (inquit *Beſoldus* noſter) *Noah filiis ſuis terram colendam diſtribuit. Japetus* natu maximus (ita vult *Paulus Merula part. 1. lib. III. c. 14. Coſmograph. p. 142.*) inſulas maris mediterranei, & totam Europam cum Aſiæ parte obtinuit: *Gomer* ejus filius reliquit *Aſcenam*, *Riphatem* & *Togorman*. Primus ubi conſederit, jam ſuprà dixi. *Riphates* Riphatæorum, hoc eſt, Paphlagonum pater eſt, ut Moyſis interpretem agens ſcribit *Joſeph. lib. I. Antiq. c. 7. Togorman* cum poſteritate ſua habitâſſe *ad Aquilonem*, conſtat ex *Ezechielis c. XXXVIII. v. 6.* ubi Togormæi latera Aquilonis deſcribuntur inter eos, quos *Gogus*, Syrarum gentium Dux, ſecum adverſus Iſraëlitas trahit ad bellum: Sed *Gomer* relictis iſtis in Aſia, ulteriùs progreſſus eſt; & ex aliis filiis, ut apparet, maximas gentes *Gallorum*, *Scytharum* & *Germanorum* condidit; ſuiq; nominis veſtigium paſſim inter eas reliquit. De Gallis apertè *Joſephus d. l.* quæ nunc Græci *Gallatas* vocant; *Gomarenſes* olim dictos: *Scythas* verò cùm eoſdem cum *Cimmeriis* faciant (vide præter alios

 Nice-

Nicephorum Gregoram lib. II. Hiſt. Roman. p. 15.) & Cimmeriorum nomen à Gomero profluxiſſe, *Camdenus*, *Merula* & alii agnoſcant; patet eundem *Gomerum ex Aſia ad Mæotidem paludem*, *Boſphorum Cimmerium*, & alia loca Scythis habitata, veniſſe. Atque ex hac Scythia, *officina gentium*, effuſa nationum agmina, quæ patriam noſtram impleverint, ſemper exiſtimavi; neque rationem nunc habeo, cur eam ſententiam rejiciam. Cùm enim *Alanos*, *Almanos*, *Suebos*, *Suobenos*, *Saſones*, *Chatas &c.* apud *Ptolomæum lib. VI. Geograph. c. 14. & 15.* reperiamus in deſcriptione Scythiæ; nonne antiquam patriam ſimul intelligimus? Ita ſuprà laudatus *Nicephorus Greg.* Cimbros & Teuthonas revera Germanos pro Scythis habet. Sed hanc opinionem maximè confirmat, quòd ſcribit *Busbequius Ep. IV. Legat. Turc. p. 257. & ſeqq.* Se (cùm ſæpius accepiſſet, *Scythas*, qui *Tauricam Cherſoneſum* incolunt, ſermone, moribus, ore deniq; ipſo, & corporis habitu, Germanos referre) *duos* ex illis *ad prandium* invitâſſe; alterum proceriorem, toto ore ingenium quandam ſimplicitatem præ ſe tuliſſe; alterum breviorem, & compactiore corpore, de lingua gentis interrogatum, multa Germanica reddidiſſe, ex quibus hæc aſcribit Busbequius: *Broë*, panis. *Plut*, ſanguis. *Stul*, ſedes. *Hus*, domus. *VVingaert*, vitis. *Reghen*, pluvia. *Bruder*, frater. *Schvveſter*, ſoror. *Alt*, ſenex. *VVinth*, ventus. *Silvir*, argentum. *Golz*, aurum. *Kor*, triticum. *Salt*, ſal. *Fiſct*, piſcis. *Hoef*, caput. *Thurn*, porta. *Stern*, ſtella. *Sune*, Sol. *Mine*, Luna. *Tag*, dies. *Oeghene*, oculi. *Bars*, barba.

Handa,

Handa, manus. *Boga*, arcus. *Miera*, formica. *Rinck*, annulus. *Brunna*, fons. *VVaghen*, currus. *Apel*, pomum. *Schieten*, mittere ſagittam. *Schlipen*, dormire. *Kommen*, venire. *Singhen*, canere. *Lachen*, ridere. *Criten*, flere. *Geen*, ire, &c. Hariolatur quidam Busbequius, *ex Germania* veniſſe *in Tauricam Berſoneſum*; ſed qui cogitat *Scythiam* & *Tauricam Cherſoneſum* viciniorem *Armeniæ*, unde in omnes terras coloniæ deductæ ſunt; & conferat, quæ Ptolomæus habet; in contrariam ſententiam iturus eſt, & *Germanos originis Scythicæ, non Scythas originis Germanicæ* putabit. Tamen & magna pars Germanorum *Gomarenſis*, id eſt, Gallos patres habet; verbi gratiâ, *Helvetii*, *Boi*, *Volſcæ*, *Tectoſages*, ut ex Cæſare & Tacito ſatis manifeſtum eſt. Sed prævalentibus Germanorum armis, ſæpe factum eſt, ut in Galliam rurſus tranſirent; qui primam ſedem vel in Gallis, vel in Scythis habuerant. Ab iisdem *Gallis* ſunt *Britanni*, quod non modò dicit *Tacitus in Agric. c.11*, ſed etiam illud arguit, quod ipſi ſe *Kumero* & *Kumeri*, mulierem Britannicam *Kumeres*, & linguam *Kümeræc* appellitant; quæ reliquiæ proſatorem Gomerum arguunt. Vellem jam de reliquis Noachi poſteris ex Japeto, Semo & Chamo, eorumq; ſedibus differere; ſed jam præter deſtinationem excrevit caput: Et præterea de iisdem dicendi nunquam in Obſervationibus iſtis deerit occaſio. Interim ne deſtitutus videâre, commendo præter alios de hoc argumento Merulam *Cosmogr. part. I. lib.* III. *cap. 14.*

CAPUT II.

Paraphraſtes Chaldæus quis? Filii Dei qui Geneſ. VI. v. 2? Potentes *dicuntur excellentes doctrinâ & eloquentiâ. Iidem & Reges. A paraphraſte & Beſoldo ſimul abſentimus, plerorumq; Theologorum ſententiam amplexi. Sethi poſteritas cur & ipſa diluvio perierit? Chaldæorum Monarchæ & Tyranni ante diluvium. Beroſus verus & ſuppoſititius. Nimrodus cur* potens Venator? *Idem & Orion. Neq; pater, neq; avus Nini. Annii Viterbienſis nugæ, quas Beſoldus ſequitur, exploduntur. Diverſi conditores Babyloniorum & Aſſyriorum, id eſt, ex diverſis familiis. Utriusq; familiæ inimicitiæ. Cætera textus Beſoldiani de Medo, Magogo, Moſcho &c. breviter explicantur.*

A*Nte diluvium* (inquit *Beſoldus*) *imperii cujusdam poteſtate homines fuiſſe gubernatos, ex Chaldæo paraphraſte liquet;* qui filios Dei Gen. VI. v. 2. *Principes* interpretatur, eosq; poſtea *Gigantes*, id eſt, *Tyrannos* procreaſſe refert. Paraphraſtes hic *Onkelos* appellatur, natus ſorore Titi Imperatoris, ut ex Hebræis & Latinis Scriptoribus ſeſe didiciſſe *Paulus Fagius* atteſtatur, *præfat. in dictum paraphr.* quod quia ratione ſolidâ refellere non poſſum, neque inficiari volo. Fuiſſe Tito & Domitiano nepotes è ſorore, conſtat è *Quinctiliani lib. IV. Inſtit. Orat. proœmio,*

mio, ubi ſcribit eosdem *curæ ſuâ demandatos*. Ex his unus fuerit Paraphraſtes, ſi verum eſt; quod aliorum ſecutus autoritatem, aſſerit Fagius. Quod ad rem, ipſam veritatem nos docere videretur Paraphraſtes, contra quam *Joſephus*, *Sulpitius Severus*, & alii; qui *angelos* propriè ſic dictos intellexerunt per *filios Dei*; ſi quidem cum *Symmacho* per *Potentes* & *Magnates* intelligeret *poſteros è ſanctis*, veræ doctrinæ potentiâ jure meritô æſtimandis. Ita paraphraſtis mentem explicare conatus eſt *Andreas Rivetus in Geneſ. Exerc. L.* quo ferè ſignificatu δυναστείαν Oratoribus tribuit *Longinus*, & *potentiam* Latini paſſim. Inſcriptio ſtatuæ, cujus meminit *Vopiſcus* in Numeriano p. 251. NUMERIANO. ORATORI. TEMPORIBUS. SUIS. POTENTISSIMO. Meſſalam Oratorem *potentiſſimum* laudat *Capitolinus* in Maximino p. 149. Elegantiâ pari βασιλεῖς Græci dicunt, doctrinâ præſtantiſſimos. Inſcriptio Statuæ apud *Eunapium* in vitâ Proæreſii p. 123. Η ΒΑΣΙΛΕΥΟΥΣΑ ΡΩΜΗ ΤΟΝ ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΑ ΛΟΓΩΝ. *Regina Rerum Roma Regi eloquentiæ*. Dedicatio ſtatuæ Regillæ, conjugis Herodis Attici, ad urbem Romam effoſſa, ſed cum jam Gruterus æternum opus edidiſſet: ΕΛΛΑΔΙΔ ΟΥΤΕ ΓΕΝΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΤΕΡΟΣ ΟΥΤΕΤΙ ΦΩΝΗΝ. Quem verſum ita verto: *Nemo ore, aut ortu regalior Hellade totâ*. Eodem modo, ſi Potentes, ſive Principes Dei filios figuratè dixiſſet Paraphraſtes, audirem illum; ſed noluiſſe hoc, indicant ſequentia. Quos enim opponit Magnatum filiis? non Caini progeniem, ſed *uxores ex omnibus*, quæ placue-

runt, id eſt, cujusvis conditionis fœminas, *vulgares, plebejas*. Igitur propriè ac civiliter accepit vocabula, non figuratè. Nos minimè dubitamus, quin textum biblicum explicârint veriſſimè, qui *Dei filios* interpretantur *Sanctos*, id eſt, *poſteritatem Sethi*. Ea cùm primùm ſtirpis Cainicæ matrimoniis contaminari nollet, poſtea illaqueari ſeſe paſſa eſt, & earum nuptias ambiit; quæ mores idololatricos, ceu dotem, ſecum afferunt. Nimirum occurrit Moyſes pòſt futurorum curioſis quæſtionibus; quibus ex cauſis, excepto uno Noacho, etiam tàm latè per orbem terrarum diffuſa Sethi, tàm ſancti Viri poſteritas, diluvio abſorpta fuerit? & docet, quòd & ipſa nefarius affinitatibus ſeſe polluerit. Ab hâc ſententiâ cum recedat Chaldæus, qui per *filios Dei* non *Sethi poſteritatem*, ſed *Magnates* (ſive illi ſint è Sethi ſive Caini poſteritate) neque per *filias hominum* uxores è Caini ſtirpe, ſed quasvis intelligit; & verò paraphraſtæ mentem admittere videatur Beſoldus, hîc quidem dexteras jungere non poſſumus. Quod à nobis dictum eſt, aſſeruerunt, non tàm recentiorum temporum eximii Theoſophi, quàm nonnulli Scriptores Veteres; è quibus eſt ille apud *Suidam* in ΣΗΘ, *Seth*, Adami filius; de hoc illud dictum eſt: Ingreſſi ſunt filii Dei ad filios hominum & Cainicæ ſtirpis. *Deum* enim *Sethum* illius ætatis homines appellabant, tùm ob rerum cœleſtium ſiderumq; cognitionem & ſcientiam, tùm ſummam pietatem, & juſtitiam & ſanctitatem. Meritò igitur *Sethi, Enochi, Enoſi liberi, filii Dei dicti*; qui capti amore filiarum Caini, inceſtas cum illis nuptias copulârunt;

ex.

ex quibus nati etiam *Gigantes*. Quamvis (ne quid hîs diſſimulem) non tàm Dei nomen ad Sethum referre malim, quàm ipſum Deum, quod & *boni & juſti* aliàs in ſacris literis *filii Dei* nominentur; quæ magnorum Theologorum ſententia quoq; fuit. Auctor *Chronici Alexandrini* pag. 49: *Hi ergò filii Seth damnatis Caini filiabus adhæſerunt; Numinisq; iram in ſe provocârunt. &c.* Sanctus *Methodius*, quem *Raderus* laudat in Animadverſionibus ad dict. Chronicum p. 21: *Diſtinctæ erant generationes ab invicem, & Seth poſteritatem ſuam tranſtulit in quendam montem; qui proximus erat paradiſo. Sed Cain, & ejus domus, habitavit in campo; in quo nefandum fratris homicidium perpetravit.* Et mox: *Malignus & infeſtus Diabolus bellum fornicationis adjunxit filiis Seth, ut concupiſcerent filias Cain; & profuſi Gigantes apparuerunt.* Et quis omnes commemoret? Miror ſanè tàm à clarâ, multorumq Theologorum ſententia *Beſoldum* abire voluiſſe ad teſtam illam paraphraſtæ! At in ſequentibus non diſſentio, ubi *Gigantes* interpretatur *Tyrannos*: Non enim Moyſes tàm *ad corporis proceritatem*, quàm *ſævitiam, injuſtitiam, impietatem*, & graſſandi libidinem reſpicit. Vult dicere: *Cùm Caini domus ea monſtra primùm dediſſet, dabat jam & Sethi domus; poſtquam Caini filiabus juncta, propinquitatis venenum imbibit.*

Sed quoniam ſuprà Tyrannorum & Monarcharum potentiſſimorum apud Chaldæos ante diluvium univerſale continuam ſucceſſionem promiſi, ecce jam illam ex *Apollodoro*, vel *Beroſo* potiùs, quem A-

pollodorus exſcripſit. Primus fuit *Alorus*, ſecundus *Alaſparus*, tertius *Amilon*, quartus *Alemon*, quintus *Metalarus*, ſextus *Daorus*, ſeptimus *Ædorachus*, octavus *Amphis*, nonus *Odioites*, decimus *Xixurthrus*. Hi ob potentiam celeberrimi fuerunt. *Fragmentum* hoc Apollodori, ſive Beroſi *Euſebio* Græco inſeruit *Joſeph. Scaliger*, quem videbis *p. 5.* Ubi & alterum de iisdem ex *Abideno* promit.

Beroſum verò cùm in Antiquitatibus laudamus, intelliges antiquum illum *Sacerdotem Beli*; qui ſub Antiocho & Seleuci Nicanoris nepote, ſcripſit *de rebus Chaldæorum & Regibus libros III.* Sub ejus nomine circumfertur vulgò libellus, quem olim ſecutus eſt etiam Beſoldus noſter, ut mox dicam; ſed in eo vana ſunt pleraq; omnia putidaq́;, & in ipſo Commentatore mendaciorum plauſtra meræq; Viterbienſium nugæ. Præter *Chaldæos* Monarchas, etiam *Arabes*, & *Ægyptios* multi recenſent: & auctor eſt *Benjamin Itinerari p. 124.* Se, cùm *Alexandriam* veniſſet, non procul inde conſpexiſſe *marmoreum ſepulchrum*, cui omnia avium, aliorumq; animalium genera inſculpta erant, cum inſcriptione veteri; quam legere nemo poterat: Fuiſſe conjecturam, *Regem* quendam *antediluvianum* ibi ſepultum; ſed huic narrationi parum aut nihil tribuendum eſt. Credam ego faciliùs, pyramidem eſſe poſtdiluviani Regis, inſcriptam hieroglyphicis.

Nunc cætera exequemur in Beſoldo noſtro: *Poſt diluvium*, inquit, *novorum Gigantum auctor Nimrod, Noæ pronepos, ab aliis etiam Saturnus dictus*

(potens

(*potens* Venator *coram Domino*) *Babel ædificare cœpit.* Hic eſt *tertius Saturnus*; & quod Beſoldus ait, idem confirmat *Eupolemus* apud *Euſebium lib. VI. Præp. Evangel. c.4.* Quod *potens venator* dicitur, inde eſt, quod ut homines feras, ſic ille venatus ſit homines. Unde etiam (quemadmodum in *Chronico Alexandrino* legimus) in ſidera à Perſis relatus, & *Orion* dictus eſt. *Belum* quoq; fuiſſe appellatum, ita probat *Voſſius, lib.*I. *de Idol. c.24.p.180.* quod conditorem Babylonis Gentiles vocant Belum: At *Babylonem* condidiſſe. *Nimrodum*, conſtare è ſacris literis. Hinc I*dem d. l. c.16.p.125.* Ninum facit Nimrodi filium, quòd & ipſe Beli filius deſcribatur. *Tertulliano de Pallio c.2. Euſebio initio Chron. Hieronymo in Oſeæ c.* II. poſſum addere *Auguſtinum lib.* XIII. *de Civ. Dei, c.2. lib.* XVI. *c.3.* Beſoldus ſcribit, *Nimrodo* ſucceſſiſſe filium *Belum*, qui omnem agrum in *Sarmatiam* usq; *Europæam* occupârit; ac reliquiſſe Ninum, quæ ſunt ipſiſſimæ nugæ Viterbianæ; quarum nos piget pudetq;. Sed præivit Beſoldo *Sleidanus, & Fabritius ad Oroſii lib.* I. *c.4.* cum aliis quàm plurimis. Videtur tamen in Synopſi majore corrigere ſeſe voluiſſe, cùm ait *Aſſuram, qui Niniven condidit, eundem cum Nino.* Quòd ſi Ninus idem cum Aſſura, Semi filius, & Noachi nepos eſt; at Nimrodus Chami ex Chuſo nepos, Noachi pronepos. Sanè Scripturæ veſtigiis hîc inſiſtendum eſt; quæ cùm *diverſa* faciat regna *Babyloniorum* & *Aſſyriorum*, diverſosq; conditores, hujus *Aſſuram*, illius *Nimrodum*; ne miſceamus diverſas domos. Quid? quòd alii Scriptores, dum diſſidium &

ſimultates illis temporibus memorant inter Aſſyrios & Babylonios, ſimul Ninum à Nimrodo Babyloniorum Rege deſcendiſſe negare videntur. *Diodorus Siculus lib. II. Bibl. c. 1:* Ninus *Aſſyriorum Monarcha, Arabum ſubſidio inſtructus, numeroſo cum exercitu finitimos ſibi Babylonios invaſit, Regem eorum debellavit, cum liberis captivum abduxit, & interemit.* Adde *Africanum* apud *Calviſium*, anno mundi 1878. Id eſt, quod ſcribit *Auguſtinus*, viciſſe Semi poſteritatem, regnum Gigantis illius obtinuiſſe.

Ut manifeſtius fiat, quod diximus, Ninum Asſyriorum Monarcham primum, nihil ad Nimrodi domum pertinere; adire te volo *Julii Africani* fragmentum in *Euſebii Chronico Græco p. 14.* Reperies *Evechoo* (quem eundem cum *Nimrodo* facit) ſucceſſorem fuiſſe non Ninum, ſed *Chomusbolon*: Tertium Babylonis Regem *Poron*: Quartum *Nechuben*: Quintum *Abion*: Sextum *Oniballon*: Septimum *Zinziron.* Hunc ſuſtulerunt Arabes, nec quicquam ultra in Babylone regnavit, usque ad *Nabonaſarem.* Magno profectò veritatis & literarum bono fragmenta hæc conſervata ſunt; ſed nihilominus repertus eſt *Dionyſius Petavius*, qui *Ratiocinarii Temporum part. I. lib. I. c. 2.* fabulæ, quàm vero, propiora diceret: Nos validius aliquid ſuſpicione ac præjudicio requirimus. Cur inter fabulas referret, nullam cauſam reperire potuit *Joſephus Scaliger*; qui eo fuit ingenio, ut fucum ſibi fieri, à quocunq; tandem verſutiſſimo veteratore & mangone non facilè pateretur: Recenſet ille *lib. II. Canon. Iſagogic. c. 2. p. 131.* hos ipſos Reges & agnoſcit

pro

pro Nimrodi ſucceſſoribus. At meritò; nam in examinando hoc genere, oportet eſſe ſuſpicionum quàm continentiſſimos, diſpicere πρόσσω καὶ ὀπίσω, & ratiunculis ad forcillandam antiquorum fidem non nimium tribuere; quamvis inaudita nobis, nec viſa lectáve alibi contineant. Cumprimis *Julium Africanum*, auctorem præſtantiſſimum (è quo Euſebius depromſerat, quicquid luculentum, vetuſtum, excellens hodieq; in illo ſupereſt) ipſe *Diodorus Siculus* juvat verbis moto citatis. Dum enim Babylonicum Regem occiſum ſcribit à Nino, quem Arabes adjuverint; elucet illud, non poſſe Ninum, dici Nimrodi è Belo nepotem, vel tertium Regem Babylonis: Hoc enim ſtante, quem occidiſſet? an Belum patrem? an Nimrodum avum? atque ita domnm ſuam impiè peſſundediſſet Ninus. Cui, quæſo, hæc non videntur abſona, inepta, ſtulta? ſi quidem ratiocinari & conjecturas eruditas à commentis futilibus ſecernere novit. Idcircò hoc etiam manifeſtum ſit, alios Reges in Babylone regnâſſe poſt Nimrodum, quàm quos hodiè nobis obtrudere conantur; & valdè opportuna docere Africanum, referendo illos ipſos. Ergo nec illud in obſcuro, uti adverſas, ſic diverſas, fuiſſe Nimrodi & Nini domos. Dico autem, *Ninum* videri è *Semi poſteris*: Nam cum *Aſſuras*, Semi filius, *Aſſyriorum* ſit *pater*, Nini urbis conditor (ut ſacræ literæ volunt) an ex aliâ gente ſit Ninus, qui iisdem Aſſyriis orbis terrarum imperium peperit? Cyrus Perſa Perſis, Alexander Macedo Macedonibus, Julius Cæſar, vel Auguſtus, Romani, Romanis eandem potentiam, idem

idem decus aſſeruerunt at hic unus è Chami poſterita-te, eâdemq; maledictâ in tantum extollit Aſſyrios ortos aliunde i.e. poſteritatem Semi? Nonne hîc quoque intelligamus abſurditatem novam? at, quod dixi, non ex hâc tantùm ratione dixi; ſed id ipſum confirmavi ex Auguſtino, qui ait: *Viciſſe poſteritatem Semi, & obtinuiſſe Regnum Gigantis illius.* Reſpicit ad bellum Nini cum Babyloniis. Si hæc minimè ſatisfaciunt, ſuadeo, ſimul conſulatur *Auctor Chronici Alexandrini p. 84.* ubi ex familia Semi proſatum ſcribit *Cronum*, Nini Patrem, *Belum* Croni, è *Pico* Jove nepotem; & ipſum Regem Aſſyriorum, anteceſſorem Nini. Adeò Sol veritatis in Scriptoribus, ſi non toto vultu & corpore, ſaltem per partes & velut radios emicat. Et quamvis de *Auctore Chronici Alexandrini* verè judicârit *Reineſius II. variarum. 17.* fuiſſe *hominem plebejum & illiteratum*; tamen bonos Auctores excerpſit & compilavit: Et inter ea (quæ Scriptori non malo ſuffuratus eſt) numeramus illud, quod adduximus.

Hæc cùm ita ſint, ſimul à *Voſſio*, qui Ninum fecit Nimrodi filium; & aliis, qui ſtatuerunt idem (ut *Dionyſius Petavius d. l. & Andreas Rivetus in Geneſin Exercit. LXV.*) ſeceſſionem facimus. Argumentum profectò nimis fragile: quia Belus idem cum Nimrodo, & Ninus Beli filii; ergo Ninus Nimrodi filius. Poſtquam enim voculâ *Baal* & *Bel* (quâ primùm ſummum omnium rerum Creatorem, unum & verum Deum appellârunt) ad conſecratorum Regum nomina abuti cœperunt, quàm plures exorti ſunt *Beli*, ut apud

apud Romanos *Divi*; ut cujus Beli filius, primine an alterius Ninus exiſtimandus ſit, certò conſtituere nequeas. Nec majoris momenti, quod cum aliis putavit *Lipſius, lib. II. Monit. & Exempl. polit. c. 1. monit. 1. Ninum* eundem eſſe cum *Nimrodo*, ſcilicet quia alludit *primâ ſyllabâ.* Nam præter alluſiunculam aliæ quoque rationes debebant accedere; quas nunc habemus aut nullas, aut infirmas. Cætera quæ de Nini ætate ac rebus geſtis dicenda ſunt, afferam *ad caput ſequens.*

Quæ ſequuntur in Beſoldo: *Poſthæc* (ſcil. Nimrodus) *Aſſurem, Medum, Magogum & Moſcum Principes coloniarum huc illuc miſit, qui regna ſui nominis conderent; Aſſyrium, Medum, Magogum, Moſcum.* Hæc, inquam, pleraque ſunt nihili nata è cerebro *Annii Viterbienſis*; qui præſcribendo Beroſi nomen nugis ſuis antiquitatis famam parare cogitabat illaudabili artificio, & plebejis tantùm animis illuſuro. Quod ipſum tandem agnovit *Beſoldus*; & ut alia, ſic hanc ipſam impoſturam averſatus eſt in Synopſi majore. Quis credat, aut quis illi narravit, Nimrodum Noachi pronepote à Chamo natu minimo, Aſſurem, Noachi nepotem, è Semo miſiſſe; ut regnum ſui nominis conderet? Quis idem credat de *Madai & Magog*, Japeti filiis; & *Meſchek*, Japeti è Javano nepote; quos ille Medum, Magogum & Moſchum appellat.

Magogus nominis ſui memoriam reliquit in Cœleſyria, *Plinius lib. V. c. 23.* Quæ alio nomine *Hieropolis*, Syris *Magog* dicitur. Vide plura huc pertinentia apud *Paulum Merulam Cosmogr. part. I, lib. III. c. 14.*

c.14.p.144. Idem *Scythicas* quasdam *gentes* condidit; ut Gomerus, de quo modò diximus. Hujus ſententiæ fuit *Joſephus*; quod ſecuti ſunt *Hieronymus in Geneſ. cap. X.* & *Theodoretus*. Ab his ipſis *Ungri*, ſive *Ungari*; qui propterea ſe *Magyar* indigitant, quamvis alii nomen deduxiſſe ſcribant à *Magore*, ſive *Moagore*; qui Juſtiniano imperante Princeps *Unnorum*, Boſphoro vicinorum, in Chazariâ fuit; & *Gordam* fratrem (quod Chriſtianam religionem amplexus, Unnorum ſimulacra comminuta conflâſſet) regno ſpoliatum occidit; quod *Cedrenus* commemorat. Sed prioris ſententiæ fuit *Johannes Antonius Maginus Geogr. part. II.* in deſcriptione *Tranſſylvaniæ num. 26.* cùm ait: *Hungari in maternâ linguâ ſe* Magyar *vocitant, quaſi dicant* Magog; *qui filius erat Japhet. Huic ſententiæ B. Auguſtinus adſtipulari videtur.* Hæc Maginus. Ipſe tamen Hunnorum Rex *Attila*, pernicies orbis Romani, aliarumq; multarum gentium, *à Nimrodo* genus ſuum deducebat. Notus ille feralis titulus: Attila Mundizici filius (alii habent, *filius Bendegucz*) magni Nimrodi nepos, nutritus in Engaddi, Dei gratiâ Rex Hunnorum, Medorum, Gothorum atq; Dacorum, pavor orbis, & flagellum Dei. Legi Scriptores, qui Hunnorum Ducum ſeriem à Noacho ad Attilam, & ejus ſucceſſorem hoc modo recitârunt: 1. *Noah.* 2. *Cham.* 3. *Chus.* 4. *Nimrod.* 5. *Hunnus*, vel *Hunnor.* 6. *Bor.* 7. *Dama.* 8. *Keleed.* 9. *Keve.* 10. *Kear.* 11. *Beller.* 12. *Kadar.* 13. *Othmar.* 14. *Farkas.* 15. *Bondofard.* 16. *Buken*, 17. *Czanad.* 18. *Rudbi.* 19. *Beztur.* 20. *Mike.*

20. *Mike.* 21. *Miske.* 22. *Ompud.* 23. *Kulcze.* 24. *Levente.* 25. *Lehel.* 26. *Zamur.* 27. *Zambur.* 28. *Bolug.* 29. *Boczu.* 30. *Zoltan.* 31. *Berend.* 32. *Kadicza.* 33. *Opos.* 34. *Ethei.* 35. *Szemcin.* 36. *Turda.* 37. *Bendegucz.* 28. *Attila.* 39. *Chaba.* 40. *Ed.* 41. *Ugek.* 42. *Eleud.* 43. *Almos.* 44. *Arpad.* 45. *Zoltan.* 46. *Toxus.* 47. *Geyza.* 48. *Stephanus Rex.* Hæc nec rejicere mihi animus, quod tradita videri poſſint per illud annalium genus; quod majorum noſtrorum fuiſſe narrat *Tacitus de Germ. c. 2. §. 3.* & æſtimat *Berneggerus diſput. de Hungar. th. 125.* nec pro genuinis oſtentare, cùm adulantium Scriptorum *communis morbus* ſit, in gratiam ſuarum nationum primorum Ducum origines, non tantùm ab ipſo Noacho (in quo nihil abſurdum facerent, dum reliquias generis humani ex Noacho Patre Gordiæo monti adhæſiſſe tempore diluvii, ex Sacra Scriptura certum ſit) ſed & continuam ſeriem contexere; & omnes *lacunas religioſè explere nominibus, quæ non niſi per ſomnium viderunt.* Quòd ſi tamen Attilam & Hungaricarum rerum Scriptores vanitatis ſuſpectos habere prohibemur, dicendum erit, *mixtos* fuiſſe *Japheti & Chami poſteros*; & plerosq; fuiſſe ab illo, quosdam Principum ab iſto.

Porrò eadem *Turcarum* origo, & hodiernorum Imperatorum Turcicorum perpetuam *à Japeto* ſeriem videre eſt apud *Leunclavium lib. II. Hiſt. Muſulman. p. 90.* & in *Pandectis Turcicis p. 99.* Sed prudenter ibidem adjicit: *Cùm* ab Ertogrule, *Oſmannis patre, continuam majorum ſeriem commemorant* ad

Japetum

Japetum *usque, haud dubiè ſe temeritatis arguunt, pàrùmq; pudentis arrogantiæ; qui à barbaris & literarum prorſus ignaris oriundi, animis ſuis audeant Regibus gloriam continuæ ſucceſſionis inde usque à primitivis illis ſeculis affingere; quam ſolis exceptis Hebræis, nulla cæteroqui mortalium natio, licet antiquitus locorum & hiſtoriæ beneficio nobilitatà, vindicare ſibi unquam potuit.*

De *Madai*, Medorum patre; & *Meſchek*, Moſchorum, adeundus *Merula*, toties citato loco. Sed in iſtorum annalibus miras etiam fabulas reperire licet: Nam qui ſuperiore ſeculo rerum Moſcoviæ potiti ſunt, generis ſui primordia *ad Romanos*, & *Auguſtum* retulerunt. Hunc ajunt *fratres* aliquot *habuiſſe*, & ex hisce *Bruſſum* ad mare Balthicum conſediſſe; & ab hoc non interrupta ſerie monſtrant majores ſuos, quæ nemo tàm compoſitæ mentis eſt, quin videat.

CAPUT III.

Ninus quo tempore regnare cœperit? Ejus res geſtæ. Antiquior Vexore, & in eâ re Iuſtini error. Vexores idem cum Seſoſtride Taciti, ſive Sacerdotis Ægyptii, narratio contra Lipſium defenditur. Seſoſtridis ætas. Semiramidis res geſtæ. Multæ fabulæ de Venere ad illius hiſtoriam reductæ. Aſſyriorum Regum ſucceſſio à legitimis Scriptoribus. Annianæ nugæ, quas Beſoldus ſequitur, rejiciuntur. Aſſyrii & Babylonici regni ſtatus aliquot ſeculis

poſt

poſt Sardanapalum. Utriusq; Regni Reges recenſentur.

DE *Nino* verba facturis ante omnia ſciendum eſt, quo tempore Monarchiam exorſus ſit? tùm & certi erimus, num ſit ille, quem Scriptura vocat *Aſſurem?* Illud autem ut eruatur, de annis, quibus Aſſyriorum imperium ſtetit; & ultimo, quo Sardanapalus interiit, inquirendum eſt. *Scaliger lib. II. Canon. Iſagog. p. 132.* Aſſyriorum Reges fuiſſe ſcribit *unum & quadraginta.* Regnaſſe annos 1484. & *lib. III. p. 314.* ubi de mendis Oroſianis diſputat, Sardanapalum occidiſſe vult annis 67. ante Romam conditam. At *Romæ natalis* incidit in annum mundi 3198. Hoc modo regnum Aſſyriorum cœpiſſet anno mundi 1647, decem annis ante diluvium univerſale; quod dictu abſurdum eſt. Nos ex parte *Calviſii* calculum ſequimur, juxta cujus ſententiam regnum Aſſyriorum in Sardanapalo finitum eſt anno mundi 3077. At hoc ſtetiſſe 1300. annis, auctor eſt *Juſtinus lib. I. c. 2. §. 13.* à quo non multum abeunt alii; quamvis modò plus, modò minus dicant. Ergo primus Aſſyriorum Rex ferè cœpiſſet 120. annis poſt diluvium; quæ opinio ſi locum habet, vel ipſe *Ninus Aſſur* erit, Noachi è Semo nepos; vel *Aſſuris filius:* In quam ſententiam magis inclino. Atque ita *Aſſur idem cum Belo* illo, quem *Nini patrem* multi aſſerunt Scriptores.

Nini res geſtas fuſè deſcribit *Diodorus Siculus lib. II. Biblioth. c. 1. & ſeqq.* cum Ariæo Rege Arabum ſocietate initâ Babylonios debellaſſe, Barzanem Armeniorum Regem in ordinem coëgiſſe: Pharnum

Medorum Regem viciſſe, Ægyptum, Phœnicem, Cœleſyriam cum Cilicia, Pamphylia, Lycia; & præter has Cariam, Phrygiam, Myſiam & Lydiam; Troadem quoque ad Helleſpontum, cum Propontide, Bithynia, Cappadocia & barbaris ad Pontum gentibus, usque ad Tanaim; Caduſiorum etiam terrâ & Tapyrorum; nec non Hyrcanis, Dacis, Derbicibus, Carmaniis, Choramnæis, Borcaniis & Parthis: Adhæc Perſiam & Suſianam ſubjugâſſe: Ultimum opus fuiſſe expeditionem contra Bactrianos. Adjicit ibidem, in ejus exercitu fuiſſe decies ſepties centena peditum, ac ducenta & decem equitum; eoq́, curruum falcatorum millia. Sed hoc ibidem docet è *Cteſiâ*, ſcriptore nugaciſſimo; quem *Plutarchus* alicubi benè depectit, ac deſtringit. Quis credat, ſub initium renati mundi, tot millibus circundatum fuiſſe unum Regem? Profectò *fœcundior fuit Cteſiæ calamus, quàm ipſe mundus, utut fœcundiſſimus.*

Ait etiam *Juſtinus lib. I. c. 1. §. 6.* fuiſſe temporibus antiquiores *Vexorem Ægypti*, & *Scythiæ* Regem *Danaum*; quorum alter in *Pontum*, alter usque *Ægyptum* exceſſerit. Quod quamvis non ſolus dicat (nam hoc ipſum etiam reperire licet apud *Agathiam lib. II. p. 48.*) fidem tamen non meretur. *Vexores* ille non alius à *Seſoſtri*: Nam de hoc ſolo Ægyptiorum Rege certum eſt, quod *Juſtinus* ait, in *Pontum* usq; exceſſiſſe. *Diod. Sic. lib. I. Bibl. c. 55.* Seſooſim, *Herodotus* in Euterpe Seſoſtrim; Manethon apud *Joſephum lib. I.* contra Apionem Seſothin. Et ex ejusdem Manethonis mente, Græci Ægyptum, ejusq́

ejusq; fratrem Danaum; *Tacitus lib. II. Ann. c. 6.* Ramſen, alii Rameſſen appellant.

Lipſius fabuloſa credidit, quæ Tacitus narrat de Ramſe, Lybiâ, Æthiopiâ, Medisq́, & Perſis, & Bactriano, & Scythiâ potitum; quasque terras Suri, Armeniiq́;, & contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycinum ad mare imperium. *Quod verbum nunquam illi excidiſſet, ſi tàm diligens fuiſſet in Ægyptiaca hiſtoria, quàm fuit in Romana.* Eſt enim omninò *Ramſes* ille *Taciti* idem cum Seſoſtri, quod ex *Euſebio* & *Manethone* clariùs apparet, dum ſcribunt, tria nomina tuliſſe Regem illum; vocatumq́; *Seſothin* (ſive *Seſoſtrin*) *Ægyptum*, *&* *Rameſem*: At quoniam Veteres nemo reprehendere, vel mendacii arguere auſus eſt, eandem potentiam adſcribentibus Seſoſtri, neque Taciti vel Sacerdotis Ægyptiaci fidem hîc in dubium vocare fas eſt.

Nec hic offendere nos debet, quod *Græci* plerique; *Seſoſtrem ſemper felicem, ſemper triumphantem* faciunt. *Juſtinus lib. II. cap. 3. §. 13.* Vexorem ſuum fugientem è Scythia, exercitu ſuo cum omni apparatu bellico relicto: Nam hoc ipſum de Seſoſtri canit *Valerius Flaccus lib. V.*

- - - - cunabula gentis
Colchidos hic ortusq; tuens, ut prima Seſoſtris
Intulerit Rex bella Getis; ut clade ſuorum
Territus, hos Thebas, patriumq́; reducat ad amnem
Phaſidis; hos imponat agris, Colchosq́; vocari
Imperet.

Cum igitur *Vexorem* Juſtini *eundem* eſſe ſciamus *cum*

Seſoſtride ; ſtatim & illud translucet, *Nino* illo antiquiſſimo longè *poſteriorem* eſſe: Quamvis quo tempore Seſoſtris vixerit, certò definiri nequeat. Quod ſi de eo nobis conſtaret, Seſoſtrim Ægyptum eſſe, Danai fratrem (& ſunt profectò, quæ *Manethonis* & *Euſebii* aſſertionem hâc in parte confirmant, v. g. cùm, quæ de inimicitiis Ægypti & Danai fratrum tradunt *Poëtæ Græci* ; de Seſothios & Armais ex Ægyptiorum libris *Manethon*, eadem ferè de Seſoſtri narret *Diodorus lib. I. Bibl. c. 57. & Herodotus in Euterpe)* per accuratam ſupputationem generationum, collatam cum annis (quibus Danai poſteri Argivorum regno præfuerunt) colligeremus incidiſſe Seſoſtris hujus ætatem in annum mundi 2475. Certè & *Euſebius*, quæ *Aëria* prius Græcis diceretur, circa hæc tempora *Ægyptum*, ab Ægypto tunc regnante, appellatam eſſe, auctor eſt: Atque ita non diu vixiſſet poſt exitum Iſraëlis ex Ægypto, Moyſe adhuc ſuperſtite. Tamen *Joſephus* in lib. Antiquitatum, *Seſacum*, qui anno mundi 2974. templum Hieroſolymitanum ſpoliavit, eundem facit cùm Seſoſtri; cujus ſententiæ quoque fuiſſe videtur *Tremellius cum Junio*, cùm *Siſak* in libb. Regum & Paralipom ſcriberent *Saſothim* Diodoro Siculo, & *Suſakin* Juſtino dici; reſpicientes ad *Juſtini* locum ſuprà citatum de Vexore, & *Diodori Siculi* de Seſooſi; adeoq; ad arbitrium ſuum nomina detorquentes. *Voſſius lib. I. de Idololat. c. 29. p. 223. Seſoſtrim* vixiſſe credit *Judicum temporibus*, 800. ampliùs annis, *ante Evergetam*. Quicquid horum ſit, illud in confeſſo, Nino longè poſteriorem eſſe; falſumq;

ſumq; Juſtinum & alios, qui antiquiorem ſtatuunt. Danaim, cujus ibidem Juſtinus meminit: *Taunaſin* vocat *Jornandes in Geticis,* aitq; mortuum à ſuis populis inter numina relatum: *Janduſum* verò *Arrianus apud Photium Cod. LVIII.* ubi Photius ait: *Arrianum in Parthicis narrare, Parthos, Seſoſtridis Ægyptiorum Regis tempore, & Janduſi Scytharum, ex Scythiâ in eum, quem ſequentibus ſeculis tenuerint, locum demigrâſſe.* At de his plus ſatis.

Nunc de *Semiramide* dicendum eſt. Hujus primum opus fuiſſe dicitur *Babylon*; quod *ſi verum* eſt (ut Scripturam Sacram conciliemus cum Scriptoribus profanis) ex ſuprà dictis *ſtatuendum* eſt, prioribus bellis inter Aſſyrios & Babylonios geſtis *exciſam*, nunc *inſtauratam eſſe*. Aliàs ne profanæ quidem literæ unum Babylonis conditorem faciunt. Adeundus *Freinshemius ad Curtii lib. V. c. 1. §. 24. Salmaſius in Solinum p. 1227. Ludovicus Vives in Auguſt. lib. XIII. de Civ. Dei c. 2.* At *Hugo Grotius* in totum rejicit, quæ de Semiramide, Babylonis conditrice, profani Scriptores referunt. Vide illum in *notis ad lib. I. de Veritate Chriſtianæ Religionis p. 312.* edit. Pariſ. vel *p. 99.* edit. Lugdun. Nobis obſervatum eſt, *confuſas* eſſe *res duarum, vel trium, reginarum*; quæ omnes *Semiramidis nomine* appellatæ ſunt. *Tres* obſervavit *Voſſius lib. I. de Idololat. c. 23.* duas *Scaliger ad Euſeb. num. 583.* Sic Babylonis inſtaurationem vetuſtiſſimæ Semiramidi tribuerunt, cujus quædam inſigniora, ut hortus ille penſilis, ſecundum Beroſum, apud Joſephum debebant poſteriori, Nabuchodonoſoris conjugi.

Cæterum antiquiſſimæ genus variè traditur. *Grammatici Græci*, quorum verba citat *Caſaubonus ad Suetonii Cæſarem c. 22.* aſſerunt, *Cayſtrum* filium eſſe *Pentheſileæ* Amazonis; qui in *Aſcalone* ex conjuge *Derceto* Semiramidi filiam genuerit. Verum dicunt in eo, Semiramin conceptam in Aſcalone; & conſentit *Diodorus Siculus lib. II. Bibl. c. 4.* Sed & Semiramin Dercetus eſſe filiam dixerunt multi. Conſulendus *Voſſius lib. I. de Idol. c. 23.* At iiſdem *Derceta* eadem, quæ *Atergatis*, ſive *Athara*, ut *Juſtino* dicitur *lib. XXXVI. c. 2. §. 2.* Nam ex *Atergate*, literâ reciſâ, & levicula immutatione, vocata eſt *Derceto*; quâ in ſententiâ quoque fuit *Freinshemius ad Curtii lib. VI. c. 4. §. 25.* Hallucinatur *Caſaubonus* adoleſcens *ad Strabonis lib. XVI. Geogr. p. 265.* eandem faciens *Atergatem* cum *Aſtarte*. Nec ab hâc ſententiâ receſſit ævi maturior, cùm animadverſionibus *ad Athenæi lib. VIII. c. 8. Strabonem d. lib. XVI. p. 785.* ſic corrigit: Ἀταργάτιν δὲ Ἀστάρην (ſcil. ἐκάλεσαν) Δερκετὼ αὐτὴν Κτησίας καλεῖ. Id eſt: *Atargaten Aſtaran* (id eſt, *Aſtarten*, ſive, *Aſtaroth) dixerunt; quam Cteſias Derceto vocavit.* Rectiſſimè Voſſius: *alia eſt Aſtarte ab Atergati; hæc mater, illa filia.* Et hoc magis apparebit ex iis, quæ dicemus infrà: Nunc certi ſumus, *matrem Semiramidis* eſſe *Derceto* vel *Atergatin*.

At de Patre & aviâ Pentheſiléâ Amazone, quis accedat Criticis illis Græcis, cùm Pentheſiléa Semiramide aliquot ſeculis ſit poſterior; ut quæ Trojano bello inter fortiſſimos Viros documenta virtutis edidit? Præter alios innumeros vide *Juſtinum lib. II. c. 4. §. 31.*

c.4.§.31. & ſimul cognoſces, juvandæ Græcorum fidei non aliam Pentheſileam Amazonem fingi poſſe. Idem *Juſtinus lib. XXXVI. c. 2. §. 2. Athares*, quæ eadem, ut diximus cum Atergati, *maritum* facit *Damaſcum:* Hic igitur *Semiramidis pater*. At tùm ex Orientalium quorundam aſſertione dicendum erit, *Semiramidem* eſſe ex *Chami* ſtirpe; nam (ut nos docent *Gabriel Sionita & Johan. Hesronita, Maronitæ è Libano de urbibus & moribus Orientalium, cap.4.*) Damaſcum Damaſci conditorem faciunt Canaani filium, Chami nepotem. Nos alteram aliorum Orientalium opinionem ſequimur; qui *Damaſcum* Arabibus *Scian* dictum à *Semo* opinantur. Ipſius *Semiramidis nomen* inde derivat *Voſſius*, aitq; credibile eſſe, poſteros tanti Patriarchæ nomen ſuis ſubinde filiis impoſuiſſe. Ita Ninus, Semi progenies (ut jam demonſtravimus) in ſuâ domo, non illâ maledicta Chami, matrimonium quæſivit.

Eò verò me jam deducunt ea, quæ de Derceto & Semiramide tùm Diodorus Siculus, tùm alii ſcribunt; ut ipſam *Semiramidem* ſub appellatione Deæ (quæ *Venus* Latinis dicitur) conſecratam & cultam putent; adeoq; non unam de Venere fabulam cum hiſtoria Semiramidis vel unius vel mixtæ conferam. Venerem (quæ Aſtarte vocatur, ſeu *Aſtoreth*, ſeu *Aſtaroth*) Syriâ Tyroq; conceptam fuiſſe, ſcribit *Cicero lib.* III. *de Nat. Deor. c.23.* Nec niſi in *Syriâ* natales Semiramidis reperies, ſi Diodorum Siculum ſequi voles; quamvis in eo nonnihil offenſionis, quod Cicero Veneris patriam magis definitam velit *Tyrum*,

Diodorus Semiramidis *Aſcalonem*. Sed omittamus hoc. Quorſum tu mihi famam illam referes, Venerem *è ſpuma maris*, & Cœli prolibus, *à Saturno* abſciſſis, evaluiſſe? Quorſum illud tum ab aliis, tùm ab *Apulejo lib. VI. Metamorph.* traditum: *Columbas Veneri* ſacras, currum ejus gemmeum ſubire; & ſuſceptâ Dominâ, lætas ſubvolare? Vel illud à Nigidio: *Columbam* ovo inſidentem poſt aliquot dies excluſiſſe *Deam Syriam*, quæ Venus dicitur. Quorſum iſtud à *Varrone de Re Ruſtica, & Plinio lib. XIX. Natur. Hiſtor. c. 4.* Veneri datam *hortorum tutelam*; & ejus honori ſacra Vinalia ruſtica, ante diem 12. Calendas Septembr. inſtituta? Quorſum notum illud *Veneris* cum Marte *adulterium*, libidines, & libidinoſa ſacra; quæ me dicere pudor prohibet? Quorſum *barbam* apud *Petronium* in Satyrico, & *idolum* in Cypro *barbatum*, corpore, ſed *veſte muliebri*, cum *ſceptro* ac *ſtaturâ viri*, apud *Macrobium lib.* III. *Saturn. cap. 8.* Et ritum in Sacris Veneris Syriacæ, *viriles*, aut *muliebres veſtes* induendi à Cl. *Seldeno Syntagmate de Diis Syris c. 4. p. 280.* nobis oſtenſum?

Dico de his omnibus ſententiam meam: Quod (ut ſcribit Diodorus) Semiramis *ad lacum*, in quem, illius mater *Derceto ſe abjecit*, nata & expoſita; inde *primum* de Venere fluctibus edita ſuam originem habet. Quod *columbas infantem* Semiramidem *alis foviſſe*, ac coagulato lacte, ex paſtorum mapaliis ſurrepto, nutriiſſe creditum eſt: Sed & ipſas columbas Semiramidi poſt mortem conſecratas legimus; inde *ſecundum* de Venere, ac columbâ Veneri ſacrâ. Quod

Semi-

Semiramin maximum *in adornandis hortis* curam habuiſſe, & illos ſeptem mundi miraculis annumeratos *penſiles hortos* condidiſſe, traditum eſt ab iis, qui duarum Semiramidum opera confuderunt; inde *tertium* de Venere hortorum tutelari Dea. Quod Semiramis non contenta, *militum* ſuorum *amores* exigere, etiam *ab equo*, Marti ſacro animali, *ſe adhinniri paſſa* eſt (ut ſcribit *Plinius lib. VIII. c.42.*) inde *quartum* de Marte ſubſeſſore ac Venere, laſciviarum præſide. Quod Semiramis (ut auctor eſt *Juſtinus lib. I. c. 2.*) ne imperii majeſtas pueri manibus inniteretur, vel orbis terrarum pro pila daretur immaturo Ninyæ, velut in oblectamentum ludi; neque proceres ad ſupercilii muliebris reverentiam effœminari ſe crederent; ſe ſe pro uxore *filium*, pro fœminâ *puerum ſimulavit*; inde *quintum* de mutatione ſexus in Venere. Cætera Semiramidis, ut in Mediam & Perſiam profecta, multa monumenta ſtruxerit, montibus ac rupibus divulſis, itinera magnis impendiis directa & plena fecerit; Æthiopiam ſubegerit, Indiam (ſed fortunâ parum proſperâ) invaſerit; hæc, inquam, omnia fuſiùs exſequitur Diodorus Siculus. Tandem ob libidinem *inſidiis filii* petita & *interfecta* eſt; ut ſcribunt *Juſtinus lib. I. c. 2. §. 10. & Agathias lib. II. p. 54. Diodorus lib. II. c. 20.* regno ceſſiſſe ſcribit. De hâc ipſâ reginâ è recentioribus ambitioſè ſcripſit *Loënſis tom. V. Critic. lib. VI. c. 22.*

Succeſſit NINYAS, Nini & Semiramidis filius. Νινύας ζάμης dicitur *Africano apud Scaligerum in Excerptis Veterum Græcorum*, ſub finem operis Eu-

ſebiani *p.360.* Ipſi *Euſebio*, ſive interpreti Hieronymo, *Ninyas Zameis. Juſtinus lib.I. c.2. §. 11. & Diodor. Sicul. lib. II. c. 21.* ſcribunt, bellandi ſtudio & periculorum audaciâ matrem nequaquam imitatum, in regiâ omne vitæ tempus exegiſſe; ſic ut à nemine, præterquam concubinis & eunuchis, conſpiceretur.

Ab hoc proximus ARIUS, inquit *Beſoldus*. Ἄρειον vocat *Africanus* ſuprà citato loco: Ab hoc Græcorum ἄρης, ſive *Mars.* In quo nos confirmat non tàm nomen, quàm auctor *Chronici Alexandrini p.88. 89:* Poſt *Ninum*, inquit, Aſſyriis imperavit Rex, nomine *Thurras*; cui pater *Zames*, idemq; ex Rhæa frater: *Martis nomen* indidit à planeta ejus nominis. En, *Mars* ille belliger Deus & ipſe *ex Aſſyria* prodiit, & *inter ſucceſſores Nini* fuit! Sed quod ait, ſucceſſiſſe Nino, Nini urbis conditori; videtur confudiſſe *Nini* & *Ninyæ* regnum. Totus locus *(p.86. 87.)* ſic habet: *Ninus regni Aſſyriorum potens factus, urbem Niniven condit; primusq; in eadem regnat cum conjuge, ducta* Semiramide *matre in uxorem; quam &* Rhæam *nuncupabant.* Nino *ſucceſſit in Aſſyriorum regno* Thurras, *cui Zames pater.* Manifeſtum (quod dixi) *confuſos* eſſe *Ninum* & *Ninyam*; nam *Ninus* ſenior Ninum condidit, & *Ninyas* matrem Semiramidem habuit, eandemq; conjugem, quod *Apollodorus* ſcriptum reliquit apud *Photium Cod.CLXXXVI. narrat. 9.* Quamvis alii diverſum referant, Semiramidem cum concubitum ejus peteret, occiſam. Separemus igitur ſeparanda; & cum poſtrema de Ninya vera ſint, ne ſucceſſionem Aſſyriæ Regum aliter conſtituamus, quàm ut

ut à quamplurimis Scriptoribus traditur. Unde nec illud probamus, quod *Zamem* diverſum facit ab eo, qui Semiramidem matrem loco conjugis habuit. *Zames* idem qui *Ninyas*, Rex Aſſyriorum, Nini filius; quod ex Africano & Euſebio docuimus: Ergò idem, cui mater & conjux Semiramis. Non aſſentior *Voſſio lib. I. de Idololat. c. XVI. p. 126*; qui apud auctorem Chronici Alexandrini legit Ζάνης, ſive Ζὰν; quæ ſit antiqua *Jovis appellatio*. Ut illud facilè conceſſerim, Thurræ patrem *Jovem* fuiſſe dictum, ſicut ipſe Mars fuit; ita propter Africani & Euſebii deſcriptionem locum Chronici Alexandrini, cum iisdem comparatum mutare non licet. *Arii* (qui idem cum *Thurrâ*, ſive *Marte*) pater & anteceſſor Zameis, aut *Zames*. Unde illud potiùs ſuſpicer, Græcos poſteriores à vetuſtiſſimo Aſſyriorum *Zamei*, vel *Zame* habuiſſe, appellationem Jovis Ζὰν: Literas enim μ & ν ſæpe mutârunt pro arbitrio ſuo. Sed quæ tandem res geſtæ *Arii*, ſive *Thurræ*, ſive *Martis*? Addit Chronicon, fuiſſe *acerrimum bellatorem, qui expeditione contra ſplagas Arctoas ſuſceptâ Caucaſum quendam, è ſtirpe Japeti, filii Noæ, bello aggreſſus interfecerit; ejusque regnum invaſerit: Atque in Thraciam progreſſus ibidem extinctus ſit.* Stramineus Beroſus ait: *Bactrianos & omnes Caſpios ſibi ſubjeciſſe*, quod figmentum Beſoldus utriq; Synopſi inſeruit. Id igitur vos expungere & inter narrationes transmarinas referre velim.

Arium excepit ARALIUS, ut ſcribit Africanus & Euſebius; *Beſoldus* ingenio & ſtudio clarum fuiſſe tradit, ſed rurſus *ex Anniano Beroſo*; quem toties nominare piget pudetq;.

Aralio

Aralio ſucceſſit XERXES, quem *Balæum* cognominatum, auctor eſt Euſebius; ſed nihil tale Africanus, quem ille ubique ferè compilavit. Hîc rurſus *Beſoldus* fabulas Annianas vendit, Balæum plurimas gentes perdomuiſſe, & ſuas fines ad Judæam usque produxiſſe. Ideoque *Xerxem*, id eſt, *bellatorem* & triumphatorem fuiſſe cognominatum. Has laureas ut *Viterbienſis Monachus* comportaret, occaſionem illi præbuit, cognomen Xerxis apud Euſebium lectum. Inter Reges, quos *Schickardus in Tarich. p. 37.* recenſet ex Orientalium ſcriptis, & in Aſſyria rerum potitos exiſtimat, fuiſſe *Tahmuraths*, qui à victoriis & ſtrenuitate ſua *Diuband*, id eſt, *Dæmonis lictor* cognominatus ſit: At quis affirmare ſuſtineat, eundem eſſe cum Xerxe noſtro?

Poſt Xerxem Aſſyriorum Rex fuit ARMAMITHRES, juxta Africanum & Euſebium. *Nugarum architectus*, *Annius*, ut aliquid de hoc loqueretur (quem ne nominare quidem potuit; vocat enim *Armatriten*, ſecutus, ut arbitror, vitioſam lectionem Codicis Euſebiani) magis ad voluptates & delitias converſum ſcribit; & ea, quæ ad libidinem ſpectant, inveniſſe, vel inventa ampliâſſe. In hâc palude piſcatus eſt Beſoldus, ut apparet.

Armamithris ſucceſſor, BELOCHUS, quid geſſerit, me quidem latet; quamvis antiquitatem diligenter conſulerim. *Beſoldo* hîc quoque *Annii* protervitas illuſit, ut diceret, maximè circa auſpicia & divinationes fuiſſe occupatum. Miſeret me literarum, quæ illi ad hæc figmenta (quibus hiſtoriæ majeſtas traducitur) ſubſerviêre.

Belocho

Belocho ſucceſſorem dant BALEUM, de quo *Beſoldus* ex *pſeudo-Beroſo* nugari pergit, alteram à Semiramide virtutis & induſtriæ militaris laudem habuiſſe; atque doctorum hominum ſcriptis valdè celebratum fuiſſe. Nos ne unum quidem elogium ex omni antiquitate de hôc Rege citare poſſumus.

Poſt Baleum SETHUS, Africano, ALTADAS Euſebio. Sed & hîc Anniani commenti laciniam Synopſi ſuæ aſſuit Beſoldus, dicere ſolitum Altadam: *Stultum eſſe, multis defatigari laboribus; & variis implicari curis, amplificandi regni gratiâ &c.* Nos æquè ſtultum arbitramur, amplificandi nominis cauſa ſcandere in alienos fines, & hiſtoriam veterem ſcribere hiſtoriæ veteris rudem.

Poſt hunc apud Euſebium & Africanum, reperio MAMYTHUM; *Beſoldus* antiquum obtinens, belli curam ab hoc Rege rurſus excitatam ſcribit; ejusque potentiam Syris & Ægyptiis ſuſpectam fuiſſe. Verum & hæc ſunt è Viterbienſi tripode.

In ASCHALIO, ut Africanus vocat, ſive MANCHALEO, ut Euſebius; *narrandi argumentum deficere*, conqueritur *Beſoldus*: Scilicet; quia Beroſus hypobolimæus (*à quo auxiliares copias hactenus in promtu habuit*) præter expectationem hîc conticeſcit.

At in SPHÆRO (qui poſt *Manchaleum* Rex Aſſyriorum fuit) rurſus poëtica tibiâ canit Annius, canit & *Beſoldus*; virum illum fuiſſe magnâ virtute ac prudentiâ.

MAMYLI, ut legitur apud Africanum, ſive

MAMI-

MAMITI, ùt apud Euſebium, eadem fortuna, quæ Manchalei modò fuit: Hujus, inquit *Beſoldus*, nullum facinus commemoratur; nam & hîc *ludionem præſultor Annius deſtituit.*

SPARTHEUM poſt hunc Regem nominat Africanus, SPARETUM Euſebius, quem ſecutus eſt Annius; ſed ex ingenii ſui promtuario adjicit, *ſub hoc cœpiſſe miranda in orbe.* Digna hæc ſunt Anniano ſeculo, quo *miranda in omni hiſtoriâ Monachali* utramq; paginam faciebant. Noſtro, quo denſa illa nox papalium temporum diſcuſſa eſt, & veritas longè lateq; explicavit jubar ſuum; aliter loqui decebat. At nihilominus hoc etiam emblemate Beſoldus utramq; Synopſin vermiculatam eſſe voluit.

ASCATADES ultimus eſt, quem nominat pſeudo-Beroſus; & ſanè nos magnâ moleſtiâ liberat, quod impoſtorem calamum, manumq; à tabulâ hîc ſubmovit. Ipſe namque *Beſoldus ex Anniana culcitrâ*, cui tàm ſuaviter hucusq; indormivit, *ſuſtulit caput*; & poſtquam fabularum hamaxarius ſeſe exoneravit, *ivit ad alios, haut paullò melioris fidei.* Verba ſunt: *Ab hoc* (Aſcatade) *viginti Reges à quibusdam numerantur ad Sardanapalum, triceſimum octavum Aſſyriorum Regem.* Eumque Vellejus tradit, à Nino & Semiramide loco *trigeſimo tertio (levi numerorum ab aliis, quos ſequimur, variatione) natum. Sic, ut ſemper ſucceſſor regni paterni filius eſſet.* Euſebium hîc ſequitur, qui à Nino ad Sardanapalum Reges XXXVI. numerat. His *Beſoldus* adjicit *Nimrodum* & *Belum*; ſed *Africanus, quem Euſebio præferunt* eruditiſſimi

Viri,

Viri, *Sardanapalum*, quadrageſimum primum facit à Belo, Nini patre. Idem ab Aſcatade numerat Reges XXIV. quorum nomina ſunt hæc: AMYNTAS, BELOCHUS, BALATORES, LAMPRIDES, SOSARES, LAMPARES, PANNIAS, SOSARMUS, MITHREUS, TAUTAMUS (qui & TEUTANES) TEUTÆUS, ARABELUS, CHALAUS, ANABUS, BABIUS, THINEUS, DERCYLUS, EUPACMES, LAOSTENES, PYRITIADES, OPHRATEUS, EPHACHERES, ACRACARNES, TONOSCONCOLEROS, qui & SARDANAPALUS. Quod *Vellejus* ait, ſemper ſucceſſorem Regni paterni fuiſſe filium, neſcio unde hauſerit. *Agathias lib. II. p. 55.* auctor eſt, in *duabus familiis* ſtetiſſe Aſſyriorum regnum: *Nini & Semiramidis poſteris*, inquit, *ad Belum usque Dercetadæ filium regnarunt. Cùm enim in hoc Belo Semiramicæ ſtirpis ſucceſſio deſineret, Belitaras quidam nomine, vir inſitor, & hortorum (qui in regiâ erant) curator ac magiſter, imperium ſibi mirâ ratione vindicavit, ſuoq; generi inſevit; quemadmodum Bion & Alexander Polyhiſtor memoriæ prodiderunt.* Hæc *Agathias*. Qui per *Belum* intelligere videtur *Belochum*, Amyntæ ſucceſſorem; & per *Belitaram Balatorem* Africani: Et ſi filius ſemper ſucceſſit patri, ſecundum Africanum *Acracarnes* pater eſt *Sardanapali*; vel ſecundum Euſebium *Ocrazapes*. At ipſe in ſepulchro ſuo ſe dixit *Anacyndaraxis* filium; alii *Anabaxeris*, vide *Athenæum lib.* XII. *p. 528. 529.* Niſi *unum* Regem *diverſis* Scriptoribus *aliter* atque aliter appella-

tum

tum dicere volumus, vixerit; ut Vellejo, vel alii (unde Vellejus hauſit) fidem commodemus. Sed ſive unius, ſive duarum familiarum imperium fuit, *in Sardanapalo finitum eſt.*

Sardanapallum ſcribi debere, ex *Scaligeri notis ad Euſebii num.1178,* docet *Bernegg. ad Juſtin. lib. I. c. 3. §. 1.* Addi velim eundem *Scaligerum in Priapeja p. 211. Schickardus* hunc in Orientalium ſcriptis *Zabum Nodharem,* ex fratre *Tahmasb* nepotem, deſcribi putat, in *Tarich pag. 41. 43.* Vocatur enim in iisdem *guloſus, commeſſator, heluationi deditus*; in quo linea defecerat. De hoc eodem fragmentum iſtud extat apud *Nicolaum Damaſcenum in Excerptis Peireſc.* p. 424: *Sardanapalus Aſſyriorum Rex à Nino & Semiramide originem ducens, aſſiduè intra palatium, in urbe Nino degebat; neque arma tractans unquam, neque venatum egrediens, more ſuperiorum Regum; ſed faciem liniens, atque oculos pingens, & cum pollicibus implicatione crinium contendens* (ita vertit illuſtris *Salmaſius in epiſt. de Cæſarie virorum, & coma mulierum p. 561.* perperam *Henricus Valeſius,* & comæ compoſitione contendens) *prorſusq; muliebri diffluens mollitie.* Scribit *Athenæus lib.* XII. *p. 529.* ceruſſa oblitum, muliebriter veſtitum, cum pellicibus carminantem purpuram, ac *ſedentem pedibus porrectis, in altumq; ſublatis*; tinctis fuco ſuperciliis, muliebri ſtolâ indutum; levigatâ pumicis attritu facie, colore quàm lactis candidiore conſpectum ab *Arbace*; cum à *Parameize* eunucho videndi copia facta eſſet. Igitur indignitate rei motus vir magnaminus, adſcito in commilitium

militium *Béleſi*, Chaldæorum nobiliſſimo, apertè deficit; & quamvis ter victus, ad ultimum totum exercitum Sardanapali internecione delet. Ipſe Rex ferè *per triennium* obſeſſus, cùm longam *murorum* partem *inundatio* fluvii dejeciſſet; ſpe retinendæ urbis & imperii depoſita vitam per infames voluptates & omnis generis deliciis actam, *ſpontaneo vivicomburio* finit. Legendi *Diodorus lib. II. c.24. 25. 26.27. Nicolaus Damaſcenus in dictis Excerptis. Agathias lib.II. p. 55. Athenæus d.l. Juſtinus lib.I. c.3. & alii.*

Hic finis primæ Dynaſtiæ Aſſyriorum fuit, cùm ſtetiſſet annis mille trecentis; & quod excurrit. *Strabo lib. XVI. p. 737.* ſimul *everſam* ſcribit *Ninum*, at *Scaliger ad Euſebii num. 1213. & 1398.* Ninum exciſam *negat*; ſaltem enim vult dominum mutâſſe, imperio ad Arbacem translato; & hoc ipſis contigiſſe, quod *Jonæ* comminatione ad Deum *converſa jejunium* publicè indixerit: Jonam enim ipſum ad Ninivitas veniſſe, cùm Sardanapalus regno potiretur, ibidem exiſtimat.

Quærere tamen hîc quiſquam poſſit, quidni & *Sardanapalus* conſervatus eſt, cùm *Nini regem* etiam *in cineribus* pœnitentiam egiſſe ſacræ literæ doceant? ne quid diſſimulem, vix mihi perſuadeo, de Sardanapalo Scripturam explicari debere; nec tamen ad rationem temporum aliud ſtatuere poſſum, quàm regnante apud Aſſyrios Sardanapalo, Jonam veniſſe Ninum. Dicam hâc de re ſententiam meam, ut audiam, quid judicent peritiores: Vivo Sardanapalo, *alius etiam Rex in urbe Nino* regnabat. *Athenæus*

lib. XII. p. 529. Sardanapalus filios tres, filiasq; duas (res ſuas in pejus ruituras cùm præſenſiſſet) ad Ninum Nini Regem ante miſerat, cum tribus millibus talentorum auri. Turbat quidem *Diodorus Siculus lib. II. c. 26.* qui Sardanapali liberos miſſos ſcribit ad *Cottam*, Paphlagoniæ præfectum; ſed verum mihi dicere videtur *Athenæus*, & juvat ejus narrationem ipſe *Diodorus*; cùm è Cteſia Sardanapalum alibi quàm in urbe Nino periiſſe ſcribit. Unde ſuſpicari libet, aliquando ſedem Aſſyriaci Imperii fuiſſe in alia civitate, quàm Nino; & Ninum alterius poteſtati commiſſam, de quo interpretandam cenſeo Scripturam. At ſeponamus hoc; illud ex *Ammiani Marcellini lib. XXIII. p. 251. edit. Valeſ.* certiſſimum, *Ninum* adhuc *integram* fuiſſe *Juliani ævo*; ſub quo Ammianus vixit.

Mortuo Sardanapalo, inquit Beſoldus, *monarchiam Arbazes & Belochus inter ſe partiuntur*; *& Belochus quidem Babyloniæ, Arbazes verò Medorum atq; Perſarum Rex factus eſt. Belochus poſt hanc mutationem primus Aſſyriorum Rex, Manahem Regem Iſraëlis vectigalem ſibi fecit.* Hanc ſententiam ſuam repetiit in Synopſi majore; ſed hic rurſus animadverte, ducem ac doctorem habuiſſe non bonum *pſeudo-Megaſthenem*, eundem, qui *Beroſum* fabricârat; ſed cùm inſcitus opinaretur, perinde eſſe *Metaſthenem* dicas an *Megaſthenem*; ſpurio partui ſpurium nomen impoſuit. *Falſiſſimum* eſt, quod ait, *tempore Arbacis bipartitam* fuiſſe Monarchiam: *Unus* Monarcha fuit *Arbazes*, cujus beneficio non partem Monarchiæ, ſed *Satrapiam Babyloniæ* obtinuit *Beleſis. Diodorus Siculus*

culus lib. II. c. 24: *Arbaces, laudato Viri conſilio, σατραπείαν τῆς βαβυλωνίας, Babyloniæ præfecturam (ſi res felicem habitura eſſet eventum) ei deſpondet.* Et mox c. 28: *Nec traditam initio in Babylonios præfecturam homini ademit.* Abſurdum igitur eſt, è Satrapâ & beneficiario facere Monarcham: Nec aliter fuiſſe ſub Arbacis ſucceſſore, nos docet *Nicolaus Damaſcenus in Excerptis Peireſcianis p. 427.* ubi refert, *Parſondam,* virum robore & animi magnitudine ſingulari, cum *Nanybrum* Babyloniæ præfectum inaures geſtantem, ac propè raſum, prorſusq; effœminatum ac imbellem videret; à Medorum Rege petiiſſe, ut Regnum Nanybro ademtum ſibi concederet. Satis manifeſtum, Babyloniæ ſive præfecturam, ſive regnum tùm fuiſſe ſub poteſtate Medi; Regemq;, vel Satrapam Babylonis nihil aliud, quàm clientem ac precarium. Et ſimilem fortaſſe Satrapam, extincto Sardanapalo, Nini creavit Arbaces. Ac quemadmodum arbiter ille rerum humanarum nil ſtabile aut firmum eſſe voluit, præter ipſum,

- - - *uni Deo*
nunquam ſenectus, atra nec mors imminet;
Sed alia miſcet domitor ætas omnia:

Sic ingens illud *imperium,* quod *integrum* invaſit, integrum adminiſtravit *ſolus Arbaces*; aliquantò poſt in aliquot lacinias diſcerptum eſt. Nam & *Aſſyrii* & *Babylonii* à *Medis* deficientes, novi & liberi regni (quod non amplius dependeret ab arbirrio Regum Mediæ) auctores fuerunt; ita uno tempore *unius* Monarchiæ *tres partes* reperire licet in hiſtoriâ ſacrâ

& profanâ : *Aſſyriam*, *Babylonicam*, *& Medicam.* Tangit hos primæ Monarchiæ motus & diſſidia *Oroſius lib. I. c. 19.*

Ex Aſſyriis, qui à Medis defecerunt, de nomine primum novimus PHULLUM, è *II. Reg. 15.* & *Joſeph. lib.* IX. *Antiq. c. 11.* Isque *Manahem*, Iſraëlis Regem, armis eò redegit; ut pacis redimendæ, & confirmandi regni offerret *mille argenti talenta*, id eſt, *quindecies centena florenorum millia.* Cùm autem hujus regnum ab interitu Sardanapali diſtet integro ſeculo (vide præter alios *Calviſium in anno mundi 3180.*) cùmq; αὐτοκράτωρ ipſe fuerit (bellum enim Iſraëliticis intulit, non facturus, ſi quidem Medorum imperio ſubjectus fuiſſet) vel hinc conſtat, quàm in hiſtoriâ Aſſyriorum nihil ferè ſani, aut veri loquantur vel Beſoldus, vel alii; qui *Beleſin* Diodori, Arſacis σύγχρονον, eundem faciunt cum *Phullo*.

Huic ſucceſſit TEGLATH-PHAL-ESAR, ut *Scaligero* deſcribitur *ad Euſebii num. 1178.* TEGLATPHALASSAR *Joſeph. d. l.* IX. *c. 11. & 13.* Hic eſt, qui expugnatâ *Damaſco*, & occiſo *Raſe*, Damaſcenos *in ſuperiorem Mediam* traduxit. Sed antè Iſraëlitas quoque aggreſſus *tribum Nephthali*, in Aſſyrios *captivam* abduxerat.

Poſt hunc Reges Aſſyriorum fuerunt JAREB & SARGON; quos excepit SALMANASSAR; qui *Samariam* expugnavit, & excidit A. M. 3227. Populumque *Iſraëliticum* in *Medos*, *Colchos*, Indos atque *Æthiopes* miſerabili ac perpetuâ *ſervitute* disperſit. Nunquam hæ tribus in patrium ſolum redierunt,

runt, aut conjunctæ Judæis ſunt; ſed inter barbararũ gentium imperia, etiam hodie, improbæ defectionis graves pœnas exſolvunt, ut ex *Joſephi lib.* II. *Antiq. Jud. c.* 5. docet *Cunæus lib.* I. *de Republ. Hebr. cap.* 8. Unde ſatis apparet, quantum illo tempore attenuatum fuerit *Medorum* imperium; cujus tantam partem obtinuit *Salmanaſſer*.

Eo mortuo, regno Aſſyriorum potitus eſt SENNACHERIB, clade divinitùs immiſſâ, cùm Ezechiam Regem pientiſſimum bello premeret, notiſſimus. Occiſo ſucceſſit ASARHADDON, quod ſolum è ſacris literis, & fragmento *genuini Beroſi*, apud *Joſeph. lib. X. c.* 2. novimus; cui ASARCHODDAS dicitur. Quo fato perierit, quemq́; ſucceſſorem habuerit, non conſtat.

Beſoldus furfure & quisquiliis *Pſeudomegaſthenis* nos paſcit, cùm ait: *Merodach autem, Babyloniæ præfectus, hiſce turbis defecit, vicinas gentes, partim gratiâ, partim vi paulatim ad ſe transfert.* Indicit *bellum; & duodecimo ſui Regni anno Aſarhaddone devicto, totum Aſſyriorum* Imperium *Babylonis adjunxit.* Hæc *Beſoldus*, à vero prorſus alienus; quia Pſeudomegaſthenes poſt *Aſarhaddonem* Regem conſtituit MERODACHUM: Hinc illa ſomnia de everſo per Merodachum Aſſyriorum regno. Nos ſcimus aliquot ætatibus poſt Merodachum cecidiſſe alteram illam Aſſyriorum Dynaſtiam: Nam A.M. 3312. hoc eſt, 78. à miſsâ legatione Merodachi ad Ezechiam, *Phraotes* Aſſyrios bello aggreſſus eſt; & anno 3345. integro ſeculo poſt Merodachum Cyaxares iisdem bellum

intulit, Ninum obſedit; & tandem expugnavit. Videndus *Calviſius in iis annis*, & conferendus *Herodotus in Clio. Joſeph. l. X. c. 3.* ſcribit: *Circa eadem tempora imperium Aſſyriorum per Medos deſtructum eſt.* Meminit hujusdam excidii *Jeremias, cap. L. & Ezech. c. XXXI. & XXXII.* Everſoribus licet haud nominatis. Igitur *bis peccant* cum Beſoldo, qui Aſſarhaddonem ultimum faciunt, & qui *regnum Aſſyriorum* everſum volunt à Merodacho Babylonio; cùm centum & amplius annis poſt *everſum* ſit, ductu & *auſpiciis Medorum.*

Accedit figmentum tertium de causâ defectionis Merodachi: *Cùm fratres, Sennacheribi filii, bello civili ſeſe attererent, interim Merodachum rebellâſſe.* Quaſi verò Merodachus auctor Dynaſtiæ novæ Babyloniorum, vel Chaldæorum haberi debeat? Immò ſic res habet: Quemadmodum ab Arbacis Medi ſucceſſoribus *Aſſyrii*, ſive Phullo, ſive alio duce defecerunt; ſic aliquando poſt in libertatem ſeſe vindicârunt *Babylonii*, non Merodacho duce, ſed Nabonaſſore A. M. 3203. Regnabat tùm apud *Medos Articas*, quartus ab Arbaze; apud *Aſſyrios*, ut opinor, *Teglath-phal-eſar.*

Hæc eſt altera Dynaſtia Babyloniorum poſt diluvium; cùm prior à Nimrodo cepta in poſteris ejus deſiiſſet, tùm ab Aſſyriis, tùm ab Arabibus extinctis. Quot deinde *Nabonaſſari ſucceſſerint*, eos recenſebo ex *Claudii Ptolemæi Canone*; quem beneficio Doctoris *Overalli Angli* omnium emendatiſſimum habuit *Calviſius*; & publicavit in *Iſagog. Chronolog. c. 11.* ex

quo

quo nemini non apparebit, *Beſoldum* in primâ Monarchiâ *nihil ſciviſſe*; nihil etiam ſubſidiorum acquirere ſibi voluiſſe, ut juventuti ea traderet, quæ ætatem ferre poſſent. *Nabonaſſare* igitur Chaldæorum Rege mortuo, ſucceſſit NASIUS A.M. 3218. Exin bini, CHINZIRUS & PORUS A. M. 3220. Pulſis à ſubditis, DILULÆUS [vel rectiùs JUGÆUS] ſufficitur A. M. 3225. Poſt quem regnare cœpit MARDOCEMPADUS A. M. 3229. Hic *Merodach* parte priore nominis ſui Eſaiæ Prophetæ dictus (anno ſeptimo imperii ſui) *legatos ad Ezechiam* Regem miſit. *Baladam* vocat *Beroſus apud Joſeph. lib. X. c. 3.* Eum excepit ARCIANUS A.M. 3241. Quo poſt quinquennium mortuo *bienne interregnum* fuit, id eſt, ab A. M. 3246. usque ad annum 3248. quo regnum Babylonicum ſuſcepit BELIBUS in optimo exemplari dictus; ſed BELITHUS *Scaligero.* Belibum A.M. 3251. ſecutus eſt APRONADIUS, Scaligero *Aporonadorus.* Apronadium RIGEBELUS, Scaligero *Herigebalus* A. M. 3257. Rigebelum MESESSIMORDACUS A. M. 3258. Scaligero *Meſnoëmandacus*; quo defuncto A. M. 3262 rurſus *interregnum* fuit annorum ſolidorum *octo.* Tum (anno ſcilicet M. 3270.) Babylonii Regem habuerunt ASSARADINUM, Scaligero *Jeraëden. Aſſaradonem*, Sennacheribi filium, exiſtimâſſe videtur *Dionyſius Petavius part.* I. *lib.* II. *Rationarii Temporum. c. 2.* ſed nomini & rationi temporum his minus roboris ineſſe reor; quàm ut *Aſſyrium* & *Babylonicum* regnum hoc tempore *conjungam*, & ſub *uno*

 fuiſſe

fuiſſe credam. *Diverſos* Reges (ut dixi) ſimul habuit *Aſſyria, Chaldæa, Media.* Tum & *Aſſyrii* parùm æquos habuiſſe videntur *Babylonios*, quod ex legatione honorificâ Mardocempadi ad Ezechiam Aſſyriorum hoſtem, tùm ex *Joſeph. lib. X. c. 6.* colligi poteſt; ubi obſervo, *Medos* in deſtruendo *Aſſyriorum* regno à Babyloniis adjutos fuiſſe. Quæ nationum illarum diſſidia eò me deducunt, ut *Aſſaradinum* iſtum *Babylonium* omninò diſtinguam ab *Aſſaradone Aſſyrio.*

Poſt Aſſaradinum Babyloniis imperavit A. M. 3283. SAOSDUCHEUS; & A. M. 3303. CHYNILADANUS, quorum alter *Saosducinus*, alter *Riniladachus*, Scaligero corruptè dicitur. Hinc A. M. 3325. regnum Babylonicum longè clariſſimum indeptum eſſe NABOPOLASSAREM, *patrem Nabuchodonoſoris*; qui per filium A. M. 3342. *Pharaonem Necho* ad Euphratem magno prælio devicit, & *Tyrum* obſidere cœpit. Moritur A. M. 3346. relicto ſucceſſore NABUCHODONOSORE. De hoc jam credere poſſumus, quæ *Beſoldus* ſcribit in utrâq; Synopſi; nec quisquam ignorat, qui ſacræ lectioni deditus. Hic enim ipſe, qui *Joakimum*, Regem Judæ, *captivum* abduxit *Babylonem* A. M. 3349. expugnavit *Hieroſolyma* A. M. 3360. expugnavit Hieroſolyma A. M. 3360. *d. 4. Julii*, deſtruxitq; templum, anno eodem *d. 4. Auguſti.* De hujus ſucceſſoribus ut dicam *in cap. ſeq.* facit Beſoldus.

Jam & de *ſucceſſoribus Arbacis* dicendum eſt, quorum fuit *tertiæ partis* in monarchia primâ poſſeſſio, ARBACE, qui Sardanapallum evexerat, mortuo,

mortuo, A.M. 3105. ſucceſſit MANDAUCES filius. *Diodorus Siculus lib.* II. *c.32.* è Cteſia, quem ibidem eò lubentius ſecutum ſe profitetur, quod è Regiis Perſarum membranis ſtudioſè indagârit Symbola.

Mandauces ſucceſſorem reliquit A. M. 3155. SOSARMUM. *Diodorus* ibidem. Ab hoc defeciſſe mihi videntur Aſſyrii, indignati Orientalis Imperii ſedem à ſeſe in Mediam translatam.

Soſarmo A. M. 3185. ſuccedit ARTICA. *Diodorus d. l.* Sub hoc Nabonaſſar Chaldæos ſuos ad faſtigium ſummæ majeſtatis evexit.

Poſt hunc regnare cœpit A.M. 3217. ARBIANES, & A. M. 3239. ARTÆUS, vel ARSÆUS, qui & Dejoces dicitur. Hujus tempore, cùm jam liberum regnum fuerit Babylonicum, non capio, quomodo *Nanybri* Babylonii regnum precarium ſub Artæo *Nicol. Damaſcenus* referat? Locum jam ſuprà citavimus. Credebam ea, quæ *Damaſcenus* ſcribit, contigiſſe ſub Mandauce: Ait enim, *Parſondam* Babyloniæ præfecturam ſibi petiiſſe à ſucceſſore Arbacis; ut videatur ſucceſſorem proximum intelligere. Sed impedit *Diodorus Siculus*, qui Parſondam vixiſſe ſcribit ſub Artæo, quinto Medorum Rege. Explicabunt hoc mihi, qui ſagacioris ſunt naſi, & ingenio fidunt. Illorum erit πυρκαϊᾶς.

Artæi, ſive Dajocis filius, ARTINES fuit, idemq; Phraortes dictus; ad quod regnum deſcendit A. M. 3293. Sub jugum miſit Perſas; &, cùm armis Aſſyrios peteret, occiditur A. M. 3314. ASTIBARUS, qui & Cyaxares, parentis mortem ultu-

rus, bellum cum iiſdem continuat; Ninoq; expugnatâ, ſecundam Aſſyriorum Dynaſtiam ſimul excidit. Idem cum *Halyatte*, Lydorum Rege, bellum gerit atrociſſimum; quod Scythas transfugas recepiſſet, ac demum poſt quadrageſimum regni annum, ſive A. M. 3355. fato fungitur.

Succedit filius APANDAS, Græcis Aſtyages; qui filiam *Mandanem* in matrimonium dedit *Cambyſi*, modicæ fortunæ viro; ut paterna humilitas nepotem, à magnarum rerum molitionibus revocaret. Somniârat enim *Aſtyages* ex naturalibus filiæ *vitem enatam*, cujus palmite omnis Aſia obumbraretur; hinc regni ſui deſtructionem metuens, ut fatum averteret, filiæ partum opprimendum cenſuit. Fruſtra! *materiam & alimentum præbet fato, qui obnititur.* Nam, ut inquit *Nicephor. Gregor. lib. VII.* hoc tale eſt, *ac ſi quis ignem metuens ædibus jam circumdatum, non extinguat eum; ſed ſarmentorum faſces aggerat, & oleum affundat: Aut ſi quis, furente Borea & tempeſtate, exiguâ fragiliq; cymbâ contra fluctus per eos eluctari conetur.* Exempla infinita ſunt, quæ confirmant; quò magis homines impedire progreſſus eorum nitebantur, quos cœleſtis providentia magnis deſtinârat imperiis; eò faciliorem ipſis ad præfixam divinitùs metam perveniendi viam ſtraviſſe, quæ ſunt verba *Leunclavii l. 1. Hiſt. Muſelm.* Sic *Aſtyages*, cùm nepotis cædem imperâſſet *Harpago* (cui ſecretæ regiæ domus innitebantur) deceptus eſt. Veritus hic, ne pœnam obſequii lueret, ſi Aſtyage mortuo *Mandane* rerum potiretur, non necat; ſed paſtori regio exponen-

exponendum tradit. Quid multis? hæc omnia notiſſima ſunt; *Juſtinus l. I. c. 4. 5. Herodot. l. I. Val. Max. lib. I. c. 7.* Sed qui oſcitantiæ manifeſtus eſt, cùm ſcribit: *Aſtyagem* nepotem ſuum *Cyrum* è *Mandane* filia (quod Aſiæ dominatum fatis ei deſtinari per ſomnia cognoviſſet) exponi juſſiſſe. Imò *juſſit occidi, non exponi*; & quod Harpagus contra mandatum exponendum tradidiſſet, *filium* ei *epulandum* apposuit. Cauſa *errori Valerio* fuerunt illa *Herodoti* antecedentia, non bene expenſa: *Hic itaq;* (Mithridates) *accerſitus properè, cùm veniſſet, inquit ad eum Harpagus: Jubet te Aſtyages hunc capere infantem, quem in deſertiſſimo montium exponas, ut celerrimè pereat; & hæc, ut tibi dicerem, mihi injunxerat.* Hæc ita *ſimulabat Harpagus* ſe accepiſſe, non acceperat. Sed è recentioribus ad eadem offendiſſe deprehendo *Juſt. Lipſium*, & *Joh. Cluverum*: Alter in *comment. ad Senecam l. de irâ c. 15.* auctorem illum notat, quod Harpagus regiæ crudelitatis cauſam ignorârit, quæ fuerit; quod Harpagus juſſus Cyrum, Mandanes filium, exponere in deſerto monte, per alium id exſecutus, alium ſucceſſum habuerit; atque ita rem narrari *Herod. lib. I.* Alter in *Epitome Hiſtoriarum p. m. 63.* eodem planè modo: *Cyrum*, inquit, *infantulum, ſi Herodoto fides, avus exponi juſſerat.* Intolerandum in utroque, Herodotum tàm negligenter & legere & citare.

Sed hæc ἐν παρόδῳ. *In Aſtyage Regnum Medicum finitum eſt*, cùm illi per XXXV. annos præfuiſſet, de quo caſu dicam *cap. ſeq.* Mihi ferè accidit, quod figulo, qui urceolum inſtituerat; currente rotâ vidit ampho-

amphoram exire: Vel quod aliis, quibus fictilem currum Tarquinius formandum locaverat; nam his ita crevit inter flammas, ut ad eximendum neceſſe fuerit, fornacis culmen dejici. Eodem modo, ſub ſcribentis manu inſperatum incrementum cepit hoc caput, & propoſiti noſtri modulum egreſſum eſt.

CAPUT IV.

Evilmerodachus ſucceſſor Nabuchodonoſori. Neriglißar non Rex, ſed tutor Regis. Igitur verus Evilmerodachi ſucceſſor Belzaſar. Hic fuſtibus occiſus in convivio. Figmentum de Babylonis obſidione, cùm occideretur Belzaſar. Darius Medus ſucceſſor Belzaſaris nec Aſtyagis filius fuit, nec Rex Medorum. Ioſephi auctoritas, quam Beſoldus ſequitur, rejecta. Beroſi fides major in rebus Babyloniis. Belzaſar idem cum Laboroſardacho: Aſtyages ultimus Rex Medorum, non alius.

NABUCHODONOSORO MAGNO ſucceſſit A. M. 3389. EVILMERODACHUS, ſive Evelmaradochus, filius; ut ſcribunt *Beroſus* apud *Joſephum lib. I. contra Appionem, & Megaſthenes* apud *Euſebium lib. IX. de Præpar. Evangel. c.4. Ptolem. in Canon.* Ilvarodanus. Cùm ſceleratè & laſcivè præeſſet, poſt biennium inſidiis *Neriglißorori*, ſive *Neriglißaris*, ſive *Niricaſſolaſſari*, ſive *Nigliſaris* (is ſororem Evilmerodachi in matrimonio habebat) opprimitur.

Regnum

Regnum capeſſit ipſe Regis interfector, NERIGLOSSORORUS, Beſoldo Aſſur, vel ex pſeudo-Megaſthene Regaſſar; ſed cùm non eſſet ſtirpis regiæ, id ſaltem tutorio nomine adminiſtravit. Hinc *Daniel* Evilmerodacho ſtatim ſupponit Belzaſarem, omiſſo Nerigliſſare.

Hujus igitur Nerigliſſaris filius, & Nabuchodonoſori nepos, è filia Nitocrade BELZASAR verus & legitimus imperii Babylonici hæres, *poſt Evilmerodachum* cenſeri debet. Et initium regni ejus conſtitui A.M. 3391. Non multò plus quatuor annis imperavit, ut computant eruditiores Chronologi. Occiſus eſt ab amicis, ut auctores ſunt *Beroſus* & *Daniel*; quos adhibuerat convivio, qui anteà de eo interficiendo conſilium inierant, conſpirationis Duce *Nabonido Medo*.

Genus mortis exponitur à Beroſo: ὑπὸ τῶν φίλων ἀπετυμπανίσθη, *ab amicis tympanis interfectus eſt.* Id explicat *Scaliger lib. III. Can. Iſag. p. 291.*, *& ad Euſebii num. 1431. p. 85.* è Grammaticis Græcis, *tympanum* eſſe lignum, quod etiam *ſcytalen* appellent. Hinc qui *Siculis* & *Argivis* olim σκυταλισμὸς dictus eſt, Romani *fuſtuarium* vocant. Nimirum quod amici illi in convivium veniſſent inermes τῷ τυχόντι ὅπλῳ, id eſt, telo, quod fors objecit, ligno aut ſcamno, aut tale id genus, Regem adoleſcentem oppreſſerunt. At *Daniel* genus mortis non exprimit, ſed convivii tantùm nocturni mentionem facit.

Fabuloſum eſt, quod multi ſcripſerunt, DARIUM Medum invaſiſſe regnum, & adjutore Cyro Babylo-

Babylonem expugnâſſe; mox victorem regnum cum Cyro diviſiſſe. Immò *Darius* vel à populo, vel procerum factione creatus Rex fuit, quod apertè dicit Beroſus. *Daniel* de ſucceſſione ejus hoc modo poſt cædem Belzaſari: Δαρεῖος ὁ μῆδος ἀναδέξατο ἀρχήν. Id eſt: *Darius Medus accepit regnum.* Chaldaicè: *alio tradente accepit.* Quamobrem non feliciter *Beſoldus: Hoc* (ſcil. Belzaſare) *interfecto, Imperii ſumma ad Darium Medum eſt translata.* Sed in eo ſententiam ſequitur, quam inſania plebejorum Chronologorum commenta eſt, cùm ait: *Hunc eſſe Cyaxarem filium Aſtyagis.* Darium Medum Aſtyagis filium facit *Joſeph. d. l. X. c. 12.* Sed ex conjectura, & *recedens à Beroſo*; quem etiam hîc ſequi debebat. Ut de rebus Moſcorum Moſcis non inviti omnes credimus, Turcis de rebus Turcorum, Japonibus de rebus Japonum; neque ulla tàm barbara gens eſt, aut fera, cui propriam ſuarum rerum hiſtoriam narranti, non plus fidei ſumus habituri, quàm cuivis extero & alienigenæ: (verbis *Caſaub. ep. 170.*) Sic quod de Babyloniis refert Beroſus Babylonius, pro vero accipimus; dum contrarium probetur, quod omittit, omittimus etiam nos. *Prophetæ c. IX.* eſt Ὀξυάρους ἐκ γένους μηδικοῦ, id eſt, *filius Xerxis de ſemine Medorum.* Hunc *Xerxem* Joſephus hariolatus eſt eundem eſſe cum *Aſtyage:* At Propheta neque Darium Medorum Regem facit, neque patrem ejus; è quo ſaltem id collegimus, patrem vel avum Darii, è Media veniſſe Babylonem; adeoq; Darium, Medis oriundum, & Babylonis inquilinum fuiſſe. *Aſtyagem* eundem eſſe cum *Xerxe*, Darii patre,

tre, quo argumento probabimus? Nullam virilis ſexus ſobolem habuiſſe ſatis patet. Credidit *Harpagus*, mortuo *Aſtyage*, Imperium ad *Mandanem* filiam futurum; quod quomodo potuiſſet, ſi filium habuit Aſtyages? quin hoc ipſum apertè negat *Oroſius lib. I. c. 19. Juſtinus lib. I. c. 4. §. 7. Herod. lib. I.* Somniant alii, Darium Medum ſaltem adoptatum poſteà fuiſſe: Tot machinulæ movendæ ſunt, ne deſtruatur, vel pereat falſa theſis. Exin autem egregium iſtud argumentum malum eſt: Quia Darius Medus ſecundum Joſephum eſt Aſtyagis filius, ergò idem cum Cyaxare; quem Aſtyages filium facit *Xenophon in Cyripæd.* Sed ſcire debebant, imaginem quidem veri eſſe in illo Xenophontis opere; planeq; confictum eſſe Cyaxarem illum. Veriſſimè *Lipſius in not. ad lib. I. Politic.* ſuorum c. 9. ſcribit: *Laudatiſſimus ille Cyrus Xenophontis non habet locum, quem magis ad exemplum vitæ, quàm ad fidem rerum ſcripſit.* Adeundi de hâc ipsâ controverſia *Scaliger d. lib. III. Canon. Iſagog. lib. VI. de Emend. Temporum. Calviſius in Iſagog. Chron. c. 29.* Dionyſius *Petavius Ration. Temp. part. I. lib. II. c. 9.*

Nunc in viam redeundum eſt. BELZASAR idem cum Laboroſardacho, quod ex Beroſo & Megaſthene conſtat: Faciunt enim *Laboroſardachum* nepotem *Nabuchodonoſori* ex *Nitoride* filia; ejusq; ſucceſſorem *Nabonidum*, qui idem cum *Dario Medo*. Nec nos offendere debet nominum varietas: *Scire namq; debemus, plerumque duûm nominum fuiſſe* " *Reges Orientales; aliterq; appellatos, cùm privati eſ-* " *ſent, aliter, cùm ad imperium acceſſerunt.* Diverſum " ſcribit

ſcribit *Joſephus*; ſed qui jubetur hîc cedere Babyloniis & Perſicis auctoribus.

Quamobrem hæc differentia eſt inter ſententias noſtras, & Beſoldi, hoc capite: (1) *Evilmerodachum* regnâſſe ſcribit annis 30. nos duobus. (2) *Labaſſardachum* diverſum facit à *Balthaſare*; nos unum eundemque. (3) *Darium* Medum *Cyaxarem* vocat, & *Aſtyagis filium*, opinatur; nos Cyaxarem *fictitium* dicimus, deque Aſtyage ſtatuimus; nullum reliquiſſe filium. Ex hoc illud etiam ſequitur, non Darium Medum, ſed Aſtyagem finiiſſe regnum Mediæ. Atque ita nihil offendimus veteres, quod adverſæ ſententiæ Scriptores facere neceſſe eſt. E veteribus *Herodotum* intelligo *lib. I. Juſt. lib. I. c. 6. Oroſ. lib. I. cap. 19. Diod. Sicul. lib. II. c. 34.* Quorum omnium una aſſertio eſt, Aſtyagem à Cyro devictum, & imperium Medicum ſimul finitum eſſe; factum id A. M. 3390.

Excurſus de Regnis notioribus, cùm Aſſyrii, Babylonii & Medi rerum Orientis potirentur.

TROJANUM.

Trojanorum origo à Dodanim, Iavani filio, Iapeti nepote; & à Thracibus, & à Cretenſibus. Ipſe Dardanus à Dodanim. Scamandri ſedes in Phrygia. Samonis uxor; & ejus calamitas. Trojanorum Regum ſucceſſio. Palladium cælo delapſum tempore Ilii. Troja capta ſub

ſub Laomedonte. Priami liberi. Trojam iterum captam ſub Priamo, aliis tàm non dubitatum, ut diem tradiderint; aliis contra. Troici belli ſcriptores Dares *&* Dictys; *& quid de his judicandum ſit? Populorum multorum vanitas in affectandâ Trojanâ origine. Ilii fortunæ ſub Romanis & ruinæ proavorum memoriâ ſuperſtites.*

Q*Uis genus Æneadum, quis Trojæ neſciat urbem? Virtutesq́, Virosq́, & tanti incendia belli?* ait apud *Virgilium Æneid. v. 569. 570.* Dido. Faciamus igitur, dum aliarum etiam nationum Reges commemorare libet, à tàm nobiliſſimo per orbem terrarum regno, initium: Nam diſplicet, quòd *Goropius Becanus* diſputat de origine Trojanorum, *lib. II. Hiſpan. Rerum:* Cùm Jonis, filii Japeti, nepotes maritima tenuerint, & hi quidem fuerint *Eliſas, Tarſus, Citim, & Dodanim*; à Dodanim ortum videri Dardanum. Certè à Poëtis vetuſtis cognatio quædam inter *Dardanum* & *Tarſum* celebratur; quamvis *Reinerus Reineccius tom. III. Familiarum* à *Thirâ*, Japeti filio, Thracum patre, & *Thracibus*, originem *Trojanorum* repetat. Ipſum Dardanum è Samothraciâ veniſſe, communis conſenſus eſt.

Iſaacius in Lycophronis Caſſandram pag. 44. Electræ, Atlantis filiæ & Jovis, inquit, *Jaſion* & *Dardanus* filii fuerunt: Ex quibus *Jaſion* Cereris amore captus fulmine percuſſus eſt. *Dardanus* verò exundatione factâ, è Samothracia ad oppoſitum ex alterâ ripâ collem enatavit, urbem conditurus. At Oraculo,

E ne id

ne id faceret, monitus eſt, quod iſte *collis Atæ*, ſeu *Noxæ*, ſacer eſſet; ideoq; ejus incolas infortunium maneret. Inde Dardanus ad alium *collem*, qui *Scamandrius* dicebatur, conceſſit, regnante tunc in Trojade Teucro, Scamandri & Ideæ Nymphæ filio; cujus Scamandri ſororem *Batéam* nomine cùm Dardanus in uxorem duxiſſet (quam Lycophron *Arisben* vocat) ex illa ſuſcepit *Ilum* & *Erichthonium*; quorum *Ilus* ſine liberis vitâ exceſſit: *Erichthonius* verò ex *Aſtyoche*, Simoëntis filia, *Troëm* ſuſcepit; *Trois* porrò & *Callirhoës*, Scamandri filiæ, *Ilus* & alii filii fuerunt. Igitur Dardanus in Scamandro colle *Dardaniam* urbem extruxit.

Poſterioribus deinde temporibus *Ilus*, cùm in certamine victoriam obtinuiſſet, aſſumtis juvenibus 50. & totidem puellis, *vaccam* quandam *vagantem* ſecutus eſt; quæ cùm perveniſſet ad *collem Noxæ*, obſecutus Oraculo (quod juſſerat, ut ubi vacca procubuiſſet, urbem conderet) *Ilium* ibi condidit. Unde Dardanus abactus fuerat. Non exhibui in hoc Tzetzis loco verſionem ad verbum, qualem *Berdrandus* dedit; ſed alicubi receſſi, ſecutus emendantem *Guilhelmum Canterum lib. I. Nov-antiq. Lect. cap. 1.* Conferendus autem *Diodorus Sic. lib. V. c. 48. 49.* Sed hæc nihil obſtant conjecturæ Goropianæ. Ut ſunt gentium migrationes, è continente (ubi habitavit Dodanim) poſteri migrârunt in inſulam Samothraciam; & inde rurſus in Troadem, velut antiquam patriam; ut Dardanus adhuc unus è poſteris Dodanim haberi poſſit. Etiam Cretenſes ibi ſedes fixêre: Nam

ante

ante Dardanum Scamander Cretenſis (cùm Creta frugum inopiâ laboraret) cum parte tertiâ ad ſedes exteras quærendas profectus eſt; ab Oraculo monitus, ibi eum habiturum ſedes, ubi à terrigenis eſſet oppugnatus. Delatus ergò ad Phrygiam, cùm caſtra ad Idam poſuiſſet, *mures* arcuum *nervos*, & ſcutorum *lora* arroſerunt; quos *Scamander* hoſtes terrigenas interpretratus, ibi urbem condidit, & cum finitimis bella geſſit, ut ex *Trogo Pompejo* refert *vetus interpres Virg.* qui eſt apud *Petrum Danielem* in illud *III. lib. Æneid:*

Teucrus Rhœteas primùm eſt advectus in oras.

Adde *Euſtath. in Iliad. I.* Bellum ejusdem *Scamandri*, & alia legimus apud *Nicolaum Damaſcenum in Excerptis Peireſc. p. 443.* Ibi, *Scamander*, qui *primus Trojanis* imperavit, *Samonis* (hic quoque *Cretenſis* fuit) operâ uſus, barbaros (qui Troadem incolebant) ſubegit: *Samone* autem in pugnâ interfecto, uxorem illius *Dadan* cum caduceatore miſit, ut eo loci nuberet, cui vellet: Sed caduceator in itinere eam ſtuprat, ſtatimq; mulier, impar tantæ calamitati, gladio mariti (quem ſecum habebat) ſeipſam transfixit. Quod ubi *Cretenſes* comperêre, caduceatorem eô ipsô in loco (qui vulgò *impudentiæ* appellatur) lapidibus obruerunt. Hæc *Damaſcenus.*

Porrò à Scamandri filio, *Teucro, Teucri* appellati; qui & ipſe ante Dardanum *Sminthium* extruxit. At Dardanus regnare cœpit A. M. 2471, octingentis (& quod excurrit) annis poſt diluvium. Alii *Coriti* filium aſſerunt; ſed qui diligenter diſtinguendus eſt à

Corytho, cujus meminit *Diodorus lib. IV. Bibl. c. 33.* Nam hic longè recentior, & Laomedontis σύγχρονος. Uxor, ut jam *Tzetzes* docuit, *Batea*, Teucri filia; quam duxit poſt *Chryſem*, Balaantis filiam; è quâ genuerat *Ideum* & *Timantem*, ſucceſſores *Atlantis* proavi, in *Arcadico* regno; ut auctor eſt *Dionyſ. Halicar. lib. I. c. 61.*

E *Batea* eſt ERICHTHONIUS, qui *Dardano* patri *ſucceſſit* A. M. 2536. Uxor *Callirrhoë*, Scamandri filia; ut vult *Dionyſius d. l. c. 62.* *Aſtyoche*, Simoëntis filia, ut *Tzetzes*.

TROS, vel TROUS, Erichthonii filius, regnum ſuſcepit A. M. 2582. *Trojam* condidit, & *Trojadi* nomen dedit. *Euſeb. num. 649*: Τῆς Δαρδανίας ἐβασίλευσεν ΤΡΩΣ καὶ Ἶλος, ἀφ' οὗ Τρῶες καὶ Τρωὰς, καὶ ἡ πόλις Ἴλιον. *In Dardaniâ regnavit Tros, & Ilus; à quo Troës & Troas, & urbs Ilium.* Ubi duos Reges miſcet ſimul. *Trois* conjux ſecundum *Dionyſ. d. c. 62.* fuit *Acalis*, Eumedis filia: At ſecundum *Tzetzem* & *Cononem* apud *Photium narrat CXII.*, *Callirrhoë*, Scamandri filia; quæcunq; tandem fuerit.

ILUM, Trois filium ſtatuunt plerique omnes: Is, ſecundum *Calviſium*, regere Trojanos cœpit A. M. 2631. Hujusdem fratres, *Ganymedes* & *Aſſaracus*, Æneæ proavus. *Conon. d. l.* Ab hoc conditum *Ilium*; ut *ibidem* ſcribit, & in immenſum auxit: Videntur *Ilium*, *Troja* & *Dardania* tùm *in unum* coaluiſſe. Hujusdem tempore *Palladium* cœlo delapſum crediderunt. *Ovid. VI. Faſtorum*:

Mœnia

Mœnia Dardanidis nuper nova fecerat Ilus;
Ilus adhuc Aſiæ dives habebat agros.
Creditur armiferæ ſignum *cœleſte* Minervæ
Urbis in Iliacæ deſiluiſſe juga.

Sepulchrum ejus nobiliſſimum erat in campis Simoëntis, quo de *Barthius lib. XV. Adverſ. c. 18.*

Ibi filius LAOMEDON, *Capyos* (qui avus *Æneæ* fuit) patruelis, regnat A. M. 2671; cujus tempore *Hercules Thebanus* vel ob equos, quos Laomedon promiſerat; vel ob mercedem *Heſiones*, à *Ceto* liberatæ, in Trojanos expeditionem ſuſcepit; & expugnatam viduavit civibus urbem: Ipſe Laomedon occiſus eſt. Videndus *Euſebius num. 768.*

Ultimus Regum PRIAMUS Laomedontis filius, cùm A. M. 2755. regnum ſtabiliiſſet; præſidiis ubique diſpoſitis, *Antenorem* mittit in Græciam, expoſtulatum de cæde Laomedontis patris ſui; & cùm nihil reſponderetur, *Alexandrum* filium claſſe inſtruit, qui per inſidias *Helenam* capit, *Europæ Aſiæq́; ſepulchrum.* Nam ex hâc cauſâ *bellum* illud ortum (quod *per decem annos*, cum ingenti utriusq; partis clade geſtum) numeroſam illam Priami ſobolem pænè univerſam ſuſtulit. *Quinquaginta filios* Poëtæ numerant, & eorum *nomina* collegit *Guido de Columna in Hiſt. de Excidio Trojæ c. 8.* Sed vereor, ut bonâ fide; lego enim multa, quæ ne Trojana quidem videntur; & multa deſidero, quæ in vetuſtiſſimis Scriptoribus paſſim occurrunt.

Non tantum otii mihi ſupereſt ad colligenda *nomina*; ſed recenſebo tamen, quæ memoriæ meæ non-

dum elapſa ſunt: Cætera (quæ perdidit, & amiſit) ſcrutabuntur alii; qui temporis jacturam facere volent. 1. *Hector* ille, fortitudine ſua nobiliſſimus. 2. *Paris*, ſive *Alexander*; qui Helenam rapuiſſe dicitur. 3. *Deiphobus*. 4. *Helenus*. 5. *Polites*. 6. *Trous*. 7. *Polydorus*. 8. *Laocon*. (Horum tùm alii quàm plures, tùm *Virg.* paſſim mentionem facit) 9. *Antiphum*, ab Agamemnone interfectum, novi ex *Homeri Iliad.* 29. 10. *Antiphanum*, ex *Iliad.* 23. 11. *Agathonem*, ex eâdem. 12. *Hippotroum*, ex eâdem. 13. *Agavum*, ex *Iliad.* 11. 14. *Pammonem*, ex *Iliad.* 23. 15. *Lycaonem*, niſi idem ſit cum *Laoconte*, ex *Iliad.* 21. 16. *Areum*. 17. *Echemonem*. 18. *Iſum*. 19. *Evandrum*. 20. *Arſecum*. 21. *Dejopiten*. 22. *Archemachum*. 23. *Laudacum*. 24. *Philemonem*. 25. *Melium*. 26. *Aſtyochum*. 27. *Doriclum*. 28. *Hippodamanta*. 29. *Dryopem*. 30. *Biantem*. 31. *Corythum*, ſive *Gorgidionem*. 32. *Thyeſtem*. 33. *Ilioneum*. 34. *Theteſtem*. 35. *Glaucum*, 36. *Aſteropæum*. 37. *Meſtorem*. Hos omnes partim apud *Dictyn Cretenſem*, partim apud *Apollodorum* reperire licet. 38. *Cebrionem* legi apud *Stephanum de Urbibus*. 39. *Menalippum*, & 40. *Idæum* in *Hephæſtione*, apud *Photium*.

E filiabus notiſſima 1. *Creuſa*, Æneæ conjux è *Virg. lib. II. Æn.* 2. *Laodice*, ex Homeri *Iliad.* 1. 3. *Polyxena*, ex eodem & Dictii, & aliis. 4. *Caſſandra*, è Virgil, & *Plutarchi Agide*. 5. *Ariſtomache*, è Pauſaniæ *Photicis*. 6. *Aſtyoche*, è *Dicty*. 7. *Iliene*, ex *Hygino*. 8. *Medeſicaſte*, ex ejusdem *Pauſaniæ* Photicis. In tot liberis, tot calamitates expertus eſt infelix Priamus; & bel-

& bellum quidem funeſtiſſimum multis Veterum deſcriptum eſt.

De auctore Ἰλιάδ☉ μικρᾶς (quem *Lævius*, vetuſtiſſimus Poëta, Latinis verſibus reddidit) conſulendus *Scaliger in Catullum p.128*. De *Calliſthene* Cicero *lib. V. ep. fam. 12.* Sed & de muliere quâdam *Phantaſia* legimus, ſcripſiſſe libros de bello Trojano; & in *templo Vulcani* depoſuiſſe, oppido *Memphi*: Eos libros Homerum in Ægyptum venientem reperiſſe, abſtuliſſe, vindicâſſe. Quam tamen narrationem, ut vaniſſimam *phantaſiam*, explodit *Lipſius ad Sen. lib. de Brevit. vitæ, c.13.* At de Syagro *Ælianus lib. XIV. c.21.* Poſt *Orpheum* & *Muſæum* primus Trojanum bellum cecinit *Syagrus*, maximum argumentum carmine auſus tractare. De *Corinno* idem ſcribit *Suidas* in Corinno. De *Phemio* & *Demodoco Athenæus lib. I.* De aliis *Samuel Dreſemius* in Iſcanum *pag.1.* Et quis omnes illos recenſeat, quos hoc argumentum delegiſſe conſtat, Poëtas & Hiſtoricos? ſanè in proverbium abiit, Τροῖαν κλαίειν, id eſt, *Trojam deflere*. Verſantur autem hodiéque in manibus omnium *Dictys Cretenſis*, & *Dares Phrygius*; quorum *illum* auctorem *ſatis veterem* eſſe, agnoverunt eruditiſſimi Viri. *Salmaſius ad aram Doſiadæ* pag. 243: *Vetus auctor, qui ſub nomine Dictys Cretenſis libellum de bello Trojano ſcripſit.* Idem judicium ejus eſt, qui edidit *cum notis Amſtelodami A. C. 1631.* Idem *Barthii* non uno Adverſariorum loco. Hunc etiam Dictyn de bello Trojano citat *Johan. Antiochenus* (quem temporibus *Heraclii* Imperatoris vixiſſe reor) in *Excerptis Peireſc. p.784*:

p. 784. Niſi quis illo tempore verum & antiquiſſimum illum Dictyn adhuc ſuperfuiſſe velit; quod ægrè conceſſerim: Noſter Latinus latuit ſub magno nomine.

„ Ut jam ſuprà dixi, fuit *commune Scriptorum vi-* „ *tium, ut, quò pretium adderent ſcriptis ſuis, antiquio-* „ *ri potiùs quàm ſibi, ea tribuerent.* Idq; non tàm frequenter in profanis (è quibus *Pythagoras* talem fraudem frauſus eſt, *Reineſius lib. 1. Variar. c. 22.*) quàm in Scriptoribus Sacris deprehendere eſt. Sic primis ſeculis naſcentis Chriſtianismi ſuppoſuerunt *Mercurium Æpyptium*, & *carmina Sibyllina*; & aliquanto pòſt *Dionyſium Ariopagitam, Epiſtolam ad Abgarum, Acta Pilati, Ejusdemque epiſtola*; ut alios ψευδεπιγράφους innumeros taceam. Noviſſimè *Evangelia Hebraica* à *Quinquarboreo*, *Münſtero*; & pòſt ab ejus diſcipulo, *Schreckenfuchſio* edita, *Matthæo Apoſtolo adſcripta*, nobis obtrudere conati ſunt: Sed hæc nihil ad Andromacham noſtram. Hoc ſaltem de Dicty voluimus, quamvis antiquus ille non ſit, tamen in rebus Trojanis illuſtrandis minimè rejici à doctiſſimis Viris.

At *Daretis Phrygii* (quem illi adjicere vulgò ſolent) non par auctoritas, ex *Antipatro Acanthio* refert *Hephæſt.* apud *Phot. Cod. CXC. Daretem*, qui ante Homerum Iliadem conſcripſit, *monitorem* fuiſſe *Hectoris*, auctoremq;, ne Achyllis ſocium interimeret. Meminit hujusdam *Ælianus lib. XI. c. 2: Dares Phryx*, inquiens, *ante Homerum vixit, cujus Iliadem in hunc usque diem conſervari ſcio.* Ut prætercam *Iſidorum.* Sed hæc, quæ nos quidem habemus, ſpuria ſunt; ut præter *Scaligerum* judicavit *Poſſevinus Bibl.*

tom.

tom.II. ſect.IV. lib.XVI. *Andreas Schottus* (cujus epiſtolam iterum publicavit Cl. *Bœclerus* in Nepote ſuo) exiſtimat, partum eſſe *Joſephi Iſcanii*, ſive *Exonienſis*; qui vixit ſub *Johanne*, *Anglorum Rege*: Alii *Burdigalenſem* faciunt; de qua ſententia conſulendus *Voſſius lib. I. de Idolol. c. 36. p. 268.* Ejusdem *Joſephi poëma* de bello Trojano in *libros VI.* diſtributum ſub *Cornelii Nepotis* nomine vulgârat ſuperior ætas. Quisquis tandem ſit hiſtoriæ auctor, non eſt ætatis aureæ; ſed barbarus, & judicio planè deſtitutus: Ut, quod *Pſeudoberoſo* precium conſtituimus, ponamus huic quoque; & juventutem cavere jubeamus, ne in hâc literarum luce tenebras probet; & ad aſſerendam rerum memoriam ſtramineos teſtes advocet.

Quamvis & illorum fides, quos velut approbatos nominavimus, & è quorum mente hactenus locuti ſumus, de rebus Trojanis & excidio Trojæ, in dubium vocari poſſit. Quid ais? tunc Priamum occiſum, *Trojam* à Græcis *captam* & inflammatam, contra tantam Scriptorum multitudinem *negare* audes? Non nego, immenſam multitudinem eſſe; immò ſcio ex illâ, quosdam tàm confidentes fuiſſe, qui *diem excíſæ Trojæ* poſteritati traderent. Vid. *Plut. in Camillo, & Dionyſ. Halic. lib. II. c. 63.* referentes, captam eſſe *die 23. Thargelionis, diebus 27. ante ſolſtitium æſtivum.* Unus repertus eſt *Dio Chryſoſtomus Coccejanus* (vel avus vel proavus maternus Dionis Cocceji hiſtorici, tantâ gratiâ pollens, ut *Trajanus* aureo & *triumphali curru juxta ſe collocatum* compellârit his verbis: AMO TE, UT ME IPSUM! *Philoſtratus*

in ejus vitâ p.495.) qui tantæ multitudini ſe ſolum objecit; & quæ magno conſenſu recepta erant, multis rationibus refutavit. Ad firmandam enim ſententiam ſuam adfert narrationem *Sacerdotis Ægyptii* de bello Trojano, ex antiquis Ægyptiorum monumentis repetitam.

Quo *primùm* oſtendit, *Helenam*, Tyndarei Regis Spartani filiam, à plurimis Aſiæ Græciæq; proceribus expetitam, *Alexandro*, Priami filio, præ omnibus aliis, *legitimo conjugio nuptam*; & hinc domum ab eo ductam. Hinc quæ de raptu ejus, primâque *Trojæ* per *Herculem* expugnatione à Græcis referuntur, firmis rationibus refellit.

Poſthac ſubjungit, ut Græciæ Principes ab *Atridis* concitari ex merâ *erga Alexandrum invidiâ*, & creſcentis Trojanorum potentiæ metu, bellum Trojanis fecerint; & quàm infeliciter hoc à Græcis, quàm proſperè à Trojanis ſit geſtum; donec munimentis Græcorum perfractis, & navibus plerisque incenſis, ab *Hectore Achilles* etiam in defenſione caſtrorum ab eodem confoſſus, armisq; ſpoliatus occubuerit: Ubi interim docet, quæ vera, & quæ falſa Homerus de hoc bello narrat; & quanta ſit ejus in laudandis Græcis inopia & jejunitas, & viciſſim in deprædicandis Trojanis quàm abundans copia. Commentum etiam de *Patroclo*, & de *monomachia Achillis cum Hectore*, ut falſiſſimum & ineptiſſimum utrunque, confutat & irridet.

Tertiò exponit, ut Græci per deſperationem *in Cherſoneſum* transfretârint; & cùm nova utriusque auxilia

auxilia adveniſſent, Trojanis quidem *Æthiopum* & *Amazonum* copiæ; Græcis verò *Neoptolemi* & *Philoctetæ* manus acerrimum & luctuoſum prælium intercesſit coortum; in quô à parte Trojanorum *Memnon, Pentheſilea,* & *Paris*; à parte Græcorum *Ajax* & *Antilochus* ceciderunt: Unde conſecuta mox ſit dialyſis, & fœdus Græcorum cum Trojanis; quibus hi conditionibus vellent initum, dum & Græci viribus exhauſti, & ad incitas redacti ultrò pacem expetunt: Et Trojani tot laborum & caſuum pertæſi, eam non denegant; præſertim cùm & dónarium *equi lignei* Minervæ Trojanæ conſecrârunt; ut quaſi trophæum victoriæ Trojanorum extaret.

Hinc addit quædam, de beatô glorioſôque Priami & Hectoris exitu. *Et ad poſtremum* multis abſurditatibus oſtenſis, & miſero Græcorum reditu, domeſticisq; eorum calamitatibus: Tùm coloniis Trojanorum in Italiam, Galliam Ciſalpinam, & ipſam Græciam feliciter ductis, & exulibus Græcorum à Trojanis in Italiâ & Aſiâ receptis, confirmat *Trojanos*, non Græcos, hoc bello *evaſiſſe victores.* Ita totam Orationem *Dionis Chryſoſtomi* in compendium contraxit *Laurentius Rhodomannus.*

Ut ingenuè fatear, ipſam veritatem loqui mihi videtur *Chryſoſtomus*; & qui ſcit, quantum Ægyptiorum monumenta Græcorum narrationes prægravent, vix aliter affectus erit. Ægyptiorum namque potiſſima cura fuit, ut omnium memoria quàm diligentiſſimè conſervaretur: Contrà apud Græcos antiquitates vel ſepultæ, vel miris fabulis involutæ. Hinc apud

apud *Platonem in Timæo* ſenex ille ſacerdos Ægyptius Solonem & Græcos accuſat, ut ſemper pueros, nunquam ſenes eſſe affirmans; in quorum animo nulla erat ex vetuſtatis relatione vera opinio, nulla cana ſcientia. Sed ne contra fas audire velimus Ægyptium in ſuâ cauſâ, en *Joſephum* de hâc ipſâ re *lib. I.* contra Appionem: *Omnia Græcorum nova, & heri nuperque nata cognovi, id eſt, fabricam civitatum & inventiones artium, conſcriptionemq; legum; rebusq; cunctis recentior apud eos eſt hiſtoriæ conſcribendæ ratio: Apud Ægyptios autem atque Chaldæos & Phœnicas, ſicut ipſi fatentur, res geſtæ antiquiſſimam & permanentem habent memoriam. Nam multum providerunt, ut nihil tacitum relinqueretur; ſed omnia in annales à Viris ſapientiſſimis referrentur.* Hæc Joſephus. Sed & cùm nobis de eo conſtet, neminem è Scriptoribus Græcis fuiſſe, qui de bello Trojano non prodigioſum aliquod, & incredibile retulerit; vel hoc ipſum Ægyptiorum monumenta favorabiliora reddit. *Eſt ea mentientium conditio, ut in mendacio deprehenſi fidem non mereantur ampliùs:* Sic, cùm *Polybius*, aliiq; magni viri, *Pythiam Maſſilienſem*, qui γῆς περίοδον notâſſent, falſa multa tradidiſſe etiam de iis, quæ Græcis hominibus nota erant, atque explorata; ita cœpit Pytheæ fides eſſe ſuſpecta, ut jam multi non alio loco ejus ſcripta, quàm fabulas habeant: Quia factum eſt, ut ne in iis quidem, quæ verè ſcripſerat, ei ab iisdem fides haberetur. *Caſaubonus ad Strabonis lib. I. p. 42.* Sic, cùm Tiberius ad vana & toties irriſa revolveretur, vero quoque & honeſto fidem demſiſſe, ſcribit

ſcribit *Tacitus lib. IV. Annal. c. 9.* Multò minus non manifeſtâ in re ſequi poſſumus Græcos, tot fabularum in rebus Troicis manifeſtos; & Ægyptiaca monumenta rejicere, graviſſimis Scriptoribus commendata.

Nihil ſanè, quoad Trojanum bellum, in his abſonum & abſurdum; immò in hâc narratione occurrunt quàm plurima, quæ nec ipſi Græci diſſimulare potuerunt. Ut ſaltem hoc tangam, referebat Ægyptius ex pilis & columnis ſuis (in quib⁹ hiſtoria vetus deſcripta erat) *Græcos* demum *reverſos* nullam non *calamitatem* excepiſſe; quod ipſum fortiſſimum argumentum ſit rerum malè geſtarum: Cùm, ſi victores extitiſſent, inſidiatores & rebelles ab omnibus molitionibus ſuâ claritudine & potentiâ facilè deterrere, vel auſus retundere potuiſſent. Contra Trojanorum res potentiâ & gloriâ multò inſigniores extitiſſe. *Priamum* vitam finiiſſe omnium *feliciſſimum*, niſi quantum ægritudinis attulerunt neces plurium filiorum. Ipſum *Hectorem*, poſtquam plurimos regnârit annos, & multas Aſiæ provincias imperio ſuo adjunxerit, in *maturâ ſenectâ* fatis conceſſiſſe; relicto ſucceſſore *Scamandrio* filio. *Æneam* ab *Hectore* miſſum cum claſſe & numeroſâ manu, *Italiam*, beatiſſimam Europæ regionem, *occupâſſe*. *Helenum* in mediam profectum Græciam, *Moloſſorum regnum & Epiri*, proximè Theſſaliam obtinuiſſe. *Antenorem* & ipſum regnandi cupidine exarſiſſe, & in *Europam* trajeciſſe; & opimam circa *Hadriam* regionem ſui juris feciſſe. Hæc pleraque vel in Græcorum libris obſervare licet.

Scaman-

Scamandrium, Hectoris filium, potentiam quandam in *Troade* obtinuiſſe, ſatis indicat *Nicolaus Damaſcenus lib. IV apud Stephanum de Urbibus*, in Aſcania: *Scamandrius, Hectoris & Andromachæ filius, ab Ida & Daſcylio & Aſcania (quam condidit Aſcanius, Æneæ filius) contracta idonea hominum multitudine.* Neſcio tamen, an id fortaſſe in ſequentibus dixerit, quod *Anaxicrates lib. II. Rerum Argivarum*, *apud Scholiaſtem Euripidis in Andromacham:* Scamandrium, Hectoris filium, collectâ ex agro Trojano multitudinè in Scythiam veniſſe; & ad Danaim conſediſſe videtur.

Igitur aliis teſtimoniis opus eſt. Conton *apud Photium Cod. CLXXXVI.* narrat. 46: *Reverſi è Lydiâ Oxynius & Scamander, Hectoris filii, omnia circum Ilium loca, ex paterna velut hæreditate relicta, ſibi vindicârunt.* Hellanicus *apud Dionyſ. Halicar.* lib. I. c. 47: *Scamandrius cum aliis, de familiâ Hectoris è Græciâ à Neoptolemo dimiſſis, deducens eos in paternum regnum, ad Trojam rediit.* Strabo lib. XIII. pag. 607: *Palæſcepſis in eam partem, quæ nunc Scepſis, translata eſt à Scamandrio, Hectoris, & Aſcanio, Æneæ filio; ac duæ hæ familiæ diu Scepſi regnâſſe traduntur.* Euſebius num. 863: *Hectoris filii Ilium receperunt, expulſis Antenoris filiis, Heleno ſibi ſubſidium ferente.* Scaliger ſatis mirari non poteſt, quomodò Ilium Hectoridæ repetierint jam deletum, & ſolo æquatum; & ignorat, quos Hectoridas hîc intelligat; omnibus literis Hectoris, etiam puero *Aſtyonacte*, interfectis. Concluderet, accepiſſe hæc *Euſebium à Dicty & Darete Phrygio*; niſi ſuccurreret *Dionyſ. Halicar.*

Halicar. d. l. I. c. 47. Quaſi nemo Veterum, præter Dionyſium, mentionem faciat filiorum Hectoris, poſt Priami mortem regnantium? Quaſi certum ſit, Daretum tàm veterem, ut eum in manibus habuerit Euſebius? Quaſi luce meridianâ clarius, Trojam exciſſam? Quaſi in cauſſa veritatis locum habeat illud in diſceſſionibus uſurpatum: hæc pars major eſſe videtur! rectè *Seneca lib. I. de beatâ vitâ. c. 2:* ideò pejor eſt.

Immò vel ex *Euſebii* & *Dionyſii* loco mihi liquet de inconſtantiâ mendacii. *Deletum* & ſolo æquatum dicunt, & tamen rurſus agnoſcunt *Hectoridarum regnum* in eodem Ilio: Ita mendacium etiamſi alius deſit, qui conficiat, ſuâ ſemet manu jugulat. Similem inconſtantiam deprehendit *Strabo d. l.* cùm Homerus diceret, Priami ſtirpe abolita in bello Trojano ſucceſſiſſe *Æneadas*: Alii tamen *Scamandrium* agnoſcerent: Homerus Æneadas *in Trojâ* manſiſſe; alii, *in Italiam* profectos. Hæc diſcrepantia non aliam matrem habet, quàm ignorantiam; ſed contenti libros domeſticos conſuluiſſe, Ægyptiacam hiſtoriam (in quâ veritas manifeſta ſigna præſentiæ ſuæ dabat) alto ſupercilio deſpiciebant.

Nunc ad alia. Non inficias ire poterant idem Græci, *Æneam* in *Italiam* veniſſe, & ibi ampliſſimum condidiſſe regnum:

- - - genus unde Latinum,
Albaniq; Patres, atque altæ mœnia Romæ.

Tàm potentem etiam, ut *Ænum* in *Thracia*, *Rhœteum* & *Pergamiam* in *Cretâ*, *Aphrodiſyadem* Oc-

tiamque

tiamque ad *Cynethium* promontorium,& alias urbes alibi conderet; ac denique bellicoſiſſimos *Rutulorum* & *Hetruſcorum* Reges bello aggrederetur. Sed de *Æneadum potentiâ* dicam mox plura ex iis Græcis & Latinis Scriptoribus, qui eos ſecuti ſunt.

Concedunt iidem Græci, *Antenorem Henetis*, Paphlagonibus, qui ad Trojam militârant, aſſumptis, *Euganeos* debellâſſe, *Patavium* extruxiſſe. Nec abnuunt, *Helenum*, Priami filium, in *Epiro*, ipſa Æacidarum ſede, regnum obtinuiſſe. Videndi de *Antenore*, quos citat *Philippus Cluverius lib. I. de Italiâ antiquâ, c.18.p.142.* De Heleno *Juſtinus lib.XVII.c.3.§.6.* & *Servius ad* illud Virgilii *Æneid. III. v.319.*

Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia ſervas.

Tot ampliſſima regna, tot urbes condidiſſe & obtinuiſſe, tanta bella geſſiſſe;

Trojas, relliquias Danaum, atque immitis Achilli, ut *Virgil.* loquitur *I. Æneid. v.34.* ſive:

Collectam exilio pubem miſerabile vulgus

II. Æneid. v.798. Quis credat? victos deletâ patriâ per orbem terrarum plus potuiſſe, quàm victores? Priami nepotem Scamandrium avita poſſidere? Græcorum deterrimam conditionem eſſe? Nam ſecundum ipſos Græcos *Diomedes* aditu prohibetur: *Agamemnon* Rex Regum occiditur: *Teucer* Salaminæ pellitur: *Neoptolemus* primùm exigitur; deinde univerſi ex Pelopis ſtirpe regnum Peloponneſi amittunt: *Menelaus* in Ægypto moritur: *Ulyſſes* inter Italiam, Siciliam, & extra notum Græcis orbem diu multùmque jactatus, tandem redux à filio necatur. Scio

colores

colores & circumſtantias, quas Græci Scriptores afferunt; ſed profectò incredibilibus incredibilia contegere conantur.

Poſſem hîc enumerare multas alias florentiſſimas nationes, quæ Troja velut ex patria majeſtatis gloriæque omnis natali domo, origines ſuas accerſebant: Fuerunt ex iſtis *Ædui* & *Mamertini*, quos conjungit *Eumenius in paneg. VIII. c. 3.* & *Sardi*, de quibus *Pauſanias in Phocicis* p. 638: *Trojanos Græcis permixtos in Sardiniam veniſſe; cum quibus ne barbari cōfligerent, belli apparatu, quo illi non cedebant, deterritos.* Quæ verba explicanda mihi videntur è monumentis Ægyptiis, permixtos Græcis Trojanos; ſed ex illo fœdere, quod fuſiùs exponit *Dio Chryſoſtomus*. Et *Segeſtani* in Sicilia, quos proinde (COGNATOS POPLI ROMANI) *Cognatos populi Romani* vocat *columna proſtrata Duilii.* Et denique *Franci noſtri*, quos à Trojanis oriundos longè vetuſtiſſimam famam eſſe, & bonis Scriptoribus innixam, vult *Valeſius ad Excerpta Peireſc. p. 73.* Et ipſos antiquiſſimos *Reges Francorum* aſſumſiſſe *Trojana nomina*, conſtat ex *Ammiani lib. XV.* Si quidem ibi locum habet emendatio *Lindenbrochii* & *Marci VVelſeri*, è *Proſpero* in Chronicis, & *Sigeberdo Gemblacenſi*; qui temporibus *Gratiani*, Romanorum Imperatoris, Priamum in Franconiâ regnâſſe ſcribunt. Sed hîc malo credere, multum iſta ex vano trahere; & pleroſq; licere ſibi crediſiſſe, his artibus primordia majorum auguſtiora facere; ut loquitur *Livius in præfat.*

Ut concludam, impolita mihi Græcorum fa-

bula videtur, & ne veri quidem umbram habens. Quæ cauſa? Profluxerunt pleraque omnia ab *Homero, Poëta famelico; & cui nihil erat cum fide.* Unde *Dio Chryſoſtomus* fontem à capite fodiendum eſſe ratus, in hunc præcipuè calamum ſuum ſtrinxit. Hem, inquis, hoccine tu nobis: quibus antea recenſuiſti Scriptores belli Trojani, Homero antiquiores? Si fuerunt, nec & ipſi de Trojano excidio tradiderunt idem: Nam negantibus indubiè acceſſiſſent Græcorum alii, quos hodie ſcimus nullos.

Dicam tibi, quod ſentio: ſcripſi ex Græcorum mente ſuprà; ſed alia mea eſt. Hæc videlicet, *nullum librum apud Græcos Homeri poëmate vetuſtiorem eſſe.* Confirmat hoc *Joſephus lib. I.* contra Appionem: *Conſtat autem, quòd apud Græcos nullum ſcriptum reperiatur Homeri poëmate vetuſtius: Et ajunt, neque hunc literis ſuum poëma reliquiſſe.* Joſephum quidem multis perſtringit *Voſſius lib. I. de Arte Grammaticâ c. 10.* & refutat ex *Herodoto*; qui *tres inſcriptiones* vetuſtiſſimas vidiſſe ſe teſtatur: Primam *Amphitrionis*, alteram *Hippocoontis*, tertiam *Laodamantis*, Eteocli filii. Et ſanè *Joſephus* longiùs abiit, dum *negat* ullâ inſcriptione ſive in templis, ſive anathematis *comprobari poſſe, Græcos literis uſos ante bellum Trojanum.* De hiſtoriâ tamen non puto contrarium reſponderi poſſe; ſed antiquiſſimos rerum auctores fuiſſe, quos ibidem nominat *Cadmum Mileſium* & *Acuſilaum Argivum*; qui paulò ante expeditionem Perſicam contra Græcos, vixêre. Quamobrem ut multos noſtro, ſic antiquo ſeculo imponere voluiſſe credo, qui ultimam antiquita-

tiquitatem adſtructum iverunt Scriptoribus, de bello Trojano recentioribus, *Syagro, Corinno* & aliis.

Cæterùm Homeri figmentum adjuvit communis ille *affectus in patriam*, cujus laudibus plus, quàm veritati ſtudere mortales ſolent. *Romanis* id ſolitum, ut triumphâſſe ſuos ſcriberent, cùm victi eſſent; docui ex hiſtoriâ Alexandri Severi *ad Valerii Max. lib. VIII. c. 15. §. 3.* Nimirum cùm apud *Lampridium*, & in *Faſtis recentiorum* Princeps ille hodieq; de Perſis triumphet, ſcimus tamen ex Orientalium libris, cùm *Herodiano* collatis, tot ſtragibus affectum eſſe, ut Perſis cederet, *Suſianâ, Cœleſyria, Chaldæa, parte Græciæ & Palæſtinâ ad Arabiam* usque. Idem factum temporibus *Neronianis*, adeoq; *Perſius ſat. III.* perſtringit illos, qui cùm *Parthica* ſcriberent, *Neronem*, & res Romanas in majus extollebant. Vide *Caſaub. ad Perſium p. 363.* & adde de aliis hiſtoricis Romanis, diſcurſum *Brunneri lib. I. rerum Boicarum p. 78. 79, & ſeqq.* Quid ergo miramur, ſi audaciores in remotioribus à memoria ſuâ Græcos deprehendimus: Græcos, quos ad fabulas ſcribendas æſtus quidam abripuit.

Repertus eſt quidem noſtro ſeculo *Alcidius*, qui *pro Græca fide* diſſertationem ſcripſit, & *Patavii* publicavit. Ibi quamvis *Atticam fidem* commendet ex *Paterculo, Achaicam* ex *Polybio*; & phraſin illam, *Græcâ mercari fide*, contra interpretum communiorum ſententiam interpretetur; tamen hiſtoriam illorum ab infamiâ publicâ non liberat. Poſſem illum alioqui juvare exemplis *Ariſtidis, Phocionis, Epaminondæ*, & aliorum; qui ſtudioſi veritatis ſic extiterunt,

ut ne joco quidem, ne propter maximam quidem utilitatem dicere mendacium vellent; ſed juxta de *Græcis* in univerſum *objicere* poſſem ipſum *Polyb. lib. VI. c. 56.* Et *judicia* illa, quæ videre licet *apud Valeſium ad Excerpta Peireſc. Polybii, p. 31.* Nos hiſtoriam præcipuè conſideramus; de quâ quid judicârint veteres, conſtat ex illo *Juvenalis*:

- - & quicquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria. - -

Joſephus, Vir diſertus, & temporum intelligens (ut eum laudat *Voſſius d. l. I. de Arte Grammat. c. 10.*, hoc idem Appioni objicit: *Quod unusquisque opinatus eſt*, inquiens, *hoc ſtuduit depromere. Unde etiam libris ſe invicem arguunt, & valdè contraria de rebus iisdem non piget eos dicere.* Hæc ille; quæ vel una hiſtoria Trojana ſatis comprobârit, paradoxologiâ, contradictionibus, fabulis & affectibus refertiſſima; ſimilis denique ſpeculo, διαστρόφῳ, παραχρώμῳ καὶ ἑτεροσχήμῳ; id eſt, perverſo, alienos colores, & alienas figuras exprimenti. Hoc eſt: Quæ res oppoſitas non refert, quales ſunt, ſed corruptâ formâ, vel colore non ſuo, vel figurâ alienâ.

Et cùm hujusmodi ſit, meritò fides illius laborat, in quæſtione principali: *An Troja capta ſit?* Hoc enim illud ipſum eſt, ubi plerarumque nationum Scriptores, cumprimis ſpectandam exhibent τὴν διάθεσιν, id eſt, affectum ſuum; ut in quo vel gloriam, vel infamiam patriæ ſitam arbitrantur. Quid igitur reſtat, quàm ut aures præbeamus *monumentis Ægyptiis*; quæ & vetuſtiora ſunt omnibus Scriptoribus Græcis, & ſince-

ſinceriora. Græci de ſuis rebus agi viderunt, cùm de Troja ſcriberent: At Ægyptiis nulli bono mendacium fuit. Si rectum eſt, ut eſt, quod ſcribit *Hieronymus epiſt. 9, fidele eſſe teſtimonium, quod cauſas non habet mentiendi*; cauſa *Dionis Chryſoſtomi*, vel *Sacerdotis Ægyptii* jam vicit. Quâ ex causâ Trojanis favet Ægyptius? quâ odiſſet Græcos? Quin *Menelaum* nudum, naufragum, rerum omnium egenum, excepit *Ægyptus*. Unum eſt, quod objici poſſit, diſſenſus aliorum ſacerdotum Ægyptiorum, apud *Herodotum in Euterpe p. 144.* At in mentem nunc eſt *Diodori Sic. lib. I. c. 68.* judicium: *Herodotum portenta narrationum pro veritate ſponte amplexum, & voluptatis gratiâ fabulas commentum deblaterâſſe.* Sanè tot graviſſima peccata in rebus Ægyptiorum ſatis arguunt, idoneos teſtes in Ægypto minimè conſuluiſſe. Et quam, quæſo, fidem meretur illud, quòd narrat, *per tot annos* ob Helenæ raptum *bellatum* fuiſſe ad Trojam; *nec* tamen expugnatâ Trojâ *Helenam ibi repertam?* Senſit *Herodotus*, ſibi impoſitum fuiſſe, ut è ſequentibus patet. Nihil igitur ſermunculi è trivio, vel imperitorum, convellere poſſunt narrationem Sacerdotis alterius, quam debuit pilis & columnæ; in quibus hiſtoria vetus quàm ſincerè deſcripta fuit.

His ita ſatis, ut reor, expoſitis, tamen interrogari me ſentio: Eſto, Græcos, ut ſibi diſſimiles, ita fidei ſuſpectos & affectibus erga patriam abreptos contraria veritati ſcripſiſſe: Eſto, penes Ægyptios genuinam rerum antiquarum memoriam conſervatam; atque adeò illos hâc in re audiendos eſſe: Quo

igitur fato Troja periit? ita namq; periiſſe conſtat, ut poſteri quærerent, *eodemne in loco* ſitum fuerit *Ilion*, in quo *Troja* vetus? Et hoc negat *Strabo*, ſimul adjiciens iſtud: *Trojam veterem nunquam inſtauratam à poſteris.*

Poſſem ad hanc quæſtionem reſpondere, non eſſe neceſſarium, ut demonſtrem hoc, quod nec adverſa pars firmiter concludere poſſet: Quia fatum aliud neſcimus, ergò bello decennali illo cecidit. Multò alia, longè recentiora, profunda altitudo temporis obruit; & ineluctabilis oblivio oppreſſit: Ac proinde monumentis Ægyptiis ſilentium ſcriptorum præjudicare nequit. Dico nihilominus *periiſſe* mihi videri *terræ motu*, & *inundationibus*; quibus ora illa maximè obnoxia fuit. Neque frivola divinatio eſt, quòd dixi: *Demetrius Scepſius*, qui non procul Trojâ oriundus fuit, è *Democle* narrat apud *Strabonem lib. I. p. 58.* terræ motus ingentes fuiſſe in *Lydiâ* & *Joniâ*, usque ad *Troadem*; ſed & *Trojam* fluctibus *inundatam*. Vellem, deſignâſſet tempus; nam illa præcedentia: *regnante Tantalo*, tantùm referenda etiam ad *everſionem Sipyli*. Nec, ſi diluvio fuiſſet inundata tempore *Tantali*, id eſt, *Trois*, campeſtria delegiſſet *Ilus*, qui ſucceſſit; de qua re *Strabo lib. XIII. p. 592.* Alio igitur tempore, & diu pòſt, hæc calamitas Trojam oppreſſit. Memini & alibi legere.

Cæterùm ſequentibus temporibus *Trojæ* loco habitum *Ilium*, quamvis longiuſculè ab illâ ſitum; & *Ilienſes*, ut *Trojani*, culti. Favit iis multùm *Alexander*, &, cùm *Ilium pagus* eſſet, *poſt pugnam ad Granicum*

cum (Bithyniæ fluvium) *urbis nomen* accepit; & ſub ſtructionibus fundata eſt. *Strabo d. l.* Cauſam fuſiùs exponit *Caſaubonus ad Strab. p. 224.* Functo Alexandro, *Lyſimachus* curam ſuſcepit, *templum* condidit, *murum* 40. ſtadiorum urbi circundedit; juſſis *Ilium* commigrare earum civitatum incolis, quæ ruinam traxerant. *Strabo d. l.* Videntur tamen *Lyſimacho* cogitata vel nullum, vel exiguum ſucceſſum habuiſſe; ſecundùm eundem *Strabonem*, cùm ait: *Romanis bello Antiochico in Aſiam venientibus, Ilium oppidum pago ſimile fuiſſe.* Sed & *Demetrius Scepſius* teſtatur: *Se, cùm eò veniſſet, ita neglecta vidiſſe domicilia, ut ne tecta quidem imbricibus coctis tegerentur.* Et *Hegeſianax* auctor eſt, *Gallos*, cùm in *Aſiam* trajeciſſent, *Ilium* occupatum ſtatim *deſeruiſſe, quòd muris careret.*

Contrà Romani de bello *Antiochico* ſcribentes, urbis meminerunt, ut templis ac Deorum ſimulacris exornatæ. Juſtinus *lib. XXXI. c. 8.: Cùm ingreſſi Aſiam Romani Ilion veniſſent, mutua gratulatio fuit, Illienſibus Æneam, cæterosq; cùm eò Duces à ſe profectos, Romanos ſe ab his procreatos referentibus. Tantaq; lætitia omnium fuit, quanta eſſe poſt longum tempus inter parentes & liberos ſolet. Juvabat Ilienſes, nepotes ſuos (occidente & Africâ domitâ) Aſiam, ut avitum regnum, vindicare. &c.* Livius *lib. XXXVII. cap. 38: Inde Ilium proceſſit, caſtrisq; in campo poſitis, in urbem arcemq; cùm aſcendiſſet, ſacrificavit Minervæ, præſidi arcis; & Ilienſibus in omni rerum verborumq; honore ab ſe oriundos Romanos referentibus, & Romanis lætis origine ſuâ.* Ex eo tempore populi Romani benefi-

ciis magnum incrementum cœpit; *Antiocho* namque ad duriſſimas pacis conditiones compulſo, refert *Livius lib. XXXVIII. c. 39.* non tàm immunitate, quàm *Rhateo & Gergitho* civitatibus *Ilienſes* donatos eſſe. Neſcio de quo *Seleuco* loquatur *Suetonius in Claudio c. 25*: *Senatum populumq; Romanum Seleuco Regi amicitiam, & ſocietatem ita demum pollicitum; ſi conſanguineos ſuos Ilienſes ab omni onere immunes præſtitiſſet.* An è ſucceſſoribus *Antiochi Magni* unus? at jam antè immunitas data; nec credibile, progeniem *Antiochi* tantarum virium fuiſſe, ut populi Romani beneficium ſubvertere, ac novis oneribus *Ilienſes* premere ſuſtinuerint.

Porrò Reip. Rom. calamitas ſimul Ilienſes involvit: Temporibus enim *Sullanis & Marianis* (cùm omnia licerent omnibus) *C. Flavius Fimbria*, homo ſceleratiſſimus (cùm *Ilienſes* legationem *ad Sullam* miſiſſent) hoc eorum factum non diſplicere præ ſe tulit; *Nihil intereſſe*, dicens, *utri deditionem facerent, ſibi an Sullæ; utrumq; enim Romanum.* Sed mox receptus in urbem, obvium quemque nullo diſcrimine obtruncavit; urbemq; propè univerſam igni delevit, ut eſt apud *Dionem in Excerptis Peireſc. p. 653.* Addendi *Epitomator Livii lib. LXXXIII, & Strabo d. l. p. 594.* Paullò pòſt *Lucius Cornelius Sulla* multis beneficiis urbem refecit, & conſolatus eſt. At ſuperavit hujus ſtudium *C. Julius Cæſar*, ab *Anchiſe* & *Venere* deducens genus; ut idem refert *Strabo.* Increbuerat de eodem fama, *migraturum Ilium*, translatis ſimul opibus imperii; exhauſtâque Italiâ delectibus, & procuratione

tione urbis amicis permiſsâ, teſte *Suetonio in Cæſ.c. 79.* Qui refert inter *cauſas* maturatæ *conſpirationis* à *Caſſio* & *Bruto.* Videntur mihi Romani, tùm ex aliis cauſis, tùm ob hanc, translationem illam abominati; quòd (ut ex *Horatii III. Carm. 3.* obſervat *Barthius lib. LX. Adverſariorum p. 2864.*) de *Troja ſortes* eſſent, *illa reſurgente Romam periclitaturam.* Eam verò *conditionem*, quam *Ilienſes ſub Cæſare* habuerunt, *retinuiſſe* ævo ſuo, addit *Strabo p. 595.* Attamen *ſub Auguſto* contigit, ut, cùm *Julia*, Cæſaris Auguſti filia, *conjux M. Agrippæ*, noctu *Ilium* proficiſceretur, effuſis torrentibus, *Scamandro* ſupra modum aucto, Julia cum famulis (qui ad lecticam erant) in magnum vitæ diſcrimen adduceretur: *Ilienſibus* adventus illius prorſus *ignaris.* Quamobrem indignatus *Agrippa*, nullam opem latam ab Ilienſibus, drachmarum argenti millibus centum eos multavit. Qui cùm in maxima difficultate verſarentur, nec auderent obloqui; *Nicolaum Damaſcenum*, qui tùm fortè Ilii erat, rogârunt, uti *Herodem* Regem ſibi ſuffragatorem, atque *adjutorem* conciliaret. Fecit hoc libenter, nec res ſucceſſu caruit; ut ipſe *Nicolaus* refert in *Excerptis Peireſc. p. 49.* Eorundem *Ilienſium privilegia* nonnunquam mota fuiſſe improbitate publicanorum, conſtat ex *iteratis* Principum *Edictis de immunitate Ilienſium:* Iteravit enim *Claudius.* Sueton. *in ejus vitâ c. 25.* Item *Nero*, Tac. *lib. XII. Annal. c. 58.* Ut taceam obſervata clariſſimis Viris è *l. 17. §. Ilienſ. ff. de Excuſat. & Leg. de geſtis ac municip.* Cujus *Ilii rudera* conſpexiſſe videtur *Suleiman Baſſa, Urchanis Padiſchachi filius*; de quo

F v *Leunclav.*

Leunclav. lib. IV. Hiſtor. Muſelmannicæ : *Cùm in regione Caraſina obequitaret, venit ad locum, quo Trojæ ſtetiſſe creditur. Adſpiciebat illic admirabundus ampliſſimorum parietinas ædificiorum, & ingentem marmorum theſaurum; florentis olim, ſed à Græcis deſtructæ Trojæ reliquias.* Hæc *Leunclavius.* Sed profectò vidit *recentioris Ilii reliquias,* non Trojæ veteris: Nam jam *Strabonis* ævo, οὐδὲν ἴχνος ἐσώζετο τῆς ἀρχαίας πόλεως. Hoc eſt : *Nullum antiquæ Trojæ extabat veſtigium* ut ait *p. 599.*

REGNUM ALBANUM.

Albanorum Regum origo longiùs repetita ab Aſſaraco, *Æneæ proavo.* Venere *parente quantum gloriata ſit gens* Julia? Nummus, & binæ gemmæ *explicantur. Cupidines duo,* Eros & Anteros. *Æneæ diſceſſus à Trojâ, & adventus in Italiam è veris Ægyptiorum monumentis exponitur; rejectis Romanorum narrationibus, quas à Græcis acceperunt. Æneæ res geſtæ, à Græcis commemoratæ. Ejus liberi.* Indiges *pater.* Indigetum *appellatio unde?* Julia *gens à* Julo, *Aſcanii nepote. Cæterorum circa eam rem diſſenſus. Regum Albanorum catalogus ad ultimum usque.* Sigonii *conatus inanis.* Romuli Silvii *horrendus interitus.*

A Troja

A Troja *in Italiam* tendo, ſecutus *Æneam*, ejusque filium *Aſcanium*; qui regnum *Albanum* condidit. Ut altiùs repetam, *Aſſaracus* Trois, Trojanorum Regis, filius, Ili frater, unà cum patre *Dardania* imperavit; quæ erat *Troum regia*. *Conon* apud *Photium narrat*. 12. Dardanum Principem eum vocat *Diod. Sic. lib. IV. c.* 77. Uxorem habuit Hieromnemen, ut vult *Apollodorus lib.* III. *Bibl.* Clytodoram, ut *Dionyſ. Halicar. lib.* I. *c.* 62. Ex hoc conjugio natus Capys, *Diodor. Dionyſ. & Apollodor. d. l.* Ab eo denominata *Caphyia* Arcadiæ, ſecundùm *Stephanum*. Uxor Themis, ſecundùm *Apollodorum*, Nais, ſecundùm *Dionyſium*. Hinc *Anchiſes* natus, quem omnes *Veneris maritum* faciunt. *Reinerus Reineccius* id confictum putat ideò, quòd *Anchiſes* tàm excellenti forma fuerit; at *Franciſcus Floridus Sabinus lib.* II. *c.* 4. *Lect. Subſicivarum*, quòd ipſe *Æneas* tàm formoſus fuerit.

Sic *patrem* alter meruiſſe vult, ut *Veneris maritus* diceretur; alter *filium*, ut propitiâ Venere natus, ac *Veneris filius* appellaretur. Tam conſtanter autem *gens Julia*, quæ (ut mox dicam) *ab Æneâ* deſcendit, *Veneris* ſeſe *progeniem* exiſtimavit; ut in omnibus monumentis ejus memoriam extare voluerint. L. JULIUS. L. F. CÆSAR. in altera parte nummorum ſuorum expreſſit *Romæ caput*; in altera *Veneris ſimulacrum, inſiſtens currui, ſceptrumq́, manu tenens; Cupidinibus currum trahentibus; infra citharam.* Videatur *Fulvius Urſinus in Gente Julia p.* 113. Cupidi-

nes

nes illi veteribus dicuntur Eros & Anteros, quos è calidis fonticulis *Gadarenorum* in *Syriâ* evocatos per carmen magicum à *Jamblicho*, ſcribit *Eunapius in ejus vitâ p. 26.* Tertium recenſet Servius ad lib. IV. Æneid. quem vocat Dyſerota. Cæterùm illi duo notiores; & puto intelligi ab Ovidio in illo tritiſſimo:

- - *geminorum mater amorum.*

Inſignis eſt *annulus* aureus ex *onyche* gemmâ, apud *Gorlæum in Dactyliotheca, n. 132.* in quo conſpiciuntur *duo Cupidines,* quorum alter alterum *retortis* poſt terga *brachiis* tollit *ſublimem*; more puerorum ludentium: Inciſa eidem *pila,* ſive *orbis.* Quod quidem explicari poteſt (ni fallor) ex *Alis Simmiæ Rhodii,* Poëtæ vetuſtiſſimi: In iis loquitur Amor, quis ſit, & quando & unde natus? ſe omnibus Diis natu antiquiorem eſſe, & cœlo & terræ & mari imperare: Et illud imperium non vi, ac parendi neceſſitate; ſed amicitiâ καὶ πειθοῖ adjunctum retinere. Nil igitur aliud *pila,* ſive *orbis,* ſignificat in annulo, niſi Cupidinum imperium in Orbem terrarum. In *alia gemma,* excuſa apud eundem Gorlæum num. 4. *gemini Cupidines* ex adverſo manibus ſeſe conjungunt, & componunt; velut ad ſaltationem: Hos ergò Cupidines geminos intelligit *Ovidius,* & *C. Cæſar* in nummo ſuo. Longum foret recenſere nummos C. *Cæſaris Dictatoris,* auctoritates Poëtarum & Hiſtoricorum; quorum omnium eadem ſententia fuit, *Æneam,* gentis *Juliæ* conditorem, ab *Anchiſe* & *Venere* procreatum.

Porrò, confecto bello Trojano, id eſt, *fœdere*

inter

inter *Trojanos* & *Græcos* icto, magna hominum turba Trojæ congregata fuit; cùm nec ſocii omnes (qui Trojanis militaverant) abire vellent. Videbatur etiam *Æneas* partem regni petiturus, quæ à *Priamo* hâc conditione illi promiſſa fuerat; ſi contra Græcos in bello ſtrenuam operam attuliſſet: Quod *Hector* videns, ut urbs ſuperflua multitudine levaretur, nec à regni diviſione varia incommoda orirentur; *Æneam* miſit cum magno colonorum numero, nulliſque pepercit pecuniis, ut illi ſatisfacerent: Adjecit, dignum quidem, eſſe Æneam, qui regnaret; ſed & illud Æneâ dignum, ſi novum imperium conderet: Præſertim, cùm nec deſint vires, ad invadendam Europam; idque glorioſiſſimum regio generi futurum, ſi *Aſiæ* atque *Europæ ſimul* imperaret. Amplexus hæc eſt *Æneas*, & magnâ multitudine colonorum aſſumptâ, navigavit *in* Italiam, aſpirante fortunâ. Hæc *veriſſima narratio* & è pilis & columnis Ægyptiorum *de Æneæ adventu in* Italiam, ejusq; cauſis. At Romani Scriptores omnes (cùm non haberent doctores alios, niſi Græcos vicinos) ipſi proavorum & conditorum ſuorum memoriis deſtituti (vel ab iis oriundi, qui fortiter facere, quàm res ſuas deſcribere ac de originibus judicare peritiores) injuriam veritati factam minùs feliciter propulſârunt: Etiam ipſi de Æ*nea* ſuo *fabulas Græcanicas* loquuntur, & *exulem faciunt* imperii ſui nobiliſſimi conditorem; qui *Anchiſen patrem, gravem ſenio, per media hoſtium agmina, & per cadentis circa ſe urbis ruinas tulerit*. Ita loquitur *Seneca lib.* III. *de Beneficiis c.* 37; qui & *Conſolatione ad Helviam* c. 7:

Roma.

Romanum imperium, inquit, *auctorem exulem reſpicit; quem profugum, captâ patriâ, exiguas reliquias trahentem neceſſitas & victoris metus, longinqua quærentem, in* Italiam *detulit.* Quis non rideat ad hæc talia? cùm conſiderârit, tantum Æneam in Italia potuiſſe, bella cum bellicoſis geſſiſſe, regnum ampliſſimum fundâſſe; veniſſe tamen in Italiam, viribus omnibus deſtitutum; & nil aliud adferentem, niſi patrem & exiguas Trojæ reliquias?

Ut de rebus Æneæ quædam dicam ex ipſis Scriptoribus Latinis Græcisq; : Cùm poſt longos errores, & (ô prodigos opum ſuarum exules!) multas civitates conditas (inter quas *Ænum Thraciæ* referunt, *Conon in narrat. 46. Mela lib.* II. *c. 2. Auctor libri de Origine gentis Romanæ, Ammianus Marcellinus lib.* XXII. *p. 211. edit. Valeſ.* &, quamvis obſcurè, *Virgilius lib.* III. *Æneid.* diſſentiente *Servio,* nec accedente *Dionyſio Halicar. lib.* I. *c. 49.* qui ſcribit ad *Thraciæ* peninſulam *Pallenem* appuliſſe, habitatam à *Cruſæis* barbaris; ibiq; *templum Veneris* & oppidum non *Ænum,* ſed *Æneam* extruxiſſe) tandem ad Italiæ *Laurentum* perveniſſet; continuò oppidũ ædificare, magnâ ſuorum alacritate aggreſſus eſt: Et (ô ſuperbos & ſuæ ſortis ignaros exules!) excurrere in viciniam juſſit, qui ferrum, ligna inſtrumentumq; ruſticum, agreſtibus indignantibus, auferrent. *Latinus* tùm in eâ *Italiæ* parte *regnabat,* & adverſùs *Rutulos* bellum gerebat; fortunâ parùm proſpera. Is dum terribilem nuntium accepiſſet de adventu peregrini exercitus, omnia circumcirca vaſtantis, intermiſſo præſenti bello,

bello, in Trojanos magnum eduxit exercitum: At cùm videret Græcum in morem armatos, & ſervatis ordinibus Martis aleam impavidè expectantes (ô eximium in exulibus animorum robur, & repentinam inermium Trojanorum armaturam!) ſtatim de pace cogitat: Fœdusq́; factum his conditionibus, ut *Aborigines* darent *Trojanis* agri, quantum peterent; ut *Trojani Aboriginibus* in præſenti bello ſocii eſſent; utrique alteros pro viribus juvarent. Poſthæc itum in Rutulos, & (ô inuſitatum Italiæ ſpectaculum!) qui regni ſui florentis viribus inſtructus bellum infelix geſſerat, ope calamitoſorum & exulum vincit. Trojani pleni gloriâ cum Latinis poſt victoriam ad ſemiperfectum oppidum redeunt, & alacritate pari muniunt; templis & cæteris ornamentis ſatis inſtruunt; appellantq́; *Lavinium*, à *Lavinia*, Latini filia. Tùm regnum ÆNEAS inter *Trojanos* exorſus eſt; &, cùm paulò pòſt etiam *Latinus* bello contra *Turnum* periiſſet, ex affinitatis jure (duxerat enim Latini filiam) univerſa hæreditas, cum Latinorum regno ad illum pervenit. Pugnavit poſthæc non tantùm contra *Rutulos*, ſed etiam contra *Regem Tyrrhenorum, Mezentium*; quòd ſuſpectam haberet nimiam Trojanorum potentiam: Sed in eo bello ſubmerſus in *Numitio flumine* interiit. Hæc omnia leguntur, ſed fuſiùs deſcripta, apud *Dionyſ. Halicar. lib.* I. *à cap.* 45. *usque ad c.* 65. Liberos reliquit è *Creuſa*, Priami filia, *Aſcanium*; à *Laviniâ*, Latini filiâ, *Silvium Poſthumum*. Laviniæ hujus præter alios multos meminerunt *Silius lib.* XIII. & *Varro lib.* IV. *de Lingua Latina.*

ASCA-

ASCANIUS, qui & *Eurylion*, anno mundi 2774 (ſequor *Calviſium*) ſuccedit parenti. Primum opus (nî fallor) conſecratio parentis; nam, ut non unus ſcriptum reliquit, Æneas *Pater* I*ndiges* & *Pater Deus* I*ndiges* nominatus eſt. I*ndigetes* autem vocabant propriè (ſi credimus Grammaticis) *Deos ex hominibus factos*: Cujus nominis & varias reddunt rationes, ſed in pleriſq; nugantur. *Deus Indiges* propriè, quem Græci Θεὸν ἐγχώριον, ſeu πατρῷον, vocant. Quò facit illud Poëtæ:

Dii primi, I*ndigetes*, *quorum ſub numine Roma eſt.*

Ita dictus eſt ab *indu* & *ago*. Sic indigena, ὁ αὐτογενής, ut docet *Salmaſius ad Solini c.* 2. Poſthæc, *Aſcanius* bello petitus à *Mezentio*, & obſeſſus, eruptione nocturnâ *Lauſum*, Mezentii filium, obtruncat: Inde obſidione ſolutâ, pax facta eſt. *Dionyſ. lib.* I. *c.* 65. Triceſimo anno poſt conditum *Lavinium*, Aſcanius novæ urbis fundamenta jecit; opuſq; abſolvit A. M. 2799. Urbi nomen à ſitu *Longæ albæ* inditum. *Liv. lib.* I. *c.* 33. & alii quàm plurimis. Moritur Aſcanius anno mundi 2812. anno regni 38. ut ait *Dionyſ. lib.* I. *cap.* 70.

SILVIUS POSTUMUS ſuſcepit imperium *Albanum*, frater Aſcanii; ſed *Julo* (qui erat filius Aſcanii natu major) ex populi ſcitu honor *Sacerdotii* pro *regno* datus eſt, regio imperio ſecurior ac quietior. Ab hoc clariſſima *Juliorum gens* originem ſuam trahit. *Dionyſ. d. l.* Alii plerique Julum eundem cum Aſcanio faciunt, ut *Virgilius*, *Strabo*, *Livius*, & *Cato* in Origi-

Originibus *apud Servium*: Alii, ut *Hermannus Contractus*, qui obiit anno Chriſti 1054) & *Reuſnerus in Romanis Familiis*, & *Reineccius Tom. III. Famil.* ajunt, *Julum* filium eſſe *Silvii Alladii*, nepotem *Silvii Tiberini*, pronepotem *Silvii Capeti*, abnepotem *Silvii Capyos*, &c. & pröavum *Julii Proculi*; qui Romuli temporibus Romam commigrârit, & *pater* ſit omnium *Juliorum* Romanorum. Hoc illi quidem acceperunt ab *Euſebio*, qui videndus *num. 1141*.

Sed qui *Julii Proculi* mentionem faciunt, è veteribus *Dionyſius lib. II. c. 64. Liv. lib. I. c. 16. Ovid. lib. II. Faſt. Florus lib. I. c. 1. §. 18. Plutarchus in Romul. p. 35. & in Parallelis p. 313* (ubi ex *Ariſtobuli lib. III.* rerum Italicarum vocat *Actium Proclum*) hoc non dicunt. Immò *Dionyſius* (quo Romanos antiquitates nemo diligentiùs ſcrutatus eſt) *ab Aſcanio* derivat genus: *Julius*, inquit, *oriundus ab Aſcanio, agriculturæ ſtudioſus, vitæque inculpatæ.*

Hunc nos omninò ſequimur, & nunc quidem ad *Silvium Poſtumum* revertimur: Eum *Poſtumum Taurinum* appellat *Gotfridus Viterbienſis in Chronico*, moritur A. M. 2841. relicto filio *Ænea Sylvio*, cui ſuccedit LATINUS SILVIUS, Æneæ filius. Regnat annis uno & quinquaginta, id eſt, usque ad A. M. 2923, qui fato functus, hæredem regni reliquit ALBAM SILVIUM. Is regnum tenet annis triginginta, & A. M. 2962. ſucceſſorem habet filium, CAPETUM SILVIUM. *Capetus* A. M. 2988. filium CAPYN. *Capys* A. M. 3016. filium CALPETUM SILVIUM. *Calpetus* A. M. 3029. filium TIBERI-

NUM SILVIUM. Ita vocat *Dionyſius Halicar. d. l. Euſebius n. 1039. Ovidius IV. Faſtor. & Livius lib. I. c. 3.* At *Sigonius* Tiberium dictum putat, ex *Euſtathio*, Dionyſii interprete; ſed quis non agnoſcit Græculum nugantem? Tiberinus dicitur apud *Livium* in triga membranarum Palatinarum, atteſtante *Grutero*. Ejus filius AGRIPPA SILVIUS poſt patrem regnum accipit A. M. 3037. Et poſt hunc A. M. 3078. filius ALLADES SILVIUS, qui, quòd fulmen Jovis imitaretur, ſeu *fulmine* ictus; ut (præter *Diodor. Sic. in Excerpt. Peireſc. p. 223.*) Livius ait: Seu *hiatu terræ* (ut *Dionyſius*) cum totâ regiâ abſorptus eſt A. M. 3096. Scribit *Dionyſius*, ſuo etiamnum ævo, decreſcente ſtagno, & aquis decedētibus, per tranquillitatem ſpectari diruta atria; & alia habitationis veſtigia. Romulum dicunt *Livius, Appianus apud Photium, Diodorus in dictis Excerptis, Ovid. in IV. Faſtor.* Aremulum *Euſebius n. 1142.* Amulium *Dio* apud *Iſaacium Tzetzem in Lycophronis Caſſandram*, & *Zonaras*, Dionis compilator, ſed Ἀλλάδην magno diſcrimine *Dionyſius* appellat. AVENTINO regnum Albanorum traditum A. M. 3096. Monti *Aventino* nomen dedit; in quo etiam ſepultus eſt. Fuit filius *Romuli Silvii*, ut è *Dione d. l.* apud *Tzetzem* & *Appiano* apud *Photium Cod. LVII.* manifeſtum eſt. Deinde PROCAS SILVIUS regnat, *Aventini* filius, initiumq; regni ponitur A. M. 3132. Is NUMITOREM SILVIUM, & AMULIUM SILVIUM procreat: *Junior* majori regnum extorquet A. M. 3155. Addit ſceleri ſcelus, & Numitoris fratris filium

Ægeſtum,

Ægeſtum, ut *Dionyſius* nominat *lib. I. c. 77.* Ænitum, ut *Plutarchus in Paral. p. 314.* Lauſum, ut *Ovid. lib. IV. Faſt.* per inſidias interfecit. Ejus autem fratris filiæ *Rhea* (quæ Σιρβίλια vocabatur in tabulis Cyſini templi, matri *Attali* & *Eumenis* dedicati, varias anaglyphas hiſtorias continentibus, ut obſervat *Salmaſius ad Solini c. 2.* hoc alibi non legas) per ſpem honoris, cùm Veſtalem eam legiſſet, perpetuâ virginitate, ſpem partus adimit: Sed vi compreſſa *Veſtalis* A. M. 3172. *geminum partum edidit.* Quod cùm *Amulius* cognoviſſet, ſacerdotem in cuſtodiam dari, pueros in profluentem aquam mitti juſſit. Verùm expoſitos in proximâ alluvie, ubi ſequentibus ſeculis *ficus ruminalis* erat: Et lupam ſitientem ex montibus, qui circa ſunt, ad puerilem vagitum, curſu flexiſſe.

Nolo plura; nam hæc fabuloſa ſunt, & in vulgus notiſſima, quæ ad hiſtoricam veritatem reducere conatur *Voſſius lib. I. de Idolol. c. 12. p. 92.* Nimirum per *lupam* illam non aliam intelligendam eſſe, niſi *Accam Laurentiam*, occiſi pudoris ſcortum; cujus ubera *Romulus* & *Remus* ſuxerint. Porrò ita geniti, ita educati, tandem ubi adolevit ætas, venando peragrabant ſaltus; nec tàm in feras, quàm latrones prædâ onuſtos, impetum faciebant. Sed *capto Remo*, tùm aliis indiciis, tùm *Fauſtuli*, paſtoris regii confeſſione deteguntur omnia; *utrumque Numitoris*, è filia, *nepotem* eſſe: Et paullò pòſt *Amulius eâdem fraude* occiditur, *quâ fratrem* regno dejecerat. Reſtitutus eſt NUMITOR A. M. 3196. Hic *ultimus Rex Albanorum* fuit, poſt cujus obitum, deficiente ſtirpe regiâ,

Albani *annuos magiſtratus* creârunt regiâ poteſtate; iique *Dictatores* appellati, *Dionyſ. lib. V. c. 83.* De Romanis Regibus agam alio loco.

REGNUM ATTICUM.

Ogyges *primus Atticorum Rex ab* Japeto *oriundus.* Cecrops *ſecundus in mari rubro ſubmerſus. Regum Atticorum omnium Catalogus usque ad* Codrum. *Adſcripta tempora, quibus quisq; regnârit; cum nominibus Patrum, Conjugum & Liberorum; quæ quidem ſciri potuerunt.*

EX Italiâ trajiciamus in Græciam, antiquiſſimum in eâ *regnum Atticum*; ſed quæcunque de hoc dici poſſunt, jam præcepit ſingularis induſtria viri non doctioris (licet fuerit doctiſſimus) quàm melioris *Joh. Meurſii.* Is adeundus eſt in *tribus libris de Regno Attico*, ſive, *de Regibus Athenienſium, eorumque rebus geſtis*: Ni fortaſſis jubeor in paucas lineas compingere, quæ cùm apud illum, tùm alios dicuntur, quod faciam.

Antiquiſſimus Regum omnium fuit OGYGES, Neptuni filius & Aliſtræ, ut vult *Tzetzes*, Bœoti & Corinnæ, ut *Scholiaſtes Apollonii.* Primùm Thebis regnârat. *Meurſius lib. I. de Reg. Attico c. 1.* Mea ſententia eſt, ut alii Græci ab Japeto Noachi filio genus trahunt, ſic iſtum; & cùm *Japetus idem, qui Neptunus*, ut docet *Voſſius lib. I. de Idol. c. 5.* Hinc Ne-

ptuni

ptuni filium fecerunt, qui eſſet è ſeris nepotibus. Confirmat hoc *Cedrenus*: ἐν δὲ τοῖς χρόνοις Μωσέως γέγονέ τις ἀνὴρ μέγας ἐκ τῆς φυλῆς Ἰάφεθ, ὄνομα τῷ ἀνδρὶ Ὤγυγος: Id eſt: *Temporibus Moſis extitit vir quidam magnus ex Japeti proſapia, nomen illi Ogygus.* Vixit temporibus *Iſaaci* & *Jacobi* Patriarcharum, ut ex Græcis probant *Scaliger ad Euſebium, n. 236.* & *Petavius Ration. Temp. part. I. lib. I. c. 4.* Hoc eſt, A. M. 2169. regnante apud Aſſyrios Belocho; ut Euſebium ſecutus computat *Calviſius.* Alii, ut *Juſtinus Martyr, Orat. contra Gentiles, Africanus apud Euſebium de Præparat. Evangel. lib. X.* & *Cedrenus* modò adducto loco *Moſis* σύγχρονον, id eſt, multò recentiorem faciunt.

Ortum eſt *Ogygis* temporibus magnum *diluvium*, quod totam Atticam afflixit; ipſumque Regem (ut nonnulli volunt) ſubmerſit. Ex eo tempore nullus Atticæ Rex fuit (licet à quibusdam ACTÆUS interponatur) usque ad CECROPEM; hunc, *Vulcani* & *Terræ* filium, plerique primum Athenienſium Regem faciunt. De eo conſulendi *Ludovicus Vives in Auguſt. lib. XVIII. de Civ. Dei c. 8. Scaliger ad Euſebium n. 461. Meurſius lib. I. de Regno Attico, c. 6. 7. 8. 9. 10.* & *12.* Periit in *mari rubro*, cùm *Pharaonem*, Ægypti Regem, *adjuvans*, Iſraëlitas perſequeretur; ut *Honorius* & *Albertus in Chronicis* ſuis memoriæ prodiderunt. Nec valdè repugnat temporis ratio. *Moſi* coætaneum faciunt, quàm plures; & veroſimile, Regem Ægyptiorum, adjuviſſe *Cecropem*, & ipſum *Ægyptium.* At alii CRANAUM Cecropi ſucceſſorem

dant, aliquot annis ante exilium Iſraëlis, id eſt, A. M. 2440. cùm hic incidat in A. M. 2543. Et hujus ſententiæ fuit *Scaliger*, quem ſecutus eſt *Calviſius*. *Cranaus* nullo cognationis jure *Cecropi* conjunctus, ſecundùm iſtos regnat ab A.M.2440. ad A.M.2449.

Uxor ejus *Pediade*, *Cranaën*, *Cranaechmen*, & *Atthin* filias illi peperit. Et à poſtrema nomen habet *Attica* regio & dialectus. Ejusdem filius eſt *Rharus*, juxta *Heſychium*; & è Rharo nepos, *Triptolemus*, juxta Chærilum apud Pauſaniam. At, ut *Suidas* vult, *Rhari*, è Celeo filio *nepos*, *Triptolemus* fuit.

Sive *Cranaën*, ſive *Cranaechmen* duxit AMPHICTYON, *Deucalionis* ac *Pyrrhæ* filius, *Hellenes* frater; qui *ſocerum Cranaum* regno pellit A. M. 2449. integro quadriennio ante exitum Iſraëlis ex Ægypto, ut vult *Calviſius ex Africano*. At *Scaliger lib. II. Can. Iſagog. p. 159.* anno ejus primo Moyſem eduxiſſe populum ex Ægypto. At *Euſebius* ejus initium ponit in anno 14. poſt exodum Iſraëliticam. E Cranai filiâ ſuſcepit *Itonum*, & filiam, è quâ *Rharum Triptolemus*, *Cercyonem Neptunus* genuit, ut è *Pauſaniâ* conſtat.

Pulſus ab ERICHTHONIO, Vulcani & Minervæ filio, A. M. 2459. ſi computationem *Calviſianam* ſequimur. Aliis Erechtheus dicitur, quem *Minerva* occultatum in ciſtâ cum *geminis ſerpentibus*, Cecropis filiabus commendârit. Unde mos ille, ut omnes ejus poſteri alerentur in *cunis*, quæ *auro ductos angues* haberent appoſitos; quemadmodum ſcribit *Euripides*. Eidem Erichthonio templum fuit *Athenis in arce* poſitum, ubi & *ſerpentes* erant *duo cuſtodes arcis*;

cis;

cis; quibus mellita quotidie apponebantur placenta, ut ex *Herodoto & Heſychio* docet *Valeſius ad Ammiani lib. XVI.* Minervam ejus matrem, alii *Brontei*, alii *Cranai* filiam faciunt, *Meurſ. lib. II. de Regno Attico c. 2.* Hic eſt, qui *Athenis pecuniam primus* ſignavit. *Pollux lib. IX. c. 6.* Uxorem habuit *Paſitheam*, & ex ea *Pandionem* filium.

PANDION ſextus Rex Athenienſium (ſi *Ogygem* annumeramus) vel quintus (ſi *Cecropem* primum conſtituimus) Erichthonii & Paſitheæ filius, ſuccedit A.M. 2059. juxta *Calviſium*. Bella geſſit contra *Labdacum*, auxiliis Thracum adjutus; & in præmium navatæ operæ *Prognen* filiam *Tereo*, Thracum Regi, deſpondit. Eam *Prognen*, ut & *Philomelam*, cum filiis *Erechtheo*, ac *Bute* Pandion è Zeuxipſe, matertera ſua, ſuſceperat. Pandioni mortuo ſuccedit A. M. 2549. ERECHTHEUS II. filius: Alii *Ægyptium* putant. Sub hoc vult *Juſtin. lib. II. c. 6.* frumenti ſationem apud *Eleuſin* à *Triptolemo* repertam; à quo ſtant aliqui, & rurſus alii diſſentiunt, vide *Meurſ. lib. II. de Regno Attico c. 3. & 7.* Bellum geſſit hic Rex cum *Chalcidenſibus*, Eubœæ; & cum *Eleuſiniis*, & cum *Eumolpo*, Thracum Rege: Ut vinceret, filias immolavit. Uxor ejus *Praxithea*, Cepheſi *filia*, ſeu (ut alii volunt) Cepheſi ex Diogenea *neptis*; è quâ geniti *Cecrops, Orneus, Pandorus, Metion.* Pandorus filios habuit *Alconem* & *Diantem*: Metion ex *Iphinoë Dædalum*; ſive, ut alii, ex *Alcippe Eupalamum, Dædali patrem*: Nominatur & *Theſpis* (cujus filiæ 50. Herculis innuptis nuptiis celebrantur) *Erech-*

 thei

thei filius: At filiæ *ſex*, aut plures etiam; quarum *duæ* natu maximæ, *Protogenia* & *Pandora* immolatæ ſunt. *Procris* Cephalo, Dejonei filio, nupſit: *Creuſa* Xutho collocata eſt, unde natus Jon: *Orithyiam* Boreas rapuit: *Chtonia* nomine ſaltem nota eſt. Addunt alii *Cleopatram*, Phineo nuptam; & *Meropem*.

Mortuo Erechtheo CECROPS II. ejus filius regnum auſpicatus A. M. 2599 juxta *Calviſium*. Hic *Athenienſes* in vicis habitantes in *duodecim tribus* diſtinxit. Et ex Metiaduſa conjuge, ait, Eupalami filia, ſuſtulit *Pandionem*; filias quoque habuit *Creuſam*, *Orithyiam*, *Procrim* è nominibus amitarum appellatus. Regnavit annis 40. ut ait *Africanus apud Scalig. in Euſeb. p. 28.* quem ubique ſequitur Calviſius. Sed ex inadvertentia factum eſt, ut Pandionem Cecropi ſucceſſiſſe ſcriberet A. M. 2649. Sic enim regnâſſet Cecrops annis 50. Omninò corrigendus hic error, qui multos alios ſecum trahit, in chronologia; etſi rectè in prioribus computârit.

PANDION II. Rex conſtituendus A. M. 2639. *Pandion* hic *Cecropem patrem* habuit, non patruum; Ejectus à *Metionis* patrui *liberis*, Megaræ conceſſit: Et ex Pelia, filia Pylæi Regis Megarenſium, filios habuit *Ægeum*, *Pallantem*, *Niſum* & *Lycum*. Regnum ejus fuit annorum 25, ut præter *Africanum* ſcribunt *Euſeb. Marianus*, & *Vincentius Bellovacenſis*.

Ergò ÆGEUS, qui Pandioni ſecundo, patri ſucceſſit, regnare cœpit A M. 2664. ut *Calviſius*; cùm pro annis 40. Cecropi ſecundo, tribuiſſet 50. Neceſſariò jam peccant iterum (pendet enim unus error ab

altero)

altero) & decennio ſeriùs, id eſt, A. M. 2674. ponit initium Ægei. Uxores huic Regi fuerunt *Meta*, *Hopletis* & *Chalciope*, Rhexenoris filia; ex quibus nulli liberi: Poſteà, cum *Æthra*, Pitthei filia, conſuevit: Inde natus ipſi *Theſeus*. Ex *Medea* quoque ſuſcepit *Medum*; ſed rurſus ex *alia* filium *Achamenem*. Moritur A. M. 2712. cùm regnâſſet annos 48. Quod ipſum dicunt *Euſeb. African. Marian. & Vincen. Bellovac.*

Hîc ſatis mirari non poſſum, quomodo *Calviſius* poſt conturbatas rationes ſuas tàm citò redeat in viam? Cùm Ægeum ſcribat regnare cœpiſſe A. M. 2674. & tribuat illi 48. annos; tamen exceſſiſſe ſcribit A. M. 2712. Profectò caſui & fortunæ hoc debet, quòd (licet ſedens ad calculos obdormiiſſet) rectè tamen conſtituerit annum *exceſſus* Ægei, & *initium* Theſei: Nam Theſeus poſt Ægeum patrem regnum poſſedit per annos 30, id eſt, ab A. M. 2712. ad annum 2742. *Theſei res Plutarchus* refert in *majoribus Parallelis, & libro ſingul.* pertractavit *Meurſius*.

Eo pulſo regnum occupavit MENESTHEUS, Petei filius, Ornei nepos, Erechthei pronepos. Hic peritiâ rei militaris præſtitit, *aciemq́; primus ordinâſſe* fertur; *Trojano* bello *interfuit*. Unde rediens in inſula Melo diem obiit, cùm regnum obtinuiſſet per annos 23. hoc eſt, A. M. 2742. ad A. M. 2765. Initium in *Calviſii Chronologia* perperam omiſſum eſt; dubium, typographi, an auctoris ipſius, negligentiâ?

Regnum capeſſit DEMOPHON, Theſei filius & ipſe cum Græcis *in Trojanos profectus*: Hujus de

G v cauſa

cauſa *Phillis* ſuſpendio finivit vitam, cùm in Thraciam ſeſe rediturum promitteret; nec rediret. Dicitur Phillis *novies* ad litus cucurriſſe, unde urbi Thraciæ nomen Ἐννέα Ὁδοί, *novem viæ*, ut refert *Hygnus fab. 59.* Regnavit hic Demophon per 33. annos (ut Græcus & Latin. *Euſebius, Marianus Scotus, & Vincent. Bellovac.* ſcribunt) hoc eſt, ad A.M. 2798. Σφάλμα typographicum tolles apud *Calviſium*, ubi legeris, regnâſſe annis 38.

Succeſſorem habuit OXYNTEM, qui ab A.M. 2798 regnat ad A.M. 2810. In Calviſio perperam *Aphidas Oxyntæ* ſuccedit A.M. 2809. *Aphidem* iſtum & *Thymætem* filios reliquerat Oxyntes; ſed regnum APHIDAS ſaltem unum annum tenuit, occiſus à fratre *Thymate*, qui regnum ſummo ſcelere invaſit A.M. 2811. cùm non tantùm *natu minor*, ſed & *ſpurius* eſſet. Regnavit autem, ut quidam volunt, annos 8, ut alii 9. Atque ita A.M. 2819. vel ſeq. regnum Theſidarum & Erechthidarum apud Athenienſes finitum eſt; nam THYMÆTES hujus ſtirpis *poſtremus* fuit. Duravit regnum Athenarum à Cecrope I. annis 429. ut volunt *Caſtor in fragmento* (quod Latinè transtulit *Hieronymus*) & *Freculphus tom. I. lib. I. c. 19.* Nec *Africanus* abit, quem *Calviſius* ſequitur. Etenim *Cecrops I.* regnavit annis 50. *Cranaus* 9. *Amphictyon* 10. *Erichthonius*, ſeu *Erechtheus I.* 50. *Pantion I.* 40. *Erechtheus II.* 50. *Cecrops II.* 40. *Pandion II.* 25. *Ægeus* 48. *Theſeus* 30. *Meneſtheus* 23. *Demophon* 33. *Oxyntes* 12. *Aphidas* unum, *Thymætes* 8. Sic ab initio *Cecropis I.* ad mortem *Thymætis* colligun-

colliguntur anni 429. At ſecundùm *Calviſium* Thymætis mors incidit in A. M. 2819. Proinde initium Cecropis I. non rectè inſertum eſt apud eundem A. M. 2394. Debebat A. M. 2390: Nam ab annis 2819. detractis 429. remanent anni 2390. Ut, qui Calviſium habent, ſecum ipſo in gratiam eum redigant; placet ex *Africano*, & aliis, *chronologiam Regum Atticorum* ita diſpenſare, & digerere; *Calviſianam* verò ſupputationem è regione ponere, ut diverſitas ſtatim ſub aſpectum veniat.

JUXTA AFRICANUM, ALIOSQ.	JUXTA CALVISIUM.
Cecrops incipit A. M. 2390. Moritur A. M. 2440.	*Cecrops* incipit A. M. 2394. cui ſuccedit
Cranaus incipit A. M. 2440. Pellitur A. M. 2449.	*Cranaus* A. M. 2440. Pellitur A. M. 2449.
Amphictyon incip A. M. 2449. Pellitur A. M. 2459.	*Amphictyon* incip. A. M. 2449. Pellitur A. M. 2459.
Erichthonius I. inc. A. M. 2459. Moritur A. M. 2509.	*Erichthonius I.* A. M. 2459. Moritur A. M. 2509.
Pandion I. incipit A. M. 2509. Moritur A. M. 2549.	*Pandion I.* incipit A. M. 2509. Moritur A. M. 2549.
Erechtheus II. inc. A. M. 2549. Moritur A. M. 2599.	*Erechtheus II.* inc. A. M. 2549. Moritur A. M. 2599.
Cecrops II. incipit A. M. 2599. Moritur A. M. 2639.	*Cecrops II.* incipit A. M. 2599. Moritur A. M. 2649.
Pandion II. incipit A. M. 2639. Moritur A. M. 2664.	*Pandion II.* incipit A. M. 2649. Moritur A. M. 2674.
Ægeus incipit A. M. 2664. Moritur A. M. 2712.	*Ægeus* incipit A. M. 2674. Moritur A. M. 2712.
Theſeus incipit A. M. 2712. Deſinit A. M. 2742.	*Theſeus* incipit A. M. 2712. Deſinit A. M. 2742.
Meneſtheus incipit A. M. 2742. Moritur A. M. 2765.	*Meneſtheus* incipit A. M. 2742. Moritur A. M. 2765.

Demophon

Demophon incipit A.M. 2765.	*Demophon* incipit A. M. 2765.
Moritur A. M. 2798.	Moritur A. M. 2798.
Oxyntes incipit A.M. 2798.	*Oxyntes* incipit A.M. 2798.
Moritur A. M. 2810.	Moritur A M. 2809.
Aphidas incipit A. M. 2810.	*Aphidas* incipit A. M. 2809.
Occiditur A. M 2811.	Occiditur A. M. 2810.
Thymates incipit A. M. 2811.	*Thymates* incipit A.M.2810.
Finit A. M. 2819	Finit A M. 2819.

Et ad hanc tabulam ipſe *Calviſius* corrigendus erit: Contra enim ipſius mentem eſt, & *Africani*, quem ſequitur; quod ab illâ noſtrâ diverſum eſt.

Finita *Theſidarum* domo A.M.2819. ſucceſſit MELANTHUS, *Andropompi* filius, *Bori* nepos, *Penthili* pronepos, *Periclymeni* abnepos, *Nelei* adnepos, *Neptuni* trinepos. *Heraclidæ* Meſſenæ regno expulerant: Hinc conſulens Oraculum de habitationis loco, reſponſum tulit, ſedem ejus futuram, *ubi caput atq; pedes pro muneribus hoſpitalibus offerentur.* Quod & factum eſt *Eleuſinæ*; nam cùm fœminæ ſacerdotes ibi feſtum quoddam patrium celebrarent, jamq; carnes univerſas abſumſiſſent; caput & pedes (quæ ſupererant) advenienti fortè *Melantho* miſerunt. Donatus poſthæc civitatis Atticæ jure, cùm *Xanthum*, Bæotiæ Regem, duello ſuperâſſet, regno dignus viſus eſt. Ajunt hâc fraude uſum. Cùm enim primùm congrederentur, Melanthus ad Xanthum: *Iniquè & contra pactum facis, qui adverſus ſolum cum altero proceſſiſti!* Cumque admiratus ille, quisnam comitaretur ſe, reſpexiſſet; *averſum uno ictu confecit.* Front. l. II. *Stratag. c. 5. Scholiaſt. Ariſtoph. ad Pacem, & ad Acharnenſes*; & qui iisdem cum Scholiaſte verbis utuntur: Sed (ut docet *Reineſ. lib. III. Variar. Lection.*

c. 7.

c.7.p.470.) ab *Æmilio Porto* malè verſus, *Suidas* in *ἀπατέρια*. In memoriam hujus victoriæ dolo reportatæ inſtitutum feſtum *Apaturia*, quaſi dicas *deceptoria*. Moritur A. M. 2856. regnavit enim annos 37. ut eſt apud *Euſeb. Hieron. Marian. & Vincent. Bellov.*

Et CODRUS filius in ejus locum ſuffectus eſt, ob Remp., bello præclariſſimè geſto ſervitute liberatam; ut ex *Ariſtotele* docet *Meurſius lib. III. de Reg. Attic. c. 11.* Vicit etiam *Heraclidas*, Atticam armatâ manu invadentes. *Strabo lib. IX.* Sed nihil tàm illuſtre, quàm finis generoſiſſimus; ob quem Exemplar Imperatoribus, Romani Sapientis patri dicitur. Videndi Scriptores, quos *Berneggerus* notat ad *Juſt. lib. II. c. 6. §. 10. & Meurſius, d. l. c. 11. 12. 13.* Regnavit annos 21. ut ἀπὸ μιᾶς tradunt *Euſebius, Hieronymus, Cedrenus, Marianus & Vincent. &c.* Mors ejus incidit in A.M. 2879. *florente* adhuc primâ *Aſſyriorum dynaſtiâ.* Hujus honori datum, ut quem generoſum vellent, dicerent generoſiorem Codro: Ut, quem formoſum, formoſiorem Nirio; quem prudentem, prudentiorem Ulyſſe. Sed & *contra*, neſcio quâ laſciviâ *pro inſulſo fatuoq;* plures uſi ſunt, ut docet *Meurſius d. l. c. 14.* Quo ſi referunt illud *Virgil. eclog. V. v. 11.*

Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.

Rectè faciunt. Videtur enim *inſulſum* quendam *ruſticum* Virgilius *Codrum* dixiſſe, ex imitatione Græcorum. Hoc ni fallor, ſenſit *Scaliger lib. III. Can. Iſag. p. 330.* Porrò datum eidem Codro, ne quis poſteà Athenis regnaret: Hinc perpetui Ἄρχοντες conſtituti; &, cùm

&, cùm ille filios reliquiſſet, *Medontem & Nileum, Androclem, Cyarethum, Damaſichthonem, Prometheum, Andremonem, Damaſum, Naoclum, & Cleopum*; ex his *Nileus*, oraculi monitu, ad colonias deducendas abiit, & *Miletum* condidit.

MEDON Ἄρχων conſtitutus eſt A. M. 2877. Remp. tenet annis 20. Succedit AGASTUS filius A.M. 2897. cui tribuuntur anni 36. Moritur A. M. 2933. ARCHIPPUS, Agaſti filius, tertius ex Archontibus *perpetuis* fuit. Præeſt 19. annos; & ſuccedit A. M. 2952. filius THERSIPPUS. Hic per annos 41. Archon fuit, atque adeò mortuus eſt A. M. 2993. Succedit PHORBAS filius dicto anno; quod in *Calviſii* Chronologiâ præteritum eſt: Et decedit A.M.3024. Fit Archon MEGACLES, Phorbantis filius; & præeſt annos 30. Finis igitur incidit in A. M. 3054. quo ſuccedit DIOGNETUS, ejus filius; cui aſſignantur anni 28. Mortuus eſt igitur A.M.3082. Hinc illo anno adminiſtratio Reip. permiſſa PHERECLI, Diogneti filio; qui anno 19. moritur, hoc eſt, A.M. 3101. Succedit ARIPHRON, Phereclis filius; & fato fungitur A. M. 3121. THESPIEUS Archon factus eſt in patris locum; &, cùm præfuiſſet annos 27, ſucceſſorem habet AGAMNESTOREM filium, A.M. 3148.

Hic rurſus occurrit, quod corrigendum eſt apud *Calviſium*: Cùm ipſe fateatur, *Theſpieum* præfuiſſe ſaltem annos 27, nec poteſt aliter propter auctoritatem *Euſebii*; tamen initium *Agamneſtoris* ponit A. M. 3149. quaſi remp. obtinuiſſet per annos 28. Tamen mox

mox redit ad ſupputationem rectam: Cùm enim *Theſpiei* ſucceſſor & filius *Agamneſtor* Archon fuerit per annos 20, atque adeò ſecundùm accuratam ſupputationem mors incidat in A.M. 3168; reſpondet hîc nobis *Calviſianus* calculus.

ÆSCHYLUS poſt Agamneſtoris, parentis mortem Archontis poteſtate fungitur per annos 23; decedit igitur A.M. 3191. *Ultimus* è Medontidis ALCMÆON, Æſchyli filius, Archon *perpetuus*, principatum non niſi per *biennium* tenuit: *Calviſius* ſaltem *uno* anno præfuiſſe ſcribit, ſecutus *Scaligerum lib.I. Can. Iſag. p. 160.* Sed quam rationem habuerit *Scaliger*, nondum exputare potui: Repugnat ipſius *Euſeb. Græc. p. 39.* qui Alcmæoni tribuit ἐτῆ β. unà cum *Hieronymo* interprete; apud quem lego n. 1261: *Athenienſium tertius decimus Alcmæon annis duobus.* Ergo deſiit A.M. 3193.

Perpetuis ſucceſſerunt *decennales*, quorum primus CHAROPS, Æſchyli filius, Alcmæonis frater: Secundus ÆSIMEDES, & ipſe Æſchyli filius: Tertius CLIDICUS, Æſimedis filius: Quartus HIPPOMENES, de cujus immani ſævitia *Diod. Sic. in Excerptis Peireſc.* pag. 230: *Cùm ejus filia à, neſcio quo, vitiata eſſet; ita excanduit, ut incluſam in ſtabulô unà cum equo victu per aliquot dies fruſtratus ſit: Quo facto equus fame in furorem datus infelicem puellam mandere coactus eſt.* Hanc ob cauſam *magiſtratu pulſus* eſt, ut *ibidem* ſcribit *Nicol. Damaſcenus p. 446.* Quintus LEOCRATES: Sextus APSANDER: Septimus ERYXIAS, *ultimus Medontidarum.* Inde

annui

annui creati, quorum nomina, quâ potuit diligentiâ, collegit *Meurſius in IV. libb. de Archontibus Athenienſium.*

SICYONIUM, ARGIVUM, LACEDÆMONIUM, CORINTHIUM.

Quatuor Græcorum regna breviter recenſentur, quando cœperint & deſierint. De Eurotæ *ætate ſuſpicio.* Helenæ *genus. De Apollodori loco ſententia viri docti publicè propoſita, ſed in privatis literis mutata.*

FUerunt & alia per Græciam celeberrima regna Sicyoniorum, Argivorum, Lacedæmoniorum, Corinthiorum: Ac Sicyoniorum quidem regnum A. M. 1861. *duobus* ſeculis *poſt diluvium* conſtitutum eſt. ÆGIALEUS *primus* fuit, *ultimus* ZEUXIPPUS, qui moritur A. M. 2813. Numerantur in univerſum XXVI. Nomina omnium recenſet *Scaliger lib. II. Can. p. 158.* tùm ex *Africano*, cujus *fragmentum* exhibet in *Euſeb. p. 861.* tùm ex *Pauſaniæ Corinthiacis p. 94. 95. & ſeq.* Succeſſerunt VII. Sacerdotes *Apollinis Carnæi*, & regiâ poteſtate præfuerunt per annos XXX; quorum nomina debentur *Scriptori Latino-barbaro*, apud *Eundem. p. 61.*

Argivorum cœpit ab *Inacho*, cujus initium ponunt in A. M. 2093. Sed in his recenſendis neque *Pauſaniæ* cum *Tatiano*, neque *Hyginorum* utroque convenit; vide *Scal. d. l. II. Can. p. 329.*

Lac-

Lacedæmoniorum *duplex* Dynaſtia memoratur: *Antiquioris* Rex *primus* EUROTAS, neque quo tempore cœperit, neque quamdiu regnârit, Chronologi noſtri exprimunt. Videtur tamen *Cecropi I*, Athenienſium Regi, *coævus*; quemadmodum *Lacedæmon*, ejus ſucceſſor, *Erichthonio I.* de quo *Sigonius in temporibus Lacedæmoniorum p. 672.* Quicquid ſit, hoc apud me certum, *antiquiſſimos Lacedæmoniorum* Reges oriundos ex *Oriente*; & quidem è *Palæſtina*: Sic enim Rex Lacedæmoniorum ſcripſit ad Oniam Pontificem, apud *Joſephum lib. XII. Antiquit.* cap. 5: *Incidimus in quandam ſcripturam antiquam, in quâ invenimus, cognationem inter nos eſſe; & noſtrum quoque genus à poſteris Abrahæ.* Confirmat hoc cognomen *Caſtoris* & *Pollucis*, Ἄνακες; quod, ut docet *Voſſius lib. I. de Idolol. c. 13*, prorſus *Ebraicum* eſt; & *Principes* ſignificat ab *Anac* & *Ænac* oriundos. Illud interim *Scaligero III. Canon. p. 332.* facilè largimur, perridiculos eſſe, qui *OEbalum*, Caſtoris, Pollucis, & Helenæ *avum* eum eſſe, vaticinantur; qui *Hebal* nominatur *Geneſ. X. §. 28.* *Ultimum* hujus Dynaſtiæ faciunt TISAMENUM, Oreſtæ & Hermiones filium: Et *ex horum* Regum *ſtirpe* orionda fuit *celebris illa Helena*, cujus causâ bellum inter Græcos & Trojanos conflatum eſt: Nam *Lacedæmon* (qui *Eurotæ* frater uterinus fuit) *Amyclam* genuit; *Amyclas Argalum*; *Argalus Cynortam*; *Cynortas Oebalum*; *Oebalus Hippocoontem & Tyndareum*; *Tyndareus Caſtorem, Pollucem, & Helenam.*

Altera Dynaſtia fuit Heraclidarum: *Ariſto-*

demus enim, Cleodei filius, nepos Hylli, pronepos Herculis, ex Argia *gemellos* ſuſcepit Euryſthenem & Proclen, *duarum* Lacedæmone *regiarum familiarum* auctores: A quibus *Euryſthenidæ* & *Proclidæ* dictæ ſunt. *Regnârunt* autem *ſimul*, ut præter alios docet *Corn. Nepos in Ageſil. c. 1. §. 2*: *Mos eſt*, inquiens, *à majoribus Lacedæmoniis traditus, ut duos haberent ſemper Reges, nomine magis, quàm imperio, ex duabus familiis* Proclis *&* Euryſthenis; *qui Principes ex progenie* Herculis. *Spartæ Reges fuerunt.* Initium horum Regum incidit in A. M. 2848. Succeſſores ad *ultimum* CLEOMENEM (qui in Ægypto periit A. M. 3727.) recenſent *Scaliger lib. II. Can. p. 161.* & *Sigonius in tempor. Lacedæm.*

Corinthiorum *quinque* Dynaſtiæ apud *Scaligerum* memorabiles. Primam *Siſiphidarum* appellare poſſumus à *Siſipho*, Æoli filio; de quo *Homer. Iliad. 6.* cujus nomen *Schmidius* putat *Æolicum*, pro, *Theoſophus*; ut *Sibyllæ*, quaſi Θεῦ βȣλή. Videtur, *Siſiphus* iſte vixiſſe A. M. 2560: Nam ejus filius *Glaucus* A. M. 2590. *ludos Iſthmicos* in honorem *Melicertæ* celebravit; ut ex *Euſebio* colligere eſt. Fuerunt ex hâc ſtirpe *ſex*, vel *ſeptem Reges*; quorum poſtremos DORIDAM & HYANTHIDAM, *Propodæ* filios, *Damophontis* nepotes, *Thoantis* pronepotes, *Ornytionis* abnepotes, *Siſiphi* adnepotes, *Æoli* trinepotes, ALETES pepulit, circa A. M. 2649. à quo Corinthio, Ἀλητίδας vocat *Callimachus* apud *Plutarch. in V. Sympoſ.* παῖδας Ἀλάτας *Pindarus Olymp. Od. 13. antiſt. 1.* Fuit hic *Aletes*, *Hippotis* filius, *Phylantis* nepos, *Antiochi* pronepos,

pronepos, *Herculis* abnepos. *Pauſanias in Corinth. p. 92. Scholiaſtes Pindari*; quem citat *Scaliger ad Euſebii num. 916. Apollodorus lib. II. Biblioth.* de cujus lectione primùm dubitavit Vir doctiſſimus *lib. III. Variar. Lectionum c. 2. p. 326.* Nam cùm apud *Apollodorum* legeretur: Τοῦτον βαλὼν ἀκοντίῳ Ἱππότης, ὁ Φύλαντος τοῦ Ἀντιόχου τοῦ Ἡρακλέους τυχὼν ἀπέκτεινε. Hoc eſt: *Hunc Hippotes, Phylantis filius, Antiochi ex Hercule natus nepos, jaculo percuſſum interfecit.* Ipſe legebat: Ἱππότης ὁ Φύλαντος τοῦ Ἀστυόχης τοῦ Ἡρακλέους. *Hippotes Phylantis ejus, qui Aſtyoches Herculis nuptæ pater, filius.* Putabat enim Apollodorum de *Phylante* vel *Phylæo* Rege Dryopum, ſeu Ephyre loqui, ſocero Herculis; alter autem, *Phylas*, Herculis nepos, & Hippotis pater, non ſuccurrebat. Sed poſteà mutavit ſententiam in literis ad me ſcriptis fermè ante quinquennium, ſinendumq; *Apollodorum* cenſuit. Quod monendum hîc duxi, ne quis in "*Varias doctiſſimi Viri* incidens, ex *Pauſania & Scho*-"*liaſte* (quos laudavimus) illi temerè inſultet. Memi-"nerunt porrò *Vellejus lib. I. c. 3. Strabo lib. VIII. p. 389. Diodorus Siculus*, cujus *fragmentum* debemus *Georgio monacho*; *Conon apud Photium Cod. CLXXXVI. narrat. 26.* ubi exponit *rationem nominis*, cur *Aletes* nominatus fuerit?

Aleti ſuccedit ILION filius A. M. 2884; Ixioni filius AGELAUS, vel AGESILAUS A. M. 2921; Agelao filius PRYMNIS; vel PRUMNES A. M. 2958. Hic Scaligero *ultimus* eſt in *ſecunda* Dynaſtia.

Tertiam auſpicatus eſt BACCHIS & ipſe ex *Heraclidis* (fuit enim *Prumnis filius*, ut è *Diodoro* conſtat) A.M. 2994. Ab hoc familia Bacchiadarum nomen accepit, *Plin. lib. XXXV. c. 12.* Battiadæ corruptè. Quod ipſum vitium adhæſit quibusdam editionibus Ovidianis, in quibus legitur:

Et qua Battiadæ *bimari gens orta Corintho,*
Inter inæquales poſuerunt mœnia portus.

Legendum ubique, *Bacchiadæ*; quorum *ultimus* in Dynaſtia *tertia* fuit TELESTES, *Ariſtomedis* filius, *Eudami* nepos, *Agelai* pronepos, *Bacchios* abnepos (*Diodorus*) qui occiſo *Alexandro*, *Agemonis* filio, patruele ſuo, regnum invaſit A. M. 3159. Sed qui rurſus à gentibus interemptus eſt A. M. 3171.

Tùm, ut vult *Scaliger*, cœpit *quarta* Dynaſtia *Prytaneωn annuorum*; è quibus primus fuit AUTOMENES. Nihil *Prytanes* differebant ab *Archontibus*, ſive *Prætoribus* annuis Athenienſibus; niſi quòd *Archon* de populo ſorte creabatur, Πρύτανις verò de *Bacchiadarum* gente: Alioquin tàm *Corynthius* Πρύτανις, quàm *Atticus* Ἄρχων faſtos aſſignabat.

Obtinuerunt hi Πρυτάνεις (quorum nomina interciderunt) poteſtatem in Rep. *Corynthiorum* per annos 124. Nam A. M. 3295. CYPSALUS, *Petionis* filius, *Melanis* nepos, *Antaſi* pronepos (*Bacchiadis* in ordinem redactis) tyrannidem invadit. Moritur A. M. 3325. & ſuccedit filius PERIANDER, qui tyrannidem obtinet per annos 40. *Expiravit* enim *cum* ipſa *tyrannide* ſua A. M. 3365. quo tempore *Nabuchodonoſor Magnus* rerum in Oriente potiebatur.

batur. Et hæc (ut ait Scaliger) *quinta* Dynaſtia Cypſalidarum fuit: At ego malim *ſextam* dicere. Nam & antè *Siſiphidas*, Reges ſuos habuerunt *Ephyrei*; qui iidem cum *Corinthiis*, quos ex Eumelo *Scholiaſtes Pindari*, & ex hoc *Eraſmus Schmidius commentario in Pindar. Olymp. p. 314. & Tzetzes in Lycophronis Caſandram p. 89. & 90.* referunt. Nimirum *Sol* filiis (quos ex *Perſa*, *Oceani* filia genuerat) regnum diviſit; *Arcadiam* quidem *Aloëo* dedit, *Corinthum* verò *Æetæ*: Sed cùm *Æetæ Corinthus* parùm placeret, in *Cochlidem* proficiſcitur, & regnum commendat *Buno*; donec vel ipſe, vel alius ſuæ domus, reverteretur: Ipſe in *Colchide* ductâ *Idyja*, *Medeam* & *Abſyrtum* ſuſcepit. Interim Buno mortuo ÆPOPEUS, Aloëi filius, *Ephyream*, hoc eſt, *Corinthum* adjecit *Aſopiæ*; atque ita *unum* è *duobus* regnum fecit. Hujus filius & regni ſucceſſor MARATHON filios habuit SICYONEM, à quo *Aſopia Sicyonia* dicta eſt; & CORINTHUM, à quo *Ephyrea Corynthus*. Atque ita rurſum *duo* diſtincta fuerunt *regna*. Corintho ſine liberis mortuo, Corinthii vocârunt MEDEAM, Æetæ priſci ſui Regis filiam; ſed quæ Corintho relicta, regnum SISIPHO tradit.

Fuerunt igitur *primæ* Dynaſtiæ Reges: *Æetas*, Solis filius; *Æpopeus*, Aloëi filius; Solis nepos; *Marathon*, Æpopei filius; *Corinthus*, Marathonis filius, Medeæ Æetæ filia. Negat quidem *Scaliger* ad Dynaſtias Corinthiorum pertinere; ſed cauſam tàm ſufficientem non video, cur expunxerit.

Eſſent & quædam de *Mycenarum regno* di-

cenda; ſed remittimus harum rerum cupidum ad *Scalig. lib. II. Can. p. 159. & Petavium in Rat. Temp. part. I. lib. I. c. 8.*

LYDIÆ REGNUM.

Ennii error. Scaligeri ſententia de Regibus Lydiæ per totum rejicitur. Xanthus, *fide dignus ſcriptor in rebus Lydicis. Lydorum origo & tres Dynaſtiæ.* Prima *cœpit in Agrone, Nini filio, Beli nepote. Aciamus & Cumblites Reges ex illâ.* Camblitis *mira* voracitas. *Herodoti lapſus.* Altera *Dynaſtia penes Atyadas, Herculis poſteros.* Candaulis *& aliorum* ſtultitia, *in narrandis amoribus ſuis.* Tertia *Dynaſtia Mermnadarum, & Crœſi ultimi caſus. Regum omnium catalogus, ſecundùm noſtram & ſecundùm Scaligeri ſententiam.*

DE hoc regno quædam dicenda ſunt *propter Scaligerum* & *Ubbonem Emmium.* Ait *Emmius lib. V. Rerum Chronologicarum p. 136.* primos, qui in Lydia regnârint, fuiſſe Heraclidas; quod tàm falſum eſt, quàm quod falſiſſimum: Nam ante Heraclidas alii Reges Lydiæ regnum tenuerunt; quemadmodum è ſequentibus patebit. *Scaliger lib. II. Canon. p. 158. & lib. III. p. 319.* primos Reges Atyadas vocat ab *Aty*; cujus hanc originem vulgò traditam refert *Dionyſ. Halicarn. lib. I. c. 27.* ex

Jove & Tellure natum eſſe *Manem*, qui primus apud Lydos regnârit; tunc *Mæonas* appellatus. *Manis* verò & *Calliorrhoa*, Oceani filiæ, *Cotym* filium fuiſſe; qui ex *Halia*, Tulli Indigenæ filiâ, *Aſiam* & *Atym* ſuſceperit: *Atym* ex *Callithea*, Choræi filiâ, *Lydum* & *Tyrrhenum* ſuſtuliſſe. Hanc ſententiam (quam & apud *Herodotum in Clio* reperire licet) admiſit *Scaliger lib. III. Can. p. 319.* &, *velut* ipſius *Dionyſii*, promit *Valeſius ad Excerpta Peireſciana Nicol. Damaſc. p. 68.* Sed *Dionyſ. dict. lib. c. 28.* huic famæ præfert *Xanthi Lydii* narrationem; qui neque Tyrrhenum usquam, in ſuis ſcriptis Lydorum Principem nominat, neque ullam ſcit Mæonum in Italiam deductam coloniam; aut Tyrrheniæ, quaſi Lydorum coloniæ meminit, cùm tamen alia leviora memoret: *Atyos* autem filios fuisſe dicit *Lydum* & *Torrhebum*. Hos poſt diviſum paternum imperium, ambos manſiſſe in Aſiâ, ab iisque *Lydos* & *Torrhebos* denominatos. Et mox *cap. 30*, aliquot rationibus confutat eos, qui *Tyrrhenos*, Lydorum colonos, arbitrantur. Atque ita viri ſummi ex *Dionyſio* collegerunt id, quod peſſimum erat.

Sed cur *Xanthum* ſequimur? quia (ut inquit *Dionyſius*) antiquitatum peritus, ſi quis alius, patriæ verò hiſtoriæ auctor, nemine inferior habitus. Juſta profectò cauſa, ſiquidem *Caſaubonum* audimus *ep. 179.* cujus locum ſuprà jam adduximus. Utinam verò è *Xantho Dionyſius* prodidiſſet, quo tempore *Atys* & *Lydus* vixerint? non magnoperè nobis laborandum eſſet de nomine primæ Dynaſtiæ. *Atyadas*, ut dixi, nuncupant; & ex iſtis illuſtris *Scaliger*: Sed

quod & ipſum demonſtratum eſt, nituntur autoritate nullius apud veteres pretii. Cui nec in his duobus confidere poſſumus, an *Manes* primus fuerit Lydorum Rex? item avus Atyos? atque ita *primum Regem* hactenus ignoramus.

Vellejus Paterculus lib. I. c. 1. Lydum & Tyrrhenum, Oreſtis, Agamemnonis filii, coëtaneos facit; & ex hâc causâ *Calviſius* eos poſuit in A. M. 2807. Et hoc modo concidit totum illud de *Atyadarum* regno ante *Heraclidas*; cùm enim *Herculem* in *Lydiam* veniſſe credibile ſit, circa A. M. 2740. vel aliquantò pòſt; etiam penes Heraclidas per hæc tempora (quibus Tyrrhenum in Italiam veniſſe volunt) Lydorum regnum fuiſſe, longè veriſimilius; quàm penes antiquiorum Regum familiam: Quæ jam adeò defecerat, ut *Omphale* fœmina rerum potita ſit. Hinc confirmatur, & ſimul (quod à Vellejo dicitur) confirmat *Strabo*, qui *Lydum* Heraclidam facit, cujus verba ſunt *lib. V. cap. 219: Tyrrhenos Græci appellârunt à Tyrrheno, Atys filio; qui eò coloniam ex Lydiâ duxerat. Fame enim & ſterilitate coactus Atys, unus ex Hercule & Omphale prognatus, de duobus filiis, alterum* Lydeum *nomine, ſortitò detinuit; alterum* Tyrrhenum *majori populi parte amandavit.* Atque adeò (niſi *Vellejus* in calculo aberravit, niſi & *Strabo* vobis impoſuit) inter Heraclidas *Atym* & *Lydum* referam, hoc eſt, in *ſecunda Dynaſtiâ Lydorum.*

De totâ re ſic ſtatuo: In origine Lydorum accedo *Joſepho, Euſebio & Zonaræ*, progeniem eſſe Lud, *Semi* quartogeniti & *Noachi* nepotis. Idem judicavit

dicavit *Paulus Merula lib. III. part. I. c. 14. Coſmogr.* Ab hoc & Lydi denominati, & unus ex *Heraclidis,* & fortaſſe plures. Sic enim *moris apud veteres, ut conditorum nomina per poſteros longâ ſerie decurrerent.* Quamobrem falluntur & fallunt, qui Lydum, *Troico* bello *poſteriorem*, Lydis dediſſe nomen autumant. Lydiæ prima mentio apud Scriptores gentiles in rebus *Nini*; qui eam cum aliis vicinis regionibus ſubegit. Videndus *Diod. Sicul. lib. II. c. 2.* Et cùm *Herodotus* prodiderit (cujus verba mox producam) ACRONEM, Lydiæ regem, fuiſſe *Nini* filium, *Beli* nepotem; hunc primum in prima Dynaſtia conſtituimus. Alioquin Regem Lydorum nullum invenio, usque ad TANTALI tempora, hoc eſt, usque ad A. M. 2587. Tùm enim apud Lydos regnum tenuit ACIAMUS. De que *Stephanus in* Ἀσκάλων: *Aſcalon urbs Syriæ eſt, juxta Judæam poſita, condita ab Aſcalo, ut refert Xanthus lib. IV. Antiquit. Lydiæ. Fuit autem Aſcalus Hymenæi filius, frater Tantali; qui cùm ab Aciamo, Rege Lydorum, Dux conſtitutus eſſet, exercitum in Syriam duxit: Ubi, virginis cujusdam amore captus, urbem condidit; quam Aſcalonem ex ſuo nomine vocavit.* Eadem ſcribit & *Nic. Damaſcenus lib. IV. Hiſtor.* Fuit igitur hic Rex 180. annis, Troicō bello, & 220. annis, Lydo antiquior; cujus tamen proavum primum Lydorum Regem quidem facere auſi ſunt.

Aciamo 150. annis poſterior CAMBLITES tanta *voracitate*, ut *uxorem* in fruſta ſectam *comederit*: Cujus rei fama, cùm ubique divulgata eſſet, ipſe

veneficiis appetitum ſe credens, nudato gladio ſtans in confertiſſimo foro: *Jupiter,* inquit, *ſi quidem meâ ſponte, meoque motu id facinus, ſuſcepi; dem ipſe ſceleris mei pœnas: Sin veneficiis quorundam hominum, in furorem verſus, tùm in maleficos, qui me malis artibus appetierunt; ſceleris pœna recidat!* His dictis, ſemet in conſpectu omnium interfecit, partim ridentibus (qui aderant) ut hominem lupini ſtomachi; partim, ut furioſum, nec mentis compotem, miſerantibus. Hæc *Nic. Damaſc. in Excerpt. Peireſ. p. 445.* Idem ex *Xanthi Lydiacis* (quem ſuprà laudavimus) ſcribit *Athenæus lib. X. p. 48.* cui Κάμβλης dicitur; ſcribit ibidem *noctu* id *factum*, cùm *vino* ſeſe nimis *ingurgitáſſet*; & ſtatim ſequenti *manè* repertâ *conjugis manu* (quæ *ad* ejus *os hæſerat*) recognitâ, & in vulgus ſparsâ, *ſeipſum jugulâſſe.* Meminit & *Ælianus lib. I. Variar. c. 27.* ſed unâ literâ minùs Κάμβης dicitur. *Caſaubonus Animadv. ad Athen. lib. X. c. 3.* vitioſum pronunciat Ælianum, & rectè; vitium enim non tàm *Athenæus*, quàm *Nicolaus* arguunt. Adjicit verò hîc, *Jardanum* in ſuſpicione fuiſſe, tanquam Cambletem *magicis artibus* in furorem dederit; ex quo de Cambletis ætate conſtat: Hic enim *Jardanus*, pater *Omphalæ* Reginæ; ex hujus Jardani ancillâ *Hercules Cleolaum* ſuſtulit, ut eſt apud *Diod. Sic. lib. IV. c. 31.* Alcæum vocat *Herodotus lib. I.* Fortè igitur poſt Cambletem JARDANUS Lydorum Rex fuit; cujus filiam, OMPHALEN, ultimam primæ Dynaſtiæ conſtituo: Nam cùm *Herculem Omphale* thori conſortem feciſſet, *ſucceſſiſſe* videntur, qui *ex hoc matrimonio nati* fuerunt.

Et hæc eſt ſecunda Dynaſtia Heraclidarum: Sed quis primus hujus Dynaſtiæ fuerit, mihi quidem incompertum eſt. Faciunt *Agronem* ex illis Herodoti: *Heraclidarum primus Rex Agron, Nini filius, Beli nepos, Alcæi pronepos.* Hunc autem *Alcæum* mox *Jardani* ancilla, & *Hercule* genitum aſſerit. Sed quis non animadvertit, *Herodotum* mirè *delirantem?* Ninum, Beli filium, unum ex poſteris *Herculis* fuiſſe; qui *annis mille,* ut minimum, *Nino,* Beli filio, poſterior fuit? Error (ut ego quidem exiſtimo) è confuſione Regum, qui in *duabus diverſis* Dynaſtiis fuerunt *primi.* Cùm ſuprà *Diodorus* nos docuerit, *Lydiam* ſubegiſſe *Ninum*; veroſimile eſt, Regem illi provinciæ dediſſe unum è filiis ſuis: Ita, quod Herodotus narrat, partim verum, partim falſum. Verum; Lydis primùm præfuiſſe Agronem, Nini filium, Beli nepotem: Falſum, Agronem Herculis fuiſſe abnepotem; quod ipſum etiam Scaliger vidit. Alium igitur quærere debemus; &, cùm Hercules ex Omphale reliquerit liberos, mirum ni unus exiſtis fuit? Reliquit autem *Laomedonta,* ut ſcribit *Palæphatus*; qui Λαμὼς *Diodoro,* & Ἀγέλαος *Apollodoro.* Reliquit & *Atyn,* ut è *Strabone* docuimus. *Atyos* familiam, *primùm* ad regnum perveniſſe, indicant tùm idem *Strabo*, tùm omnes alii; qui Lydum Atyos filium Lydiæ Regem fatentur, *Herodotus lib. I. & lib. VII. Tacit. lib. IV. Ann. c. 56. Xanthus apud Dionyſ. d. l. Servius & Feſtus.* Quamvis præter Xanthum & Dionyſium, cæteri *Tyrrhenum Lydi fratrem* velint, quòd hi *duo regnant.*

Quamo-

Quamobrem hæc *mea ſententia* eſt, poſt *antiquiſſimos* Reges (ſive à Nino fuerunt omnes, ſive ab aliis quoque familiis oriundi) *Lydiæ* regnum Heraclidas tenuiſſe; eosq; *in duas Dynaſtias* diſtingui debere, Atyadas & Mermnadas. *Atyadas* ab *Atye*, Herculis & Omphales filio propagatos regnâſſe primùm; *Mermnadas* ab *Agelao*, ſive *Lamente*, ſive *Laomedonte*. Ex Atyadis igitur eſt ARDYSUS, cujus initium collocatur in A. M. 3159. cui filius ALYATTES ſuccedit A. M. 3195. qui non ultra 14. annos Rex fuit. Succedit A. M. 3209. MELES, cujus meminerunt *Excerpta Græcorum veterum* apud *Scalig. in Opere Euſeb. p. 371. & Euſebius Græcus apud Scaligerum p. 42.* Mele poſt duodennium mortuo CANDAULES, Myrſi filius, Lydos regit per 18. annos, hoc eſt, ab A. M. 3221, in A. M. 3239. Hic (ut nemo ſtultus amans in tacito ſinu gaudere poteſt) *formam elegantiamq; uxoris* (quam Tudum & Clytiam alii, Abro *Abbas*, vetus Scriptor, Nysſiam *Ptolomæus Hephæſtion* appellat apud *Photium Cod. CXC.*) *prædicabat omnibus, & nudam etiam oſtendebat Gygi*; quem ſodalem *Candaulis* vocat *Juſtinus lib. I. c. 7. §. 17.* Nos agnatum ſcimus. Hinc Gygem ad libidinem irritavit, ſibi perniciem accerſiit; quale quidem infortunium (ut id obiter addam) jactantiâ ſuâ ſibi peperit *Collatinus apud Livium lib. I. c. 57.* Nec in alium cenſum referre merentur *Otho apud Tacitum lib. XIII. c. 46. Osmanes* apud *Leunclav. lib. II. Hiſtor. Muſelm.* Qui non didicerant,

duobus

duobus in locis myſteriorum religionem eſſe, in menſâ & in thorô. Sed omnibus iſtis deteſtabilius monſtrum *C. Cæſar Caligula,* qui adulteria ſua narravit illis ipſis, quorum uxoribus illuſerat. *Senec. lib. de Conſtantia* cap. 18: *Aſiaticum Valerium in primis amicis habebat, ferocem virum; & vix æquo animo alienas injurias contumeliasq́ laturum. Huic in convivio, quantò minùs quàm in concione* (ſequor explicationem Lipſii) *voce clariſſimâ, qualis in concubitu eſſet uxor ejus, objecit. Dii boni, hoc virum audire, Principem ſcire, & usque eò licentiam perveniſſe; ut, non dico conſulari, non dico amico, ſed tantùm marito Princeps & adulterium ſuum narret & faſtidium?*

Cæterùm hæc extra rem: Igitur ad Lydiæ Reges. Candauli interfecto ſuccedit GYGES, *primus Mermnadarum; ex* ipſis tamen *Heraclidis.* Nam & *Mermnadas ab Hercule* oriundus, ſcribit Apollodorus: Ἐξ Ὀμφάλης δὲ Ἀγέλαος, ὅθεν καὶ τὸ Κροίσου γένος. Hoc eſt: *Ex Omphale natus Agelaus, unde & Crœſi genus.* Scaliger eundem putat cum eo, qui Diodoro Cleolaus, Herodoto Alcæus; ſed *alluſiuncula ad* poſtremam nominis *ſyllabam* haud ſufficit, ut Cleolaum, ſervæ filium, eundem ſtatuam cum Agelao, Reginæ filio; atque ita *Diodorum* & *Apollodorum* inter ſe committam. Jam *Strabo nos* docuit, *plures Herculi fuiſſe ex Omphale; Atyn* jam habuimus; alter *Agelaus* eſt, à quô *Gyges.*

Huic A. M. 3272. ſucceſſit ARDYS, & regnavit annis 38. ut habet *Euſebius Græcus,* 37, ut *Latinus.* 49, ut *Scaliger lib. II. Canon. p. 154.* 43, ut *Calviſius* in

A. M.

A. M. 3272. Sed à typographo ibi peccatum eſt, ut arguit A. M. 3321. Quo initium conſtituit SADYATTIS, Ardyos filii, Gygis nepotis. Ergo ſecundùm ejus mentem regnavit annis 49. De hoc *Sadyatte* fragmentum *Nicol. Damaſc.* extat, in *Excerptis Peireſc.* pag. 453: *Sadyattes Alyattis filius* (legendum, *Ardyis* filius, ut *Valeſius* opinatur ex *Herodoto*) *Lydorum Rex, erat quidem in bello fortiſſimus; ſed intemperans. Nam propriam ſororem ſuam nuptam Mileto, Viro clariſſimo, per ſpeciem ſacrificii accitam conſtupráſſe per vim dicitur; eamq; deinceps uxoris loco habuiſſe. Erat autem Miletus* Melanis *nepos ejus, qui Gygis gener fuerat; qui cùm eam injuriam ferre non poſſet, fugit Daſcylium: Unde poſt à Sadyatte expulſus Proconeſum ſe recepit. At Sadyattes paulò pòſt alias duas, & quidem ſorores ambas matrimonio ſibi ſociavit; quarum ex altera Attalem, ex altera Adramyn nothos ſuſcepit: Ex ſorore autem ſua filium legitimum ſuſtulit Alyattem.* Hæc Nicolaus. Alyattes CROESI pater eſt, regnumq; (quod A. M. 3333. auſpicatus eſt) *reliquit filio* A. M. 3388. ut vult *Calviſius.* At *Euſebius Græcus* & *Latinus* dicunt regnâſſe annis 49. *Scaliger lib. II. Can. 57.* quod ipſum ſecutus eſt Calviſius; ſed ejus calculus non reſpondet: Quòd ſi enim Halyattes cœpit A. M. 3333. & regnavit per annos 57. utique deſiit A. M. 3390. De *Crœſo* conſentiunt omnes, regnâſſe ſaltem 15. annos. Ergo *Calviſius* ejus cladem & captivitatem rejicere debebat in A. M. 3405. Sed cùm initium Crœſi perperam conſtituiſſet in A. M. 3388. neceſſariò nunc biennio minùs dicit, h. e. Crœſum captum ſcribit A. M. 3403.

Crœſi

Crœſi cladem quod attinet, proditus eſt ab *Eurybato Epheſio*, quem cùm in Peloponeſum cum ingenti pecuniâ miſiſſet, ut milites conquireret; is ad *Cyrum* transfugit, & omnia Crœſi conſilia detexit. Hinc factum, ut quem Græci *malitioſiſſimum* dicere volunt, *Eurybatum* dicant. *Diodorus Siculus in Excerpt. Peireſc. p. 240.* Capto *Crœſo Cyrus* fortunam ejus *miſerabatur:* At Perſæ extructâ pyrâ exuſtum volebant, & jam cum 14. Lydorum Principibus in rogo conſederat; & Perſæ tædas ſubjecerant, cùm repentè graviſſimâ exortâ tempeſtate tantus imber affuſus eſt, ut non modò pyram extinxerit; ſed & ſpectatores valdè afflixerit. Rem fuſè narrat *Herodotus lib. I. Nicol. Damaſc. in Excerpt. Peireſc. p. 454. & ſeqq. Diod. Sic. ibidem p. 240. Tangunt Boëtius lib. II. de Conſolat. proſ. 2. & Seneca de Tranquill. animi c. 11.* deque eâdem re ſcripſit *Ptolomæus Hephæſtion*, ut eſt apud *Photium* in Biblioth. Cod. CXC.

Jam quæ differentia ſit inter *noſtram* & *Scaligeri* ſententiam, licet ex ſuperioribus ſatis appareat; tamen hoc diagramma ſubjicimus, ut ſic quoque alieni temporis rationem habere videamur.

Sententia Scaligeri.	Sententia noſtra.
DYNASTIÆ REGUM LYDIÆ.	DYNASTIÆ REGUM LYDIÆ.
Dynaſtia *prima* ATYADARUM, quorum Princeps ATYS, pater LYDI, à quo LYDIA, priùs MÆONIA.	Dynaſtia *prima* NINIDARUM, vel etiam aliarum familiarum. Illorum princeps AGRON, NINI F. BELI. N. ex *Herodoto*.

- - - - -	- - - - -
- - - - -	ALCIAMUS Rex è *Stephano*.
- - - - -	- - - - -
- - - - -	CAMBLITES Rex voraciſſimus è *Nicol. Damaſceno*.
- - - - -	JARDANUS.
- - - - -	OMPHALE.
Dynaſtia *ſecunda* HERACLIDARUM, quorum Princeps AGRON, ALCÆI filius, HERCULIS & ANCILLÆ nepos. Eidem *Alcæus*, qui Diodoro *Cleolaus*; idemque Cleolaus, qui Apollodoro *Agelaus*.	Dynaſtia *ſecunda* HERACLIDARUM, è quibus Princeps ATYS, Herculis ex Omphale Reginâ filius, è *Strabone*. - - - - -
- - - - -	- - - - -
- - - - -	- - - - -
ARDYSUS.	ARDYSUS.
ALYATTES.	ALYATTES.
MELES.	MELES.
CANDAULES.	CANDAULES.
Dynaſtia *tertia* MERMNADARUM. - - - - -	Dynaſtia *tertia* MERMNADARUM, oriunda ab AGELAO, ſecundùm *Apollodorum*. AGELAUS Herculis Omphales F. ſecundùm *eundem*;

- - - - -	*eundem*; adeoque *diverſus* à *Cleolao*, ſive *Alcæo*,
- - - - -	ſervæ filio.
GYGES.	GYGES.
ARDYS.	ARDYS, Gygis filius.
SADYATTES.	SADYATTES, Ardyos F.
ALYATTES.	ALYATTES, Sadyattis F.
CROESUS.	CROESUS, Alyattis F.

REGNUM ÆGYPTI.

Misraim *Ægyptiorum pater. Pro eodem habitus* Cham. *Regum Ægyptiorum multitudo apud Manethonem, quatenus locum habeat? de Rege illo, qui* ſubmerſus in mari rubro, *variantes ſententiæ.*

Æ*Gyptios* oriundos à *Mizraim*, Chami filio, Noachi nepote, inter pleroſque conſtat; & tùm aliis argumentis, è S. Scriptura petitis, nituntur; tùm eò, quòd *Arabes* & *Turcas Ægyptum* hodieque *Mizri* & *Mizra* dicunt: Unde apud *Stephanum in* Αἴγυπτος, ubi legitur, *Ægyptum à Phœnicibus dici* μυάρα. Viri doctiſſimi legendum cenſent μίσαρα. At ipſi *Ægyptii* terram ſuam *Cham* dicunt, ut auctor eſt *Iſidorus*, à Chamo ſcilicet, Miſraimi parente. Imò & in Scriptura Pſ. CV. legas: *Et Jacob peregrinus fuit in terra Cham*, hoc eſt, *Ægypto*: Denique *Plutarchus de Iſide & Oſiride* teſtis eſt, *Ægyptum* in Sacris

Iſidos dictam eſſe Χημίαν, quod eſt ab eadem regione.

Reges Ægyptiorum, è quibus recenſem, ferè ambigo: E Græcisne, quibus ludus fuit falſa immiſcere veris? an ex *Manethone*, quem exſcripſit *Julius Africanus*, compilatus & ipſe ab *Euſebio*; quemadmodum Euſebius à *Georgio Syncello*. Quòd ſi enim Manethonem ſequar, erit fortaſſe, qui me ἀθεότητ(ος) καὶ ἀσεβείας accuſet; quod & mihi jam olim, & *Scaligero* hâc in re factum eſt à *Dionyſio Petavio*. Idem enim hic ſenſit, quod *Ubbo Emmius*, ea, quæ ex tabulis Manethonis adferantur, pura puta ſomnia eſſe, de rebus; quæ non ſolùm diluvium univerſale, ſed etiam creationes mundi & hominum omnium primum antecedant.

Ut intelligas, quid velim, ſcire debes, Manethonem à *primo* Ægyptiorum Rege, *Mene-Thinite* (qui *Herodoto* Μὴν, Diodoro Μῆνας, Joſepho Μηναῖ(ος)) ad *Amaſyn* & imperiũ Cambyſis Perſæ, numerare XXVI. Dynaſtias; in quibus fuerint Reges 481. Horum anni ſi colliguntur, habebis 5159. *Hinc*, inquiunt, *auctoritas S. Scripturæ corruit*; quia ſic ante diluvium in Ægypto regnum fuiſſet; immò multò ante illud tempus, quo Moſes docet, mundum hunc creatum. Etenim à mundo condito ad Cambyſis expeditionem in Ægyptum, pii Scriptores non niſi 3426. annos numerant. Nihilominus à *Manethone* non recedimus, ſed omninò *Voſſium lib. II. de Idol. c. 28.* admittimus, Scriptorem illum, omnibus Græculis anteferendum (qui ſua ex columnis Seriadicis, atque aliis monu-

menti

mentis hieroglyphicis hauſit) cum ſacris literis egregiè conciliantem. Uno verbo: *Multæ ex iſtis Dynaſtiis non ſunt ſucceſſivæ, ſed collaterales*, hoc eſt, eodem tempore *diverſis* fuerunt *locis*. Verbi gratiâ, initio imperârunt *ſimul* Dynaſtia *prima*, & *ſecunda* Thinidarum, Memphidarum *tertia & quarta*; Elephantinorum *quinta*. Ita ſimul uno eodemq; ferè tempore regnare potuerunt *Menes Thinites*, *Egerothes* (aliis, *Echerontes*) è Memphitis; & *Uſercheres* ex Elephantinis. Similiter comparatum eſt in aliis. Nimirum ut aliæ provinciæ ab initio diviſæ fuerunt in *multos Regulos*, donec in unum corpus coaleſcerent; ſic Ægyptus quoque interdum *pluribus Regibus*, interdum *uni* paruit. Hoc non ignoravit divinus *Scaliger*, quod patet è *lib. III. Can. p. 312.* & *ad Euſebium n. 1025*. Igitur cùm tot Reges Ægyptus habuerit, nimis *tædioſum* foret, eorum nomina deſcribere; *immò nec fructuoſum*.

Sed & *Pharaones* (quorum in hiſtoriâ ſacrâ fit mentio) conferrem lubentiſſimo animo, *cum Manethone* & aliis. Cæterùm Chronologiâ verâm Regum Ægyptiorum conſtituere (ſine qua illud fieri nequit) res eſt, quæ excedit humanum ingenium. In uno illo Pharaone, qui ſubmerſus in mari rubro periit, quàm in diverſa Scriptores abeunt? *Acherrem* decimum Regem in Dynaſtiâ XXVIII. *Scaliger* eum eſſe ſcribit, cujus annno ſecundo Moyſes eduxerit populum de finibus Ægypti. At non exiſtimat eum ſubmerſum, quoniam annos regni tribuit 32. *Calviſius* in A. M. 2453. *Orum*, Acherris anteceſſorem, facit eum, qui

perierit in mari. *Tacitus lib. V. Hiſtor. c. 3.* videtur Occhoris nomen reperiſſe : *Lyſimachus* apud *Joſephum lib. I. extremo contra Appion.* Bocchorim; cujus ſcripturæ aſſertores quoque ſunt, *Oroſius* & *Plutarchus. Clemens Alexandrinus lib. I.* Omoſim, vel Amaſim appellat; ſed apud *Manethonem* unum Bechorim.

Saitem invenio in Dynaſtia XIV. Sed Moyſe aliquot ſeculis poſteriorem. Sic ex Manethone & aliis, parùm ſibi conſtantibus, nihil adferre poſſumus, quod hiſtoriam ſacram illuſtrat.

CAPUT V.

Cyri *genus* maternum *clarius habitum, quàm* paternum; *tamen & hujus origo antiquiſſima auditur.* Salmaſii *judicium de loco Herodoti. Cyri* nomen. *Orientalium & aliorum mos* affectandi *Deorum* nomina. *Cyri inſtitutio in exemplum propoſita. Cyri res geſtæ & mors.*

RΕcenſitis nobilioribus regnis, ad *ſecundam Monarchiam Perſarum*, & rurſus ad *Beſoldum* progredimur. Agit autem *toto cap. 5.* de unico *Cyro*, qui tanti imperii auctor fuit. Genus illi antiquum magis, quàm apud Medos & Orientales clarum. Hinc *Aſtyages* ſomnio territus, ne paterna maternaq; nobilitas nepotem aliquando ſibi naſciturum ex filia ſtimulare poſſet, ad res arduas ſuſcipiendas; neque claro viro, neque civi filiam, ſed *Cambyſi*, mediocri viro,

viro, ex gente Perſarum obſcurâ tùm temporis, in matrimonium tradidit; ut refert *Juſt. l. I. c. 4. §. 4.* Et hinc explicant reſponſum, quod Crœſus accepit: *Tùm ſibi ac regno exitium imminere, cùm mulus in Perſia rerum potiretur.* Ajunt enim, ſic indicatum Cyrum; quòd, quemadmodum *mulus naſcitur patre ignobiliore aſino, matre generoſiore equa*; contrà quàm in hinno fit: Sic Cyrus habuerit *matrem, regis Aſtyagis filiam; patrem verò Cambyſen obſcuro loco natum.* At nihilominus *Cambyſes* iſte natus eſt *Achameni*, cujus meminit Xerxes, Perſarum rex, apud *Herodotum in Polym.* ſive *lib. VII.* Sed cùm locus vulgò corruptus ſit, nec vitium animadverterint interpretes, etiam hanc verſionem nobis dederunt: *Ego etiam ſine te, quæ dixi, conficiam; neque enim fuerim Darii filius, qui fuit Hyſtaſpis, qui fuit Arſamnis, qui fuit Arſiaramnis, qui fuit Teiſpei, qui Cyri, qui fuit Cambyſis, qui fuit Achamenis filius; niſi Athenienſes ultus fuero.* At hoc repugnat omnibus Scriptoribus reliquis, è quibus conſtat, *Xerxi* maternum avum *Cyrum* fuiſſe; non tritavum: Et repugnat temporis intervallum. Nam ſi Cyrus eſſet Xerxi tritavus, utiq; à morte tritavi ad Xerxis trinepotis imperium ſaltem intercederent 43. anni; quod omni rationi contrarium eſt. Præterea *Cyrus* filios duos tantùm habuit, *Smerdin* & *Cambyſen*: *Teiſpen*, ſive *Teiſpeum*, ſcimus nullum.

Quamobrem acceſſerim *Salmaſio*, qui in *Exercitat. Plinianis p. 1380.* locum *Herodoti* conſtituit *repetitâ negativâ*, quæ exciderat: Μὴ γὰρ εἴην ἐκ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπεος, τοῦ Ἀρσάμεος, τοῦ Ἀριαράμνεω, τοῦ Τείσπεος

[μηδὲ] τȣ̃ Κύρȣ, τȣ̃ Καμβύσεω, τȣ̃ Ἀχαιμένεος γεγο-νώς. Unde ſic vertendus eſt: *Non fuerim natus ex Dario, Hyſtaſpis filio, Arſamis nepote, Ariamnis pronepote, Teiſpei abnepote* [neque oriundus à] *Cyro, Cambyſis filio, Achamenis nepote.* Recenſet igitur Xerxes tantùm paternos majores, *Darium, Hyſtaſpen, Arſamen, Ariamnem, Teiſpeum*: & maternos, *Cyrum, Cambyſen,, Achamenem.* Sic Herodoto cum cæteris Scriptoribus benè convenit.

Hinc verò conſtat de *Cyri* regis *avo, Achamene.* Sed qui iſte? ex illuſtribus fuit, ut quem Xerxes crepat. Patrem;&avos neſcio usq;ad *Perſen*, Perſei ſive filium, ſive nepotem: Ab hoc enim oriundus eſt; quamvis longo temporis intervallo. Herodotus in Clio: *Sed horum* Paſargadæ *ſunt præſtantiſſimi, in quibus &* Achæmenidæ; *unde reges* Perſidæ *ſunt oriundi.* Hoc innuit *Achamenem*, unde Perſarum, & tota tribus Achæmenidæ, Perſidas eſſe, hoc eſt, à *Perſide*, vel *Perſe*, hujus nepote, an filio? (nam hîc Scriptores variant) oriundos. *Perſeus*, Perſis avus, vel pater, *Prœtum Argolicum Jovem* patrem, & *Danaem* matrem habuit; avum paternum *Abantem*, maternum *Acriſium*, ejusdem Abantis fratrem (nam *Abas* ex *Oecalea*, Mantinei filia, *Acriſium* & *Prœtum* genuit) proavum paternum *Lynceum*; cui uxor *Hypermneſtra*, Danai filia. Atque ita Perſeus abavum habuit *Danaum*, cui pater *Belus*: Avus *Neptunus* (ſive *Princeps* quidam *inſuavis*) avia *Lybia.*

Lybiæ hos majores referunt: *Inachus*, qui vixit A.M. 2093. temporibus *Iſaaci* Patriarchæ; reliquit ex

Meliſſâ Occanina *Phoroneum*. Phoronco *Apis* genitus cum *Niobe* ſorore rem habuit: Ex Niobes & Apis concubitu natus eſt *Argus*, qui ex *Evadne* liberos habuit *Jaſum*, *Piranthum*, *Epidaurum*, & *Criaſum*. Ex Jaſo fuit *Agenor*, ex Agenore *Argus alter*, ex Argo ſecundo *Jaſus alter*, ex hoc *Io*; quæ cùm in Ægyptum veniſſet, peperit *Epaphum*. Is ducta *Memphi*, Ægyptii regis filia, *Lybiam* genuit; quam *Danai aviam* diximus. Videndus præter alios *Voſſ. lib. I. de Idol. c. 13. p. 112. 113. 114.* Atque hæc eſt ultima illa antiquitas, quam allegare potuit *Cyrus*. Sed & *Perſe* (qui Perſei ſive filius, ſive nepos fuit, & vixit circa A. M. 2670) *nullum memorabile nomen* recenſetur *usque ad Cyri avum Achæmenem*; quem vixiſſe reor circa A. M. 3310.

De Cyri nomine, inquit Beſoldus in Synopſi majore, *Perſicâ linguâ Solem ſignificare*. Hoc, quod è *Plutarcho* hauſtum eſſe confitetur, reperire eſt in *Artaxerxe*; cui accedit *Cteſias*: Unde *Suidæ* vanitas manifeſta eſt, qui exotici nominis etymon petit è Græcia ſua. *Illud* autem hîc *obſervatione dignum* eſt, non aliam ſignificationem habuiſſe nomen avi: Eſt enim Achæmenes ab Achaman, hoc eſt, *Sole*; quod eruditè demonſtrat modò laudatus *Voſſius lib. II. de Idol. c. 9. p. 353.* Nimirum boni ominis ergo nomen habebant ab eo, quòd honore afficerent divino. Legimus apud *Joſephum lib. VII. Antiq. c. 6.* Adadum illum (qui Damaſcum & Syriæ, præter Phœnicem cætera regna tenuit, & *cum Davide bellum* geſſit, ſed infelix) poſteris ob animi virtutem, & roboris ex-

cellentiam in tanta veneratione fuiſſe; ut nomen ejus magnâ ambitione adſciſcerent.

Cæterùm & ipſius nomen tale eſt, quale *Cyri* & *Achæmenis*: *Aſſyriis* enim *Adad* Sol eſt, ut ſcribit *Macrobius lib. I. Saturn. c.23.* Eadem ambitio quoq; *Carthaginenſium* fuit; nam Punicum Amilcar à *Moloch*, ſive *Sole*, derivandum eruditiſſimi viri judicârunt. De *Ægyptiis* teſtatur idem *Lucianus in Dialog.* pro Imaginibus: *Tametſi ſint omnium religioſiſſimi, tamen Deorum nomina ſibi imponere; adeò, ut pleriq; apud eos nomen è cœlo tractum habeant.* De Inſtitutione Cyri extat hoc *fragmentum Diod. Siculi* valdè memorabile in *Exc. Peireſc.* pag. 237. & 238: *Cyrus, Cambyſis & Manaanæ filius, Aſtyagis Medorum Regis nepos, fortitudine & prudentiâ & reliquis virtutibus eminentiſſimus ſeculi ſui fuit; quippe eum pater regiâ inſtitutione formaverat, ad ſumma quæq; illum incendens. Jamq; etiam tùm adoleſcens ſatis audiebat, maximas res ſe aggreſſurum quandoq; eſſe; cùm virtus illius ſupra ætatulam ſic eluceſceret.* Videtur igitur longè aliud cenſuiſſe de Cyri adoleſcentia, quàm quæ *Herodotus* ſcripta reliquit, fuiſſe patri ereptum, Aſtyagis imperio; & clam educatum in bubulci domo: Mirâq; tandem fortunâ accidiſſe, ut agnoſceretur. Hæc ut jucunda lectu, ſic comœdiæ quàm hiſtoriæ ſimiliora ſunt. Sed & *Cteſias* ab eodem in totum recedit, cujus *de Cyro fragmentum* legere eſt apud *Photium, Codic. LXXII.* Scio *Plutarchi* de hoc judicium; ſed neq; ignoro, quàm eam commendârit *Diod. Sic. lib. II. c. 32.* Idem *Herodotus* de *Cambyſe* ſcribit, cùm ingenio ſubmiſſo

ſubmiſſo eſſet, geſſiſſe ſe multò infra mediocris Medi alicujus conditionem. At Diodorus ejus generoſitatis mentionem facit, ut & filium regiis artibus imbui curârit; & ad ſumma quæq; incenderit. Quæ uti ſolidè conciliari debeant, non video; ſciant fortaſſe, qui omnia conciliant:

Cimmerias noctes luci, quadrata rotundis.

Verò propiùs accedere videntur, quæ & *Cteſias* & *Diodorus* narrant: Qui tantum imperium condidit, tot bellicoſiſſimas nationes ſubegit, tàm egregiis artibus ſubditos omnes ſibi devinxit; ut *communem patrem* appellarent. Alibi, nî fallor, hoc eſt, in principali domo educatus eſt potiùs, quàm in caſa. Sit naturæ quadam dexteritas, ſed ſine vertâ inſtitutione, vix unquam perficietur: Cui fortunam ſuam ampliſſimam unicè debent, quos antiquitas celebravit, laudibusq; ad cœlum evexit, ſive in Judaica gente, populoq; Chriſtiano, ſive inter Græcos & Romanos. Ut contra ſeq; ſuos graviter afflixerunt, quibus illa defuit; etiamſi de naturæ bonitate nihil haberent, quod conſequerentur. Prudenter Nicias roganti eundem, *quibus artibus & quâ induſtriâ talis vir evaſiſſet ac tantus? Naturæ*, inquit, *bonum induſtriæ ipſe juvi!* C. Octavius (qui per adoptionem & dignitatem poſtea C. Julii Cæſaris, Octaviani Auguſti nomen accepit; ut ſcribit *Nic. Damaſc. in Exc. Peir. p. 472.*) potentiâ cunctos mortales ac prudentiâ ſupergreſſus, ampliſſimum omnium (qui unquam fuiſſe memorantur) principatum obtinuit; finesq; imperii Romani latiſſimè propagavit: Græcorum ac Barbarorum res

ita compoſuit, ut etiam mentes domuiſſe, ac ſubjugaſſe videri potuerit; gentes, quæ ne Romanis nomine quidem notæ erant, vel pacavit, vel in amicitiam pellexit. Tùm egregia facinora uti faceret, ab inſtitutione ſolâ fuit; quam nemo Romanorum fuſiùs, exactiùs & jucundiùs deſcripſit eodem *Damaſceno: Quem proinde civilis doctrinæ ſtudioſis, ſi quem alium, commendo.* Sed cùm fortaſſis paucorum manibus adhuc teratur, placet, quæ huc faciunt, latinitate (quâ quidem à feſtinante me donari potuerunt) apponere: *Patrem Octavianus habuit C. Octavium, Senatorii ordinis virum; majores benè opulentos, & (quod rariſſimum) bonam mentem inter divitias non amiſerant. Sic cùm modeſtè haberent fortunam ſuam, invidiâ non laborabant. Amiſſo parente* tutores *nactus eſt, de quibus dici poterat:* Quis cuſtodit cuſtodem? *potuiſſet contra rapinas, & bonorum diſſipatores in judicio agere; ſed (ut erat manſueti pectoris) contentus iis, quæ reliquerant, jus illis remiſit. Novem annos natus Romanis, ob indolis præſtantiam, univerſis admirationi fuit. Quo in loco exercitatiſſimis Oratorum titubabat lingua, concurrebant labra ſine concurſu oris; ſine trepidatione, aviæ ſuæ, ſorori Cæſaris Dictatoris parentavit. Ac dein educatus eſt in domo Atiæ & L. Martii Philippi, qui nomine vitricus, reipſâ pater fuit. Ibi maximam ſpeciem faciebat futuræ magnitudinis & virtutis: Cùm nobiliſſimi adoleſcentes communi omnium opinione, honoribus & Reip. negotiis deſtinati, officii causâ eum accederent; & ſive campos extra urbem obequitaret, ſive intra urbem propinquos & amicos viſeret,*

magnâ

magnâ frequentiâ comitarentur. Animum ſtudiis liberalibus imbuebat, corpus exercitiis militaribus durabat; celeritate diſcendi, doctores ipſos antevertens. Atia mater & vitricus in hoc unicè intenti, ut quàm in ampliſſimam fortunam inſtitueretur, neq; in ſtolidas curvaturas declinaretur frondens ætas; quærere indies ex Præceptoribus, quò iviſſet, equitâſſet; quid egiſſet rei, quibus ſtudiis impendiſſet diem, quibuscum verſatus eſſet? Annum agens ætatis decimum quartum *in forum deductus, poſitâ prætextâ, togam virilem ſumſit, omnium oculis in illum defixis; aliisq; vetuſtam generis nobilitatem, aliis virilem in adoleſcente virtutem, ſuſpicientibus. Ille Diis ſacrificabat, & functo L. Domitio in collegium Pontificum cooptatus eſt; quâ fortunæ indulgentiâ nihil inſolentior factus, poteſtati ſuorum adhuc ſeſe ſubmiſit. Nam mater in illum imperio priori uti, nullam evagandi licentiam dare: Non iter illi, non excurſus liberior, non cultior veſtitus, non cubiculum ſplendidius: Ut publicè tyro, privatim ſub cuſtodia matris eſſet. Infecerat illo tempore juventutem Romanam libido mutandi veſtitus; ſed Octavius patrium nunquam poſuit, externum aſſcivit. Cùm nobilitatem commendaret formæ decus, licet eam ſine cura haberet; multæ fœminæ in eximiam hanc pulchritudinem cum nobilitate ſociatam, furioſiùs inſaniebant: At in tanta laſcivientium multitudine tot formoſiſſimarum inſidiis petitus, nullius corruptelæ ſeſe præbuit; & cùm quarundam usque ad tentandum veniſſet improbitas, non tàm illas repulit, quàm erubuit; quaſi peccâſſet, qui placuerat. Hoc integræ mentis munimentum, hanc impolluti*

luti corporis curam, illi circumdedit vigilantia matris. Sed non minor acceſſit poſtea C. Cæſaris cura, qui eum per adoptionem in domum ſuam induxit: Is cùm ſacra faceret, frequentaret templa, theatrum ingrederetur, convivium celebraret; Octavium ſemper aſſiſtere, vel adſidere ſibi juſſit. Erat animus Cæſari, editionibus ludorum juvenem aſſuefacere; ut populo ſpectionum cupienti ſeſe commendaret. Cùmq; eſſent duo theatra, Romanum alterum, alterum Græcum; illius curam ipſe ſumſit, hujus Octavio mandavit; qui, ut induſtriæ laudem, vel obſequii gloriam ſibi pararet, nimis calidè & intentè hoc egit: Spectaculis enim non niſi finitis excedebat, nihil ab æſtu longiſſimorum dierum, nihil ab aliis moleſtiis remiſſior. Ex quo ſtudio poſteà morbum graviſſimum contraxit. Igitur Cæſar valdè anxius, ne tanta indoles velut in herbâ ſuffocaretur, nullo non die decumbentem viſitabat, animum ſpemq; addebat; vel (cùm per negotia præſens eſſe non poſſet) amicos mittebat, nec medicos diſcedere patiebatur. Fortè prandenti nunciabatur, adoleſcentem deliquium pati, & valdè periclitari: Quo nimium quantum perculſus, &, ut erat diſcalceatus, è lecto proſiliit, & ad cubiculum ægrotantis accurrit; medicos ſubinde ſciſcitatus. Locus eſt prolixior. Sed nos excerpſimus ea, quæ curam *Atiæ, Philippi*, & *Cæſaris* in educando *Octavio* nobis oſtenderent; cauſasq; admirationis de incremento hujus hominis, & introductæ monarchiæ tollerent. Addit *Suetonius in Octaviano* cap. 8: *præmiſſum Apolloniam, ut ſtudiis vacaret.* Auguſtum excepit *Tiberius*, qui *Druſum*, ſanguinem ſuum, ex Hiſpania in Illyricum

miſit;

miſit; ut bellorum muniis aſſueſceret, ſimulq; ad favorem exercitus conciliandum occaſiones captare poſſet. Exiſtimabat præterea, adoleſcentis ad luxum proclivem animum in urbe corrumpi, in caſtris autem ſeveriori vitæ aſſuefieri poſſe. Ut nos docet *Tacitus lib. II. Ann. c. 44. §. 1.* nec ſegnis hâc in parte *Agrippina Neroni* ſuo rectores dedit *Afranium Burrum* & *Annæum Senecam*, prudentiſſimos viros: At contra *Britannicum*, quem imperio exutum ibat, ὡς καὶ τῶν τυχόντων τινα τρέφεσθαι ἐποίει, hoc eſt, *ut quendam è plebejis educari juſſit*; ut eſt apud *Dion. in Exc. Peir. p. 677.* Ac niſi aures præbuiſſet *Nero* ſuſurris illis: *Tune hæc pateris? tu hos times? non meminiſti te Cæſarem eſſe? tibi jus in illos, non illis in te ipſum competere?* quos refert idem *Dio dict. lib. p. 681.* Niſi Poppææ ſceleratiſſimas illas facetias in animum demiſiſſet, *cùm pupillum eum vocaret; qui juſſis alienis obnoxius non modò imperii, ſed etiam libertatis indigeret*, ut ſcribit *Tac. lib. XIV. Ann. c. 1. §. 2.* jam in laudatiſſimis Principibus recenſeretur. *Eſt enim nullum ad gloriam utilius inſtrumentum, quàm rector idoneus*; quem etiam ferus *Annibal* admiſit, &, cùm obſequeretur ejus monitis, *tot Coſſ. tantasq; legiones, inferior numero ac viribus, interemit. Vegetius lib. III. in Prologo.* Apage ergò nationem illam aulicam, quæ apud *Tac. lib. XIV. Ann. c. 52.* paratragœdiat, *finitam Principis pueritiam & robur juventæ adeſſe; exueret magiſtrum ſatis amplis doctoribus inſtructus majoribus ſuis.* Byſſinæ quidem hæc voces ſunt, gratæ auribus; ſed noxiæ animis, & ipſi Reip,

Sed

Sed me prudentia *Cambyſis* in educando *Cyro* jam longiùs abduxit: Quamvis & *Beſoldus* hoc capite, dum Cyrum laudatiſſimum aliàs principem nimis molliter filios educantem notavit, ad hunc ipſum excurſum nos ſtimulare videretur. Cæteras *res geſtas Cyri* quod attinet, notandum eſt, è Græcis & noſtris; primam ejus expeditionem fuiſſe contra *Aſtyagem*, alteram contra *Crœſum*, tertiam A. M. 3412. contra *Nabonidum Medum*. Et hinc incipit tempus Monarchiæ ſecundæ Perſarum.

Poſthæc inquit Beſoldus: *Populo Judaico permiſit, ut ex captivitate domum reverſi, templum ac urbem Hieroſolymam inſtaurârint; ad eamq́; rem ſumptum liberaliſſimè ſubminiſtrari juſſit.* De anno reditus videndus *Scaliger ad Euſeb. n. 1456.* *Calviſius* rejicit in A. M. 3419. Sed aliter tùm conſtituta reſp. fuit: Nam cùm priùs penes Davidis poſteros imperium fuiſſet, tunc Levitæ ſummam poteſtatem nacti ſunt, de quorum avaritia *Cunæus lib. I. de Rep. Hebr. c. 15.*

Ultimum bellum Cyro cum *Scythis* geſtum eſt; & cùm primùm magnam exercitus partem per inſidias occidiſſet, paulò pòſt & ipſe circumventus, cum ducentis millibus Perſarum occubuit. Caput amputatum in utrem, humano ſanguine repletum, conjicitur, cum hac exprobratione crudelitatis: Satia te ſanguine, quem ſitiſti; cujusq́; inſatiabilis ſemper fuiſti! Ita fuſè rem narrat *Herodotus lib. I.* breviter *Juſtinus lib. I. c. 8. Jornandes in Geticis c. 10. Ammianus lib. XXIII. p. 249. Lucianus in Charonte. Diod. Sic. lib. II. c. 44.* Ubi tamen ſcribit, à Scy-

tharum

tharum Regina *cruci affixum*; quod neſcio an alibi legas. *Sepulchri* ejus meminerunt *Curtius lib. I. c. 1. §. 30. Strabo lib. XV. p. 730.* & alii, quos citat *Briſſonius lib. I. de Regno Perſarum p. 151. 152. 153.* Sed ut pleraque antiquorum regum apud Scriptores Græcos, ita quoque hiſtoria Cyri longè incertiſſima eſt. *Cteſias* quidem ſe prædicat omnia ab ipſis Perſis accepiſſe: *Aſtyagem* (quem *Aſtyigam* vocat) habuiſſe filiam *Amytin*; cui vir *Spitamas* fuerit, & ex eo filii, *Spitaces* & *Megabernes*. Ipſum verò Aſtyagem Cyro nullâ generis propinquitate junctum fuiſſe. Aſtyage victo, & in deditionem accepto, *Bactrios* acceſſiſſe *Imperio Cyri*; quòd audiviſſent, Aſtyagen à Cyro patris loco habitum. Tùm *Sacis* bellum illatum, & captum Sacarum regem, *Amorgen*; quem ut liberaret *Sparethra* uxor, collecto ingenti exercitu cum Cyro pugnâſſe, viciſſe; ac vivum cum aliis quâm plurimis cœpiſſe: Dimiſſum poſteà Cyrum hac conditione, ut & ipſe Amorgen in libertatem reſtitueret; quod factum: Cujus dein *Amorgæ auxilio* adjutum, *Cyrum*, *Crœſum* ac *Sardes* debellâſſe. Aſtyagen intereà *Petiſacæ*, eunuchi ſcelere, fame ac ſiti enecatum; ſed deprehenſâ perfidiâ, Petiſacam *Amyti* filiæ Aſtyagis, ad ſupplicium à Cyro deditum. *Ultimam* expeditionem Cyri fuiſſe in *Derbices* (qui populus *Hircanis* vicinus eſt) ſed equitatu Perſarum in fugam conjecto, Cyrum ex equo decidiſſe; ac vulnere accepto, paulò pòſt mortuum, & à ſuis in caſtra relatum. Hæc apud *Photium* pluribus exponit *Cteſias*; de cujus fide licet dubitet *Strabo lib. XI. p. 508.* cùm ait: *Tutiùs eſſe Ho-*

mero

mero & Heſiodo fidem adhibere, cùm de Heroibus verba faciunt; quàm Cteſiæ, Herodoto, Hellanico. Tamen nihil hîc quidem dicit à ratione alienum. At de *Herodoto* libenter illi ſubſcribimus, & verbis *Tac. lib. IV. Ann. c.11. §.6.* petimus ab iis, qui hiſtoriæ ſtudent, *ne Græcorum divulgata atque incredibilia avidè accepta, veris, neque in miraculum corruptis antehabeant.* Profectò enim hujusmodi incredibilibus & circumſtantiis mirabilibus auxit Herodotus hiſtoriam Cyri.

CAPUT VI.

REGNUM CAMBYSIS.

De Cambyſis matre variantes ſententiæ. Provincias inter filios & privignos ut diviſerit Cyrus? Hic & Cambyſes quot annis regnârint? Expeditiones Cambyſis in Ægyptios, Ammonios, Macrobios. *Clades ejusdem atrox. Crudelitas &* parricidium *immane. Impoſtura Magi.* Valerii *corruptela, & inde* Ammiani *error.*

UT idem vult Cteſias, *Cyro* poſt *Spitamam* interfectum, *Amytis*, Aſtyagis filia nupſit; ut Cyrus *Spitacen* & *Megabernen* privignos haberet, & eſſet *Aſtyagis gener*; quem omnes Græci, eosque ſecuti Latini *nepotem* fecerunt. Ex hoc conjugio natus *Cambyſes*, ut paulò pòſt indicat *Cteſias*, cùm ab Amyti matre admonitum ſcribit; ne calumniis *Magi* contra fratrem crederent. At *Herodotus in Euterp.* Caſſan-

Caſſandanem, Pharnaſpis filiam; Ægyptii Nitetin, Apriæ Regis filiam; ut eſt apud Eundem *in Thalia & Athen. lib. III. Dipnoſ. p. 560. Diod. Sic. l. I. c. 33.* Meroën nuncupat. *Strabo* tamen *lib. XVII. p. 790.* ſororne, an uxor, Meroë dicta fuerit, inter Scriptores non convenire dicit. Ut mores Perſarum fuerunt, qui inceſtis nuptiis gaudebant, utrumq; verum eſſe poteſt.

Hunc autem CAMBYSEN Cyrus ſub mortis tempus Regem creavit, juniorem *Tanyoxarcen* (quem Herodot. *Smerden*; Juſtinus *Mergim* nominat) *Choramnæis, Parthis* & *Carmaniis*; *Spatacen* privignum *Derbicibus*; *Megabernem Barcaniis* præfecit. Datis quoque dextris (ut inter ſe, & cum Amorge, pacem ac concordiam colerent) fidem accepit; Diriſq; devovit illum, qui concordiæ vincula prima rupiſſet. Ita loquutus, vivere deſiit, tertio (ab accepto vulnere) die, cùm annos regnâſſet 30. Conſentiunt in numero hoc *Juſt. lib. I. c. 8. §. 14. Euſeb. n. 1456.* At *Excerpta Græca ex Scal. p. 321.* ponunt ἔτη λα, hoc eſt, annos 31. At Cambyſi *Cteſias* annos tribuit 18. in quo diſſentiunt omnes alii; qui ſaltem 8. annos regnâſſe volunt. Quos *Beſoldus* ſequitur, cùm ait: *Cambyſen poſt mortem patris non diu ſuperfuiſſe.* Initium Cambyſis ponit *Calviſius* in A. M. 3421. finem in A. M. 3428. vult enim regnâſſe annis non niſi 7. menſibus 5. Bellum Ægyptiacum, ſi Cteſiæ accedimus, non tàm virtute, quàm proditorum auxilio uſus confecit.

Regis Amaſis cadaver ignominioſè habitum, at

PSAMENITUM, ejus ſucceſſorem, in honore apud Cambyſen fuiſſe, *Herodotus* commemorat; cum quo conſentit *Diod. Sic. in Exc. Peir. p. 248.* Hic Cteſiæ *Amyrtæus* eſt. Poſthæc exercitum in *Ammonium* miſſum arena, Auſtro mota, more nivis, incidens, texit; deinde obruit. *Herod. in Thal. Seneca lib. I. Nat. Quæſt. 30. Juſtinus lib. I. c. 9. §. 3.* Videtur hanc cladem tangere *Diod. Sic. lib. I. c. 30.* qui etiam ſuſcepti belli mentionem facit in *Exc. Peir. p. 248.*

Par infortunium expertus eſt in *Æthiopico* bello: Nam cùm Æthiopes *Macrobii* (qui habitant Africam ad Auſtrale mare) non ſupinis manibus excepiſſent ſervitutem; miſſisq; legatis libera reſponſa dediſſent, quæ contumelioſa Reges vocant; *Cambyſes* adeò excanduit, ut non proviſis commeatibus, non exploratis itineribus, per invia, per arenam traheret omnem bello utilem turbam. Sed ſtatim intra primum iter deerant neceſſaria, nec quicquam ſubminiſtrabat ſterilis & inculta, humanoq; ignota veſtigio terra. Suſtinebant famem primò tenerrima frondium, & cacumina arborum; tùm cordylla igne molita, & quicquid neceſſitas cibum fecerat: poſtquam inter arenas radices quoque & herbæ defecerant, apparuitq; inops etiam animalium ſolitudo; *decimum quemq; ſortiti, alimentum habuerunt, fame ſævius.* Agebat adhuc ira Regem præcipitem, cùm partem exercitus amiſiſſet, partem comediſſet. Donec timuit, ne & ipſe vocaretur ad ſortem; tunc demum ſignum receptui dedit, ut ex *Herodoti Thalia* eleganter refert Seneca *lib. III. de Ira c. 20.* Nec mirum, tot adverſa fuiſſe

tyranno,

tyranno, omnium crudeliſſimo; & ut *Diodor.* appellat, φύσει μανικῷ καὶ παρακεκινηκότι τοῖς λογισμοῖς, hoc eſt, *naturâ furioſo & mente capto.*

Qui à Prexaſpe admonitus, ut parciùs biberet; vino gravis filium ejus procedere ultra limen juſſit, & allevatâ ſuper caput ſiniſtrâ manu ſtare; tùm intendens arcum, cor adoleſcentis fixit; reciſoq; pectore, hærens in ipſo corde ſpiculum oſtendit patri; an ſatis certam haberet manum, cùm ebrius eſſet, interrogans. Ut eſt apud *Herodotum* & *Senecam d. l. c. 14.* Qui fratrem immani ſcelere ſuſtulit; quod quâ ratione factum ſit, exponit *Cteſias.*

Tandem dignum etiam vitæ exitùm ſortitus; cùm *Babylone* parvum lignum cultro poliens, quo tempus falleret, femoris muſculum percuſſiſſet; ut ſcribit idem *Cteſias*: Alii aliter. Vide, quos citat *Berneggerus ad Juſt. lib. I. c. 9. §. 18.*

Mortuo Cambyſe, MAGUS (cujus operâ Cambyſes in interficiendo fratre uſus erat, adjuvantibus *Artoſyrâ* & *Bagapate*) regnum occupavit; eò (cùm Tanyoxarcæ, vel Smerdi, Cambyſis fratri ſimillimus eſſet) ſe illum ipſum eſſe mentitus eſt. Ita idem *Cteſias*; à quo rurſus alii diverſi ſunt, qui *duos Magos*, hoc eſt, *Magum* illum (de quo Cteſias) ejusq; fratrem, *Oropaſten*, regnum Perſarum occupâſſe volunt *Juſt. lib. I. c. 9.* & alii, quos ibidem citat *Berneggerus.* At *Val. Max. lib. IX. c. 2. ex. 6. ext.* ſeptem commemorat; ſed cujus locum feliciter reſtituit *Rutgerſius Var. Lect. lib. I. c. 8*: *Nequem ex conjuratione ſeptem, quæ Magos oppreſſerant cum eo.* Valerii corruptam le-

ctionẽ ſecut⁹ eſt improvidè *Ammianus l.XXIII.p.233.* Nam alium, præter Valeriũ, Scriptorem in animo habuiſſe, vix credibile mihi eſt. Obſervârunt & alibi nonnulla viri docti, quæ ex *Valerio* hauſta ſunt; ut illud, *de umbraculis theatralibus. Valeſ. ad Amm. p. 27.*

REGNUM DARII.

Magi *cædes. Valerius emendatus.* Darii *uxores. Herodotus è Iuſtino explicatur. De* tributo *Perſarum. Darii infelices contra* Scythas *&* Athenienſes *expeditiones. Freinshemii lapſus in emendando Curtio.*

CÆterum ut rarum eſt magnorum ſcelerum ſecretum, ſic impoſturâ Magi animadversâ, *ſeptem principes* conſpiravere. *Onophas, Idernes, Norradabates, Mardonius, Bariſes, Artaphernes,* & *Darius,* Hyſtaſpis filius; ſic *Cteſias* eos nominat. At Herodoto ſunt *Otanes, Intaphernes, Gobryas, Megabyzus, Aſpathines, Hydarnes,* & *Darius.* Hi, *Bagapata* operâ, in regias ædes ingreſſi, dormientem cum Babylonia pellice *Magum* offendunt; quos ille cùm videt, omni alio telo deſtitutus, *ſedile* fortè *aureum* confregit; ejusq; arrepto pede, pugnare cœpit. Fruſtrà: Nam à *ſeptem* Principibus confoſſus occubuit, *ſeptimo* regni aditi menſe; ſicut idem refert *Cteſias.* Aliter *Herodotus in Thalia, Juſtinus lib. I. c. 9.* Dies, quo interfectus, poſteritati ſacer, & *Magophonia* dictus eſt. Meminit præter Herodotum *Agathias lib. II.* Incidit autem in A. M. 3429. ſecundùm Calviſium.

Ergò

Ergò hôc quoque ſucceſſit DARIUS, Hyſtaſpis filius, Arſamis nepos, Ariamnis pronepos, Theiſpei abnepos, *hinnitu equi Rex factus*; ut notum eſt è *Juſt. lib. I. c. 10. Val. Max. lib. VII. c. 3.* Cujus locum (in quo reſtituendo fruſtrà deſudârunt *Lipſius, Colerus & Scheccius*) ſic adoleſcentes emendavimus, applaudente Cl. Virdungo: *Sordida Magorum dominatione oppreſſâ, Darius, ſex adjutoribus, ejusdem dignitatis aſſumptis.* Quod idem in mentem veniſſe *Caſparo Gevartio* lib. I. Elect. c. 1. poſtea obſervavimus. Meminerunt ejusdem rei *Themiſtius Orat. III. in laudem Joviani p. 55. Amm. Marc. lib. XXXIII. p. 253.* (ubi tamen Darii patrem *Regem* vocat per errorem) *Oppianus lib. I. de Venat. verſ. 234. & 235. Maximus Tyrius Diſſert. XIX.* Regnum adeptus, nuptiis id ſtabiliendum cenſens, *Atoſſam* & *Ariſtonam*, Cyri filias, *Parmin* Smerdis, & *Phædimam* Otanis duxit, ut refert *Herodotus.*

Primus *Perſis tributum* indixit, poſtquam totum imperium in *Satrapias* diviſerat; prudenter animadvertens, neque quietem gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi poſſe; quod eſt apud *Herodotum.* At *Strabo lib. XV. p. 735.* neſcio quem auctorem ſecutus, *Darium Longimanum* appellat; qui tributum Perſis primus impoſuerat. Cum his pugnare videtur *Juſt. lib. I. c. 9. §. 12.* Igitur Magi, ad favorem populi conciliandum, tributa & militiæ vacationem in triennium permittunt. Ergò jam ante Darium Hyſtaſpis & quidem *ſub Cambyſe tributarii Perſæ.* Sed dicendum, *revo-*

câſſe Darium videri antiquum inſtitutum; non introduxiſſe novum.

Res bellicas Darii quod attinet, primùm *Babylonios* rebelles, operâ *Zopyri*, ad obſequium redegit. Quod factum, juxta *Calviſium*, A. M. 3432. Hiſtoriam narrant *Herod. lib. III. Plutarch. in Apophth. Regum. Juſt. lib. I. c. 10.* Sed expeditiones maximè fuerunt memorabiles *Scythica* & *Græca*. Priorem ſuſcepit (ſi eundem Chronologum ſequimur) A.M. 3439. Sed vix ingreſſus erat Scythiam, & trepidus refugit, amiſſis octoginta millibus hominum. Præcipua tamen virtus *Galactophagorum* extitit, quibus victus ſolo *equarum lacte* conſtitit, ut apud *Stobæum* commemorat *Nicol. Damaſcenus*. Idem bellum exponit *Cteſias*, & regem quidem Scytharcen nominat, quem *Juſt. lib II. c. 5.* Jancyrum, *Herodotus* Indathyrſum. Utrumque tamen emendandum cenſet *Salmaſius ad Solinum p. 846.* De hujus ipſius Regis laudibus multa in ejus vitâ ſcripſit *Chryſippus*; ut *Caſaubonus* obſervat *ad Strabonem. lib. VII. p. 136.* In reditu occupavit *Aſiam, Thraciam & Macedoniam*; qua de re videndus *Juſt. lib. II. c. 5. & lib. VII. c. 3.* Plures terras, inſulas & urbes ab eodem ſubjugatas recenſet *Herod. lib. V.* Poſtremâ expeditione adverſùs *Athenienſes*, & prælio in campis *Marathoniis* depugnato, & Cynægiri virtute nihil decantatius. Belli concitor *Hippias*, Piſiſtrati filius, *Athenis pulſus* in eodem cecidit. *Cic. lib. IX. ad Att. ep. 20. Thucydides lib. VI. Euſtathius ad Odyſſ. Tertull. adverſus Gentes.* Ceciderunt etiam 20000. Perſarum, cùm *Miltiades*, Athenienſium

ſium Dux, non niſi 10000. ſub ſignis haberet, *Juſt. lib. II. c. 9.* Scripſerunt & alii de hoc bello quàm plures, quos citatos leges apud *Bernegg. ad d. Juſt. l.* & addes *Sulpitium Severum in Hiſt. Sac. Max. Tyrium Diſſert. XIV. Euſeb. in Chron. Curt. lib. IV. c. 1.* cujus locum parùm feliciter tentavit *Freinshemius.* Vulgò legitur : *Rex Alexander Dario. Celes, cujus nomen ſumſit Darius &c. cum magno exercitu mare trajecit.* Quæ omnia ſana & plana, ut fuſiùs oſtendi *lib. II. Animadverſ. c. 1.* ad has lectorem remitto. Paulò pòſt Darius, cùm bellum reſtauraret, in ipſo apparatu decedit, hoc eſt, ſecundùm *Calviſium*, A.M. 3464.

REGNUM XERXIS.

Lis in ſucceſſione regni inter primogenitum, qui patre privato; & inter ſecundum genitum, qui patre rege natus eſt. Xerxis numeroſiſſimus exercitus & vanitas. Quot annorum fuerit apparatus ejus bellicus? Hiſtoria pugnæ Platæenſis *maximè memorabilis, parùm prudenter omiſſa.* Templa *cur Xerxes* demoliri *juſſerit?*

RElinquerat *Darius* ex Gobryæ filia (quam ante regnum duxerat) *Artabazanem*; ut ſcribit *Herod. lib. VII.* Et ex Atoſſa, Cyri filia (quam Rex factus in matrimonium recepit) *Xerxem.* Hinc orta controverſia, utri regnum deberetur? quam exponit *Juſt. lib. II. c. 10.* Cui ſimilem litem exortam in *Germania* noſtra, poſt mortem *Heinrici Aucupis*,

notat *Brunerus lib. VII. Ann. p. 432. è Sigeberto.* Nam cùm is *Ottonem* filium ſucceſſorem ſibi nominâſſet, *Henricus alter* ſeſe præferendum putabat; quòd *Otto ante ſuſceptum* à patre *regnum* editus eſſet. Sed ut Aucupis judicio acceſſerunt *Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſisq;* Antiſtites; *Eberhardus Francus, Herimannus Suevus, Arnulphus Bojus.* Et quamvis poſtea bellum civile conflatum eſſet, tamen *infelicis Henrici* ultimis calamitatibus expiatum eſt; Ita, quamvis ſecundùm Xerxen pronunciârit *Artaphernes* patruus, tamen recuſant ejus judicio ſubſcribere; qui jus & civilem doctrinam hodiè profitentur. Conſulendi ſunt *Hugo Grotius lib. II. de J. B. & P. cap. 7. §. 28. Et notis ad illum locum* Hotom. *illuſtri Quæſt. II. Arniſæus lib. II. cap. 2. ſect. 3. Morellus ad lib. V. Sylv. Statii. p. 192. 193. Greg. Tolet. lib. VII. de Rep. cap. 9.*

Porrò regnum adeptus Xerxes, *Ægyptios rebellantes* feliciter aggreſſus eſt; ſed è Scythia ſaltem irritus & contemtus rediit; quamvis tantas copias eduxiſſet, quæ non tantùm Scythis, ſed etiam toti terrarum orbi bellum illaturæ viderentur. Tùm de bello, *Græcis* inferendo, cogitabat; & concitatis contra Siculos Græcos Carthaginenſibus, ipſe *ſeptingenta millia* de regno armavit, & *trecenta millia* de auxiliis; ut auctor eſt *Juſtinus lib. II. cap. 10. §. 18.* Quamvis alii diſſentiant, qua de re videndi, quos citat *Bongarſius apud Bernegg. in notis ad iſtum locum.*

Tàm ſtolida verò *Xerxis inſolentia* fuit, ut velut naturæ dominus, *Helleſpontum ponte* jungeret; *mari com-*

compedes & ſtigmata, cœlo tenebras minitaretur; *montem Athon* (quem monachis habitatum hodiè, *montem ſanctum* appellant) qua continenti adhæret, *perfoderet. Herod. lib. VII. Juſt. d. l. Himmerius ap. Photium Cod. CCXLII. In Orat. milit. Seneca lib. VI. de Conſt. Sap. c.14. Val. Max. lib. III. c. 2. ex. 13. Suet. in Cal. c. 19. Curt. lib. V. c. 7. §. 8. Senec. Suaſor. II. Plutarchus d. l. de Fort. Alexandri. Pompon. Mela l. II. Geograph. c. 2. Solin. c. 14. Plin. lib. IV. c. 10. Themiſt. Orat. I. p. 21. Virg. in Culice. Juven. ſat. X.* & alii. Quamobrem verè de eodem *Valerius lib. IX. c. 5. ex. 2. ext: Xerxes, cujus in mente ſuperbia & impotentia inhabitat.* Decem annos inſumſiſſe apparatui ſuo contra Græcos, ſcribit *Julianus Imp. Orat. I. p. 77.* Sed videtur annumerâſſe *apparatum Darii* patris; ut rectè ibidem notat *Dion. Petavius p. 256. 257.* Clariùs Juſtinus: *Xerxes bellum à patre cœptum adverſùs Græciam, quinquennium inſtruxit. Nam anno regni ſui ſexto ineunte trajecit.* Calviſ. rejicit expeditionem ſuſceptam in A. M. 3470. Quâ fortunâ pugnatum ſit, jam *Beſoldus* noſter docuit tùm in majore tùm in minore Synopſi.

Satis tamen mirari non poſſum, omiſiſſe clariſſimam pugnam, & *Græcorum* victoriam ad *Platæas,* de qua *Herod. lib. IX. Diod. Sic. lib. XI. c. 31. Plutarch. in Ariſt. Pauſan. in Lacon. p. 166. & Bœoticis p. 545. Corn. Nepos in Ariſt. c. 2. §. 1. & in Pauſ. c. 1. Cteſias apud Photium. Strabo lib. IX. p. 412.* Qui Xerxis res fuſiùs deſcriptas legere avet, is adire poteſt è recentioribus *Petr. Bizarum lib. II. Rer. Perſic.*

Poſthæc Xerxes, *terror* anteà *Gentium*, qui putabat, Græcos ad primam adventus ſui famam terga verſuros; nihilq; magis verebatur, quàm ne vacuas deſertasq; urbes inveniret; deeſſentq;, in quibus vires ſuas experiri poſſit; acceptis graviſſimis cladibus, & arreptâ miſerabili fugà, contemptior indies factus (ut in omnibus infortuniis fieri amat) tandem ab ARTABANO (qui conſilium ſuum cum *Spamitre* eunucho communicârat) interficitur A. M. 3505. *Juſt. lib. III. c. 1. Diodor. Sic. d. l. c. 59. Corn. Nep. in Reg. c. 1. §. 5.*

Alioquin valdè commendatur iſte Rex à *Joſepho lib. XI. Antiq. cap. 5.* Ipſum ut regni, ſic & paternæ pietatis hæredem fuiſſe; nihilq; in patris inſtitutis circa divinum cultum mutâſſe, & Judæos ſummâ benevolentiâ proſecutum eſſe. Hinc factum arbitror, ut *Græcorum templa* paſſim *dirui* & *inflammari* juſſerit; quod in illo Scriptores tantoperè adverſantur, v. g. *Strab. lib. XIV. pag. 634. Juſt. lib. II. cap. 10. §. 8. 9.* Quanquam ex *doctrina Magorum*, id factum ſcribant alii, qui parietibus includere Deos, & in humani oris ſpeciem aſſimulare, impium putabant; ut è *Cic. lib. II. de Leg.* obſervavit *Caſaub. ad Strab. lib. XV. p. 256.* & è *Diog. Laërt. Hugo Grotius*, *notis ad lib. III. de J. B. & P. cap. 5. §. 2.* Quare eadem *religio* veterum *Germanorum* fuit, ut eſt apud *Tac. in Germ. cap. 9. §. 2.*

REGNUM ARTAXERXIS LONGIMANI.

De Themiſtoclis fuga *diverſæ ſententiæ. Conciliatura Petavii. Contra Beſoldum & alios oſtenditur*, Ahasverum *eſſe* Xerxem. *Darius Nothus is, qui* Judæis *permiſit* templum *Hieroſolymitanum inſtaurare.* Scaliger *contra* Petavium *defenditur, & hic non ad unum abſurdum deducitur. Libri* Eſther, Esdræ & Nehemiæ *cum profana hiſtoria conferuntur. Artaxerxis res geſtæ.*

ARtabano ſtratagemate ſingulari circumvento (quod refert *Juſt. lib.* III. *c. 1.*) ARTAXERXES LONGIMANUS, à dextrâ longiore ſic dictus, regnum Perſarum capeſſit A. M. 3405. Diſſentit tamen *Herodotus* in nonnullis circumſtantiis. *Ad hunc*, inquit Beſoldus, *Themiſtocles exul perfugit, ibiq́, vitam finivit.* Qui veriſſimum dicet, qui fidem adhibebit *Thucydidi lib. I. p. 58.* ubi refert, *Themiſtoclem* in exilium ejectum, literas miſiſſe *ad* Regem *Artaxerxem*, Xerxis filium; qui nuper regnare cœperat. Idem & *Charon Lampſacenus* (qui Xerxis ætate vixit) memoriæ prodidit; ut eſt apud *Plutarch. in Themiſt.* Idem eſt apud *Cor. Nep. in Themiſt. c. 9. §. 1.* At, Xerxe adhuc vivo, Themiſtoclem in Aſiam transiiſſe volunt *Ephorus*, *Dinon*, *Clitarchus*, *Heraclides*, *aliiq́;*; quos *Diod. Sic.* ſequitur. Hos conciliare ſtudet

det *Dionyſ. Petavius part.* II. *Rat. Temp. lib.* III. *c.* 10. Statuendum *duplex initium* Artaxerxis Longimani, *alterum*, quo cum patre regnavit annis circiter 10; *alterum*, poſt ejus obitum annorum 40. Fundamentum hujus conciliationis affert ex illis *Herod. lib.* VII. ex inſtituto Perſarum tùm demum Regem *expeditioni* interfuiſſe, cùm regni *ſucceſſorem* declarâſſet. *Ex hac conſuetudine*, inquit, *Artaxerxes patris collega factus*; atq; ita utrumq; verum eſſe, quod ſcribunt, *Themiſtoclem ſub Xerxe, & Artaxerxe veniſſe in Aſiam.*

Addidit porrò Beſoldus: *Hunc multi* Ahasverum, *Eſtheræ maritum, fuiſſe putant.* Sed iſti S. Scripturam cum hiſtoria profana non benè contulerunt: Niſi bardi ſumus, in libro Eſther & Esdræ *Ahasverum Xerxem eſſe*, fatebimur; ponitur enim ante Artaxerxem primum, & Darium Nothum. *Oxyares* dicebatur adhuc privatus, quod nomen Hebræi vix aliter ſcribere potuerunt, niſi *Ahasberos.* Conveniunt cætera. Nam Ahasverus *in libro Eſther* ab Indiâ ad Æthiopiam usq; 117. provinciis imperâſſe dicitur. De Perſarum potentia ſub Xerxe *Herod.* lib. VII: *Sacas & Indos & Æthiopes & Aſſyrios, aliasq; multas & grandes imperio nationes adjunximus.* De hac ipſa potentia explicandus *Daniel*, qui *quartum* Regem *à Cyro* dicit ditiſſimum & potentiſſimum fore.

Præterea Xerxis conjux *Ameſtris*, ut ex *Herodoto* & *Cteſia* manifeſtum eſt; quod quantillum differt à nomine Reginæ *Eſther*? ſed iſtis obſtat *Dionyſ. Petavius d. l.* qui *Ahasverum* dictum ait *Cambyſen*; &

Darium

Darium (qui templum Hieroſolymitanum inſtaurari juſſit) putat eſſe *Darium Hyſtaſpis*; & *Artaxerxem* (qui Esdræ *cap.*IV. *ſ.7.* ante Darium nominatur) putat eſſe *Pſeudoſmerdin*; quæ ſanè mirifica explicatio eſt. *Pſeudoſmerdin*, ex annalibus Perſarum expunctum, *Esdram* inter reges legitimos nominâſſe, quis nobis perſuaſerit? Sed cur hæc fingeret, cauſa fuit, quòd ipſi *Scaligeri* aſſertio *Animadverſionibus ad Euſeb. n.1497. & lib.*VI. *de Emend. Temp. p.286.* de ſenectute *Zorobabelis* intoleranda videretur.

Res ſic habet: *Esdra* reges aliquot Perſarum nominat, *cap.* IV. Cyrum, ex cujus edicto Zorobabele duce, populus in Judæam redierit, nec non Joſuæ filio Jozedec, ſummo Pontifice templi fundamenta poſita ſint: Ahasverum, quo regnante, Judæis obtrectârint inimici; & abſolvendi operis ſpem eripuerint: Artaxerxem, qui calumniis adverſariorum motus, iisdem Judæis urbis inſtaurationem interdixerit: Darium, cujus anno ſecundo, *Haggeo* & *Zachariâ* Prophetis hortantibus, Zorobabel, & Joſua intermiſſam templi molitionem repetierint: Artaxerxem II. cujus anno ſeptimo Esdra commeatu à Rege dato Babylone profectus ſit. Quærebam, quis ille Darius ſit, cujus indultu *templum abſolutum* fuerit? Reſpondet Scaliger, *Darium Nothum* eſſe. Oportet igitur, inquit Petavius, Zorobabelem ut minimum annos 140. vixiſſe. Nam ab anno primo Cyri Babylone regnantis (quo Zorobabel, juſſu Cyri, Judæos reduxit) ad initium Darii Nothi ſunt anni 114. Hoc unum erat, quod *Petavius* concoquere

non

non potuit: Igitur eam ſententiam delegit, quæ multis modis deterior eſt. Quòd ſi enim is, qui *templum* Hieroſolymitanum *inſtaurari* permiſit, *Darius Hyſtaſpis* eſt, ut Petavius voluit; qui fieri potuit, ut nemo de *edicto Cyri* (quo in *libertatem Judæi* reſtituebantur) ſcire ſeſe profiteretur? *Darius* jubet bibliothecas & archivorum forulos diligenter excuti, qui tamen *Cyri coæaneus* fuit: Nam Darius Hyſtaſpis, vivo adhuc Cyro, unus è principibus Perſarum. Opus erat, ut *Nehemias* in genealogias eorum inquireret, qui cum Zorobabele redierunt; & tamen Darii Hyſtaſpis ævo plerią; ſupererant, qui de genere ſuo interrogati reſpondere poterant. Quo quid abſurdius eſſe poteſt?

Nos qui legimus, *Darium Cyri* commentarios, ſcrinia memoriæ, & epiſtolarum requiſiviſſe; Nehemiæ quoque neceſſariam fuiſſe genealogiarum inquiſitionem, omninò cum *Scaligero* concludimus, *rem* ſatis *vetuſtam* fuiſſe *edictum Cyri*; cùm Darius de inſtauratione templi rogaretur: *neque Darium Hyſtaſpis*, Cyro *σύγχρονον*, *ſed Darium Nothum* Judæis iterum permiſiſſe, ut templum ſuum exſtruerent. Taceo alia.

Sed tantoperè movet *Petavium* longævitas Zorobabelis: Videbimus igitur, an non eadem inconvenientia oriatur ex ipſius interpretatione? Ait Darium *Esdræ* IV. §. 6. Darium Hyſtaſpis eſſe; Artaxerxem *Esdræ* VII. Artaxerxem Longimanum. Ergò ſecundùm illius ſententiam *Nehemias* in Judæam venit anno Artaxerxis Longimani 20, hoc eſt,

A. M.

A. M. 3505. Vixit autem *temporibus Nehemiæ* præfectus Syriæ & Samaritanorum, *Saneballat*, vir magnæ auctoritatis: Unde de ejus ætate conjectura fieri poteſt, fuiſſe tùm hominem virilis ætatis. At hic Saneballat Alexandum M. *Tyrum* oppugnantem, ſtrenuè juvit; & paulò pòſt in caſtris ejusdem *in obſidione Gazæ* mortuus eſt; ut ſcribit *Joſephus lib.* XII. *Antiq. c.* 8. Rurſus Tyrus expugnata eſt A. M. 3618. Ergò Saneballat ut minimum 140. annos vixit.

Ita cùm nihil melius afferat *Petavius*, ſequor ego *Scaligerum*; nec tantoperè miror *longævitatem Zorobabelis*. Ecquis enim in hiſtoria ſacra tàm hoſpes, ut ignoret *vivacium exempla?* Inſulſum eſt, ad noſtrum ævum tantâ adſceveratione & pertinaciâ Judaica & Orientalia exigere.

Ut intelligatur, de quibus regibus capiamus Danielem & Esdram, adſcribo Regibus Perſarum, ut à Græcis nominantur, S. Scripturæ loca, hoc modo:

Cyrus. Dan. XII. §. 2.
Cambyſes. Dan. XII. §. 2.
Darius Hyſtaſpis. Dan. XII. §. 2.
Xerxes. Dan. XII. §. 2. Esdræ IV. §. 6. & lib. Eſth.
Artaxerxes Longimanus. Esdræ IV. §. 7.
Darius Nothus. Esdræ IV. §. 24. & V.
Artaxerxes Mnemon. Esdræ VII. Nehemiæ I.
Ochus, cujus ſucceſſor
Darius Codomanus. Nehem. XII. §. 22.

Nunc ad *Artaxerxem* noſtrum *Longimanum*: Eſt autem is, qui A. M. 3490. *Ægyptum rebellem* rurſus pacavit, ejectis Athenienſibus. *Diod. Sic. lib.* XI. *c.* 67.

Pacem

Pacem cum *Cimone* fecit A. M. 3501. *Idem lib.* XII. *c.24.* Moritur A. M. 3526. Sub hoc ipſo exortum eſt illud *bellum* celeberrimum *Peloponneſiacum*, octo libris à *Thucydide* comprehenſum; de quo & *Plutarch. in Pericl. Diod. lib.* XII. & *Scholiaſtes Ariſtoph. in* Εἰρήνῃ.

REGNUM XERXIS II. SOGDIANI DARII NOTHI, ARTAXERXIS MNEMONIS, ET OCHI.

Duo Reges omiſſi in Beſoldo. Darius Artaxerxis Longimani filius. Sphalma apud Bizarum. Darii Nothi, ejuſdemq́; nepotis, Ochi, Artaxerxis, immanis crudelitas.

Duos reges *omiſit Beſoldus* in Synopſi minore: XERXEM II. & SOGDIANUM, quod idem fecit *Cl. Ptolomæus in Canon.* quem publicavit *Scal. lib.* II. *Can. Iſag. p.134.* Sed auctiorem & emendatiorem *Calviſius Introduct. Chronolog. cap. 11.* è *M.S. Overalli*, & *Petavius Rat. Temp. part.* II. *lib.* IV. ſub finem, è bibiotheca Regis Chriſtianiſſimi. Nihilominus eos habemus apud *Euſeb. in Chron. lib.* I. *p.31.* & *lib.* II. *n.1592.* Et *Xerxi* quidem duos, Sogdiano ſeptem menſes tribuit. At *Diod. Sic. lib.* XII. *c.64.* Xerxem unum annum regnâſſe vult. In Sogdiani menſibus conſentit *l.d.c.71.* Sed *Cteſias apud Photium* non niſi ſex menſes, quindecim dies Sogdianum regnâſſe dicit.

Xerxem,

Xerxem, Artaxerxis Longimani legitimum *filium* fuiſſe, è *Damaſpia* conjuge, ſcribit idem *Cteſias.* Adde *Exc. Græca Scaligeri p. 401,* in quibus legitur: *Xerxes filius Artaxerxis* (regnat) *menſes duos.* Sogdianus eidem *frater*, ſed natus *ex* Alogune, Babyloniâ *pellice;* ut ibidem adjicit *Cteſias*; qui Secyndianum vocat. *Pauſan. lib. VI. p. 353.* Iſogæum (ita Sogdianum appellat) legitimum Artaxerxis filium facit: Sed *Cteſiæ major apud nos fides.*

Hic cùm Xerxem fratrem, in regiâ dormientem, interfeciſſet; regnum invaſit; ſed parricidam exoſi Perſæ, cidarim impoſuêre DARIO; qui privatus *Ochi* nomen tulit. Sogdianus paulò pòſt captus miſerè interficitur. Darium *regis filium* fuiſſe, indicat fœdus inter ipſum & *Lacedæmonios*; cujus verba hæc ſunt apud *Thucyd.* p. 373: *Quæ regiones, quæq; urbes ſub imperio ſunt regis Darii; aut patris ipſius, majorúmve fuerunt; eas ſive belli inferendi, ſive alio modo nocendi causâ Lacedæmoniis eorumq; ſociis adeundi jus ne eſto!* Et *Juſt. lib. V.* c. 1. §. 7: *Darius rex Perſarum* (loquor de *Notho*) *memor paterni avitiq; in hanc* (Athenienſium) *urbem odii, factâ cum Lacedæmoniis per Tiſſafernem, præfectum Lydiæ, ſocietate, omnem ſumtum belli pollicetur.* Sed clarè Cteſias & Pauſanias Artaxerxis Longimani filium è *pellice* faciunt; & Cteſias quidem *Martiderem* illam nominat: Hinc ab omnibus ferè Scriptoribus *Darius Nothus* cognominatur.

Ridiculè apud *Pet. Bizarum lib. II. Rer. Perſic. p. 58.* legitur: *Darium fuiſſe Artaxerxis ex* Pellaca

 filium.

filium. Quaſi *Pellaca* nomen proprium ſit? At cùm in Græco Pauſania ſit: Δαεῖ© Ἀρ℘ξέρξυ παῖς νόθ©, *Romulus Amaſæus* rectè vertit: *Darius Artaxerxis ex pellaca* i.e. ex *concubina filius*. Saltem igitur appellativum eſt apud interpretem. Quod monendum duxi, ne quis Bizarum legens, in errorem abripere-tur: Etenim ex minutis etiam graviores hallucinationes oriuntur.

Hujus Darii anno ſecundo *ſpes* certa *inſtaurandi templi* Hieroſolymitani Judæis affulſit, ut jam ſatis diximus; & cùm initium Darii *Calviſius* poſuiſſet in A.M.3527. *prophetiam Haggei* collocat in A.M.3528.

Fuit aliquando Darius homo crudelis, ut ex *Cteſia* & *Ovidio in Ibin v. 315*. colligere eſt; ut *Valerius Maximus* (qui *Valerius Maximus lib. IX. cap. 2. ex. 6. ext.* Dario Hyſtaſpis eam crudelitatis notam impingit) jure notatus ſit à *Freinshemio ad Curt. lib. VI. cap. 8. §. 16.*

Fato functus eſt A. M. 3546. & ſucceſſit filius ARTAXERXIS MNEMON, ante regnum ſuſceptum *Arſaces* dictus. Natus erat à *Paryſatide*; quemadmodum & *Cyrus* & *Oſtanes* & *Oxyathres*; ut ſcribit *Plutarchus*, qui res Artaxerxis hujus *integro libro* executus eſt. Bellum geſſit cum *fratre Cyro* A. M. 3549. quod præter *Plutarchum* deſcribit etiam fuſè *Xenoph. in libb. VII. de Exped. Cyri.* Breviter *Diod. Sic. lib. XIV. c. 20. Juſt. lib. V. c. 11. Oroſ. lib. II. cap. 18.* De eodem bello ſupereſt narratio *Cteſiæ*, à Photio in compendium redacta; *qui Scriptor* hoc ipſo bello *captus ab Artaxerxe*, medicinam pòſt in Perſia fecit; & Regem à fratre vulneratum ſanavit.

Diu poſthæc *Artaxerxes* Perſis imperavit; ſed cùm tandem *Darium filium* Regem feciſſet, iſq; interficiendi patris conſilium cepiſſet; pater, licet oppreſſo juvene, tamen ex ægritudine animi moritur A. M. 3589. & ſuccedit OCHUS, Artaxerxis filius; qui ſævitiâ & atrocitate (ut *Plutarchus* ait) omnes ſuperavit, regiam cognatorum cæde & ſtrage principum replevit. *Juſt. lib. X. c. 3.* Ochum, ſororem, atque eandem ſocrum, vivam capite defodit; & patruum cum centum & ampliùs filiis ac nepotibus eodem die interemit. *Val. Max. lib. IX. c. 2. ex. 7. ext.* Tandem ab eunucho Bagoa veneno tollitur. *Diod. lib. XVII. cap. 5.* *Cadaver* ejus idem Bagoas *felibus* objecit; *& oſſa* quædam exprobrandæ crudelitati *in manubria gladiorum* convertit. *Ælianus lib. VI. Var. Hiſt. cap. 8.* quod factum A. M. 3614.

CAPUT VII.

Arſes *Rex Perſarum* poſt Ochum. *Darii Codomani genus. Ejusdem* luxus. *Imperii Perſici* ruina, *& cædes* Darii, *poſt* tres *ingentes* pugnas *ad Granicum, Iſſum, & Gauſamela.*

DArius (inquit *Beſoldus* in hac Synopſi minore) *poſtremus Perſiæ Imperator, hunc* (ſc. Ochum) *excepit.* Sed præterit ARSEN, Ochi Artaxerxis filium, quem Bagoas pro patre Regem conſtituit, rurſusq; ſuſtulit; quòd ob cædem paternum ſupplicium illi minitaretur. *Diod. Sic. lib. XVII. c. 5.* Meminerunt

minerunt hujusdem Arſis *Arrian. lib. II.* (ubi Darius in literis ad Alexandrum M. conqueritur, injuſtè illum laceſſitum fuiſſe à Philippo) & *Euſeb. n. 1677.* qui tribuit illi 4. annos, ſecutus *Africanum.* Vide *Scal. d. l.*

Ultimum è Darii Hyſtaſpis domo facit *Strabò lib. XV. p. 736.* ſed corruptè Narſen vocat; verba ejus ſunt: *Septem verò Perſæ; qui Magos interemerunt, Dario, Hyſtaſpis filio, imperium tradidêre; ejus ſucceſſores in* Narſe *defecerunt: quem cùm Bagoas eunuchus interfeciſſet,* Darium *Regem fecit, non oriundum è ſtirpe regiâ.*

Sed & Plutarchus *Darium* (ut ad illum jam progrediamur) ante regnum, ſaltem *Aſtantem*, hoc eſt, *Tabellarium*, ſeu *Veredarium*, fuiſſe ſcribit. Conſulendus *Raderus ad Curt. lib. III. c. 3. §. 3.* At *Diodorò Sic. lib. XVII. c. 15.* à gente regia non alienus eſt; *Arſamum* enim Darii Codomani patrem, Artaxerxis Mnemonis filium facit, quem ſecutus eſt Beſoldus in Synopſi majore; vel certè recentiores, qui ex Diodoro Regis hujus genealogiam concinnârunt.

Freinsh. in Supplem. Curt. lib. II. *c. 1. §. 2.* Darii patrem *Arſânem*, avum *Oſtanem,* proavum *Darium Nothum* aſſerit; ſed hoc mihi nunquam obſervatum in antiquis Scriptoribus, præſertim illis, quos in margine citavit. Quicquid ſit, bello adverſus *Caduſios* geſto magnam virtutis opinionem ſibi pepererat; ut eſt apud *Juſt. lib.* X. *3. §. 3. Diod. Sic. lib.* XVII. *c. 6.*

Cæterùm regnum adeptus, luxum ante virtutem habuiſſe videtur, more totius gentis, quæ olim rudis ad voluptates, pro libertate & gloriâ animoſè

pugnavit;

pugnavit; ſed auctis opibus, delitiis & mollitie fractâ effœminatâq; fortunæ ruentis impetum, non ſuſtinuit. *Livius lib. IX. c. 17.* deſcribit mulierum & ſpadonum agmen trahentem, inter purpuram atque aurum, oneratum fortunæ ſuæ apparatibus, prædam veriùs quàm hoſtem. Conferendus *Curt. lib. III. c. 3.* ubi refert decem & quinque millia hominum (quos *cognatos Regis* appellabant) ſecum in bellum traxiſſe; turmam muliebriter veſtitam, luxu magis quàm decoris armis conſpicuam: Pecuniam Regis ſimul advectam à 600. mulis, & 300. camelis. Unde nihil miror, ſi Macedonum acies tantum regnum deſtruxit, quæ longè diſpari facie, equis viriſq;, non auro, non diſcolori veſte; ſed ferro & ære, fulgebat.

Tribus præliis Perſæ *debellati* ſunt, è quibus *primum* commiſſum eſt in *Adraſtiis* campis, ad *Granicum* fluvium, A. M. 3616. *Juſt. lib. XI. c. 6. Diod. Sic. lib. XVII. c. 19. Plutarch. in Alex. p. 672. 673. Arrian. lib. I.* Cæſa in eo prælio Perſarum 25000. peditum, 2000. equitum; captorum par ferè numerus. Alexander non tantùm eos, qui è ſuis ceciderant, ſed & Perſarum Duces & Græcos, qui hoſtibus meruerunt, ſepulturæ tradidit; illos magnificè, hos piè. *Arrian. d. l. 1.*

Alterum prælium A. M. 3617. ad *Iſſum*, Ciliciæ urbem, depugnatum eſt; & è Perſis ceciderunt centum decem millia: Captæ verò multæ Darii charitates, mater, ſoror, filius Ochus, ac duæ filiæ. *Diod. d. lib. XVII. c. 32. Curt. lib. III. c. 11. Juſt. lib. XI. c. 9. Plutarch. in Alex. p. 675. Amm. Marc. lib. XXVI. p. 327. Herod. lib. III. Arrianus lib. II. Cic. lib. II. Fam. ep. 10.*

Tertium A. M. 3619 in *Gauſamelis*, ſive ad *Arbela*, ſive ad *Ninum*; de quâ ſententiarum diverſitate conſulendus *Freinsh. ad Curt. lib. IV. c. 9. §. 8. Bernegg. ad Juſtin. lib. XI. c. 14. §. 1.* Hoc prælio Alexander Aſiæ imperium rapuit, ut ait *Juſt. d. l. §. 6.* Sed Darius ſequenti demum anno, Beſſi perfidiâ, compedibus aureis vincitur, & jaculis conficitur. *Caſaub. ad Theophraſti Charact. p. 201.* Varietas (ut eſt in proverbio) delectat! & cùm metuam, ne antiquior hiſtoria plus faſtidii, quàm delectationis, in quorundam animis faciat; placet *declamatiunculam* interponere. Rem acceptiſſimam præſtabo iis, qui eloquentiam amant; mihiq; ſimul faciam ſatis, dum hâc occaſione promo, quod ſæpiſſimè volui. Nôſtis, alieni laboris ſarcinam injectam humeris meis; ſed *dubito, quicquamne utilius ſit, veteri declamandi ratione*, quàm *ſuperiori ſeculo* revocatum ivit *Aonius Palearius*; ſic enim ad eum *Andreas Alciatus* ſcribit: *Plurimùm delector, quòd veterem declamandi rationem in præſentem usque revocas, & ob ſuperioris ætatis incuriam (ne infantiam dicam) obſtructam controverſiarum apud Rhetores viam aperis, reddisq́; facillimam. Quæ res non ſolùm ad comparandam dicendi facultatem pertinet, ſed & nobis* Jurisconſultis admodum utilis eſt. *Pauciſſimi quidem ex humaniorum ſtudiorum Profeſſoribus hoc præſtare poſſunt: Quod ſi qui poſſunt, ad* jurisprudentiam, *quæ uberiores fructus parit, tranſire maluerunt; quàm inter pueros fictis thematis conſeneſcere. Unde factum, ut pulcerrima doctrinæ exercitatio inierit.* Hæc ille. Cujus viri auctoritatem ſecuti mihi videntur,

quicunq;

quicunque noſtro & ſuperiore ſeculo eloquentiæ laudem ſibi pepererunt. Ut verò ſciatis, quæ declamandi ratio fuerit, remitto vos ad *Marcum Senecam* patrem, *Quintilianum* & *Libanium Sophiſtam*; ſed quem priores à tergô quàm longiſſimè relinquunt. Noſtrô ævô declamationum hujusmodi *par* ſcripſit *Daniel Heinſius*; quarum in priore fingitur: *Quid Pub. Scipio Africanus dixerit, cùm in Africam trajeciſſet.* Et poſteriore: *Quid Euphorion dixerit, cùm Callimahum filium ſuum, prælio Marathonico, ſtantem expirâſſe, audiviſſet.* Nunc ut juventuti exemplô ferè ſimili præeamus, ad iter illud, quod præcipuè ducit ad eloquentiam; ex hiſtoriâ, quam per hanc ſeptimanam tractavimus, declamatorum more in Beſſi facinus ſic invehimur.

DECLAMATIUNCULA IN BESSUM.

Regni Perſici fundamentum erat, *unum imperare, ceteros omnes obſequi*; & ad ſervitutis opprobrium. Nemo ex animi ſententiâ conſiliũ dabat; quòd reverentiam Regiæ majeſtati debitam, libertas oblíviſci videretur. Fuerunt, qui flagellis ad multum ſanguinem cæſi, pro injuriâ, tanquam beneficiô, gratias agerent. Quòd enim parenti patriæ, & Numini, pòſt Solem, maximo, adhuc in memoriâ ſint, hinc ſe percipere credebant, & lætabantur; ſed nondum intelligis, quid in ſervitute Perſicâ poſtremum fuerit. Majus eſt, quòd *Praxaſpes*, purpuratorum Princeps, ob conceptum alioqui impetum, & ſalutaris conſilii confidentiam, ſpectare coactus eſt, filium ſagittâ peti; nec

ſpectare tantùm, ſed (fidem veram, ô ſuperi!) laudare ferientis tyranni manum. Hæreditaria illa ferocia *Cambyſi* fuit, ſiquid Græcorum narrationibus damus. Nam *Aſtyages*, proavus *Harpago* in cœnâ filium epulandum appoſuerat; & iſte non tàm linguam in officiô, quàm vultum in colore priſtinô retinuit. Minus adhuc dixi: Veritus, ne doloris magnitudinem parùm artificioſè tegens, in reliquias ſuæ domus immaniſſimum carnificem immitteret; deprædicavit etiam apparatum & ſuavitatem cœnæ. Nunc tu mihi conſidera mutatas rerum vices! *Bagoas* (mancipiorum omnium poſtremus, & quod indigniſſimum, *ſemivir*) oblitus, Regum capitibus divinam quandam & inviolabilem majeſtatem, ſuo verò collo jugum congenitum; nec veritus ultorem, quisquis ſuccedit in Regem, & auctorem potentiæ ſuæ, ſceleratiſſimum facinus non tantùm concipit; ſed exequitur. Cùm infimæ ſortis homuncio regnum ſibi vindicare non poſſet, ſui beneficii facit. Cæterùm *non ibi conſiſtunt exempla, ubi cœperunt; & qui magnum ſcelus patravit, vix unquam ſolus fuit. Uti primæ viæ malum parturientibus arduæ & impeditæ ſunt; ita ſemel introducto non deſunt leviſſimi, qui frequenter exerceant.* En Darii flebile cadaver in proximô! an non Regi potentiſſimo perniciem maturavit interfecti Regis exemplum? *Bagoam* evexit Ochus, *Beſſum* Darius. Uterque beneficii ſui parem gratiam tulit, & *in Beſſo revixit Bagoas.* Jam fortuna Darii domum inſigniter attriverat; cæſæ totô Oriente Perſarum copiæ; intima regni Macedonibus reſerata; capta cum

infinitis

infinitis theſauris *Perſepolis*; nec quicquam victori ultra metuendum, niſi quòd Darius viveret. Hâc eum moleſtiâ quis exiſtimaret ſic liberandum? Darius, hoſtibus expeditiſſimis & Alexandro, quid? niſi vel Herculi, vel ipſi Marti obductus & ſubductus, licet in extremis regni; ſui tamen, & à ſuô primùm vincitur, deinde configitur. O prodigium! ô hominem! ô furiam! *Itáne telum, nec animum ad memoriam tot beneficiorum hebetari? nec aliam victimam, quàm Regem,* quàm Patriæ patrem; quàm illum, etiam ſceleratiſſimorum ſicariorum opinione, *participem ſiderum, fratrem Solis ac Lunæ,* crudelitati & *ambitioni mactari potuiſſe?* Beſſus Satraparum princeps erat: Beſſus Bactrianis præfectus erat. Certè *nullam injuriam acceperat, niſi quòd Darius nimiis debitis onerârat*; quæ Beſſum & vivere & mori illi obnoxium cogerent. *Tot beneficiorum vincula nefariô telô abrupit; & nomina, quæ expedire non potuit, ſanguine regiô obruit ac delevit.* Debebat Rex fortunæ atrociſſimam pœnam, cujus blanditiis irretitus, jugum totâ cervice recepit: Debebat imprudentiæ ſuæ, quod contra majorum artes nimium benignus in ſervos, *nullam ultra creſcendi ſpem reliquit; niſi quæ Regem peteret.* Sed non potuit hoc *victoriæ compendium* placere Alexandro; qui monarchiæ ſuæ munimentum ratus, ſi parricidarum ſuppliciô, quantumvis inimici Regis manibus parentaret. Beſſum captum Oxyathri excruciandum tradidit; nec dilata pœna, &

QUI. DIADEMA. SPERARAT.
SCELERIS. PRETIUM.
CRUCEM. TULIT.

Hunc

Hunc infami lignô dignum titulum arbitramur; at Darii monumento ultimum, quod Polyſtratus excepit, ſuſpirium, meritò inſcribimus:

VIVEREM. DARIUS. CODOMANUS.
PERSARUM. REX.
NI. SERVUS. BENEFICIO. MEO.
NIMIS. LAUTE. VIXISSET.

CAPUT VIII.

Alexander *ab eôdem* Perſeô *oriundus, quo* Perſarum *Reges.* Perſei *poſteritas usq; ad* Temenum. *Hujus poſteri ad* Caranum *è reliquiis Dexippi.* Velleji *lectio tentatur. Macedoniæ Regum ſucceſſio, & diſſenſus inter Euſebium & Dexippum, quoad annorum ſupputationem.* Bongarſii *ἀμάρτημα, &* Georgii Syncelli *incuria in exſcribendo Dexippô; & enarratio hujusdem à conjecturâ ſuppletur.* Berneggeri *conjectura in locô Panegyriſtæ rejicitur.* Terram & ignem dare, *quid ſit? Diſſenſus Dexippi à reliquis Hiſtoricis, in enumerandis Alexandri M. majoribus ab Alexandro Divite. Auctores rerum Alexandri M. poſt* Freinshemium *obſervati à* Reineſiô, *è literis ejus promuntur. Alia de rebus Alexandri M. ad* Beſoldum *pertinentia.*

Quod

QUod miraberis, *iisdem majoribus orti Perſarum Reges & Macedonum.* Illos à *Perſeô* jam ſuprà deduximus; hos ab eôdem deſcendiſſe, docuerunt plures, & inter eos *Reineccius* in peculiari tractatu *de Familiis Regum Macedoniæ*; ſed perpetuam ſeriem, nec ille, nec alius, ut opinor, dedit. Nám à *Caranô* ad *Temenum* usque nominare potuerunt nullum, quod apertè confitetur *Reineccius.* Illam lacunam jam ſupplebo è magnorum Scriptorum reliquiis. *Perſeus* (cujus majores *ab Iſaaci majoribus*, ſerie non interruptâ perductos ſuprà reperies) Perſis ſive pater, ſive avus (à quô Perſarum Reges) filium reliquit *Alcæum*; Alcæus *Amphitryonem*; Amphitryon *Herculem Thebanum*; Hercules *Hyllum*; Hyllus *Cleodæum*: Cleodæus *Ariſtomachum*; Ariſtomachus *Temenum*. Hæc extra controverſiam omnia ſunt. Tamen poſteritas ad Caranum, Macedonici regni conditorem, quibus nominibus appellata fuerit, id (ut dixi) hactenus latuit. Multi (è quibus *Eraſmus Schmidius* eſt, in *Pindari Pythionicas od. 5. p. 248. 250.*) *Perdiccam*, Temeni filium, *primum Regem Macedonum* faciunt, è verbis Herodoti in Uraniâ: *Ex Argo profugerunt in Illyricos, & è Temeni poſteris tres fratres, Gavanes, Aëropus & Perdiccas.* In Græcô videntur ἀπόγονοι, quos quis filios nobis interpretabitur?

Sed quid moror? Inſigne fragmentum *Dexippi*, vel *Diodori Siculi* potiùs (quem ille exſcripſit) è *Georgiô Syncellô, in Euſebium Græcum*, retulit *Scaliger, p. 47*, è quô conſtat, *Temenum* patrem fuiſſe *La-*

charis.

charis, Lacharem *Deballi*, Deballum *Euribiadæ*, Euribiadem *Cleodæi*, Cleodæum *Crœſi*, Crœſum *Pœantis*, Pœantem *Carani*, primi Macedonum Regis. Alii, (quod ibidem teſtatur Diodorus) uti Theopompus, genealogiam conſtituerunt aliter; ſed perſonas quaſdam omiſiſſe ferè temporum ratio, & alia nobis perſuadent. Quam nos dedimus, planè perfectior eſt, & à Dexippô approbata; cùm aſſirmat τὸν Καρανὸν ἀπὸ μὲν Ἡρακλέους ἑνδέκατον εἶναι, ἀπὸ δὲ Τημένου ἕβδομον. Hoc eſt, *Caranum ab Hercule undecimum eſſe, à Temenô verò ſeptimum.* Quod verum eſt, ſi genealogiam admittimus, cum illâ computatione, quam *Ovidius* ſequitur: Hic *Ajacem*, Jovis pronepotem, *tertium* à Jove dicit, *lib. XIII. Metam.* quem alii, Jovem annumeraturi, *quartum* dicerent: Sic nos Caranum à Temenô ſeptimum dicimus, non annumeratô Temanô. At ſi juxta morem computandi receptum ab aliis, Temenum adſuimus; hic quidem *octavus* eſt, Hercules *duodecimus*. Theopompus immane diſcrepat, quem ſi ſequimur, Caranus vel *ſextus*, vel *quintus* eſt à Temenô.

Ex hactenus dictis Velleji lectio (quam Reineccius ambabus manibus amplectitur) omninò dubia fit: Nam ſive Theopompum, ſive Dexippum ſequamur, *Caranus* ab Hercule nullo modo *decimus ſextus* eſt. Nî fallor, alteram unitatem in numeri quinarii notam mutârunt librarii; & cùm Vellejus ſcripſiſſet: *Caranus XII. ab Hercule*, fecerunt illi *XVI*; cujusmodi vitia paſſim in auctoribus obvia. Sed hæc conjectura eſt, quam qui rejicere volet, nihil offendet me. Jam

Jam Carani majoribus recenſitis, enumerandi ſunt Reges à Caranô ad Alexandrum Magnum; quod facillimum eſt. CARANUS (de quô videndi modò correctus *Vellejus lib. I. c. 6. Juſtinus lib. VII. c. 1. Pauſanias lib. IX. p. 606. Euſebius num. 1204. Solinus c. 14. Suidas in* Κάρανος, *& Paulinus Opuſculo de Regibus, citante Auſoniô)* regnavit annos 28, ſecundùm Euſebium; at juxta Dexippum 30. Cui ſuccedit COENUS, filius, ut Dexippus ait; & regnat annos duodecim, ut vult Euſebius; viginti octo; ut Dexippus. Cœni filius TYRIMMAS, vel *Tyrimas*, regnat annos triginta octo, ut ait Euſebius; quadraginta quinque, ut Dexippus. Hos duos Reges *Juſtinus* non habet, fortaſſe, quòd tantùm celebriores nominare voluerit. Tyrimmam excepit PERDICCAS I, & regnavit annos quinquaginta unum; ut eſt apud *Euſebium, num. 1281.* De eôdem *Juſtinus lib. VII.* cap. 2: *Perdiccæ & vita illuſtris & mortis poſtrema, velut ex oraculô præcepta memorabilia fuerunt.* Et *Herodotus lib. VIII:* Ὁ Περδίκκης ὁ κτησάμενος τὴν ἀρχήν. Vel potiùs: τῶν Μακεδόνων τὴν τυραννίδα. Hoc eſt: *Perdiccas, qui condidit imperium*, nempe, *Macedonum.*

Fallitur *Bongarſius*, qui ad dictum locum *Juſtini*, hujusdem mentionem fieri ſcribit à *Thucydide lib. II. c. 21.* Meminit Perdiccæ, ſed is *Perdiccas II.* eſt, *Alexandri Divitis* filius, *Archelai* pater; ut ex eôdem intelligi poteſt. At de Primo capiendus *Solinus* c. 14: *Succedit Carano Perdicca XXII. Olympiade, primus in Macedoniâ Rex nominatus.* Omittit *Cœnum* & *Tyrimmam*, ſicut Juſtini epitomator.

At

At hîc ſatis mirari non poſſum, tàm illuſtrem Regem in Dexippi fragmentô præteritum eſſe; immò ad Tyrimmam referri, quod de Perdiccâ ſcribunt modô laudati. Ait enim: Μετὰ δὲ τοῦτον ὁ υἱὸς Τυρίμμας ἔτη με καὶ τὴν λοιπὴν τῆς Μακεδονίας προσελάβετο χώραν, καὶ καθόλου τὴν βασιλείαν ηὔξησεν· εἶτα Ἀργεῖος παῖς Τυρίμμα ἔτη λδ. Hoc eſt. *Poſt hunc* (Cœnum) *regnavit filius Tyrimmas, annos quadraginta quinque; hic reliqua Macedoniæ occupavit, atque ita provinciis unitis, regnum ſuum propagavit latiſſimè. Poſthæc Argéus, Tyrimmæ filius, regnavit annos triginta quatuor.* Vides, nullum Perdiccam locum habere inter Tyrimmam & Argéum. Sed valdè vereor, ut *Georgius Syncellus* Dexippum bonâ fide hîc exſcripſerit: Non enim leve momentum hic in *Herodoti, Juſtini, Euſebii & Solini*, conſenſu. Igitur vel vitium & lacunam (quæ in *Dexippi* codice erat) non animadvertit *Georgius*; vel dum feſtinavit, fugit illum Perdiccæ nomen; unde ſcribere debuiſſet: Μετὰ δὲ τοῦτον ὁ υἱὸς Τυρίμμας ἔτη με. Ἑξῆς Περδίκκας ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἐβασίλευσεν ἔτη · · · οὗτος καὶ τὴν λοιπὴν τῆς Μακεδονίας προσελάβετο χώραν, καὶ καθόλου τὴν βασιλείαν ηὔξησεν· εἶτα Ἀργεῖος παῖς Περδίκκου ἔτη λς. Hoc eſt: *Poſt hunc filius regnavit Tyrimmas annos 45. eumq́; excepit filius Perdiccas, ac regnavit annos · · · qui Macedoniæ reliqua occupavit; atq́; ita provinciis unitis, regnum valdè auxit. Dein Argéus, Perdiccæ filius, Rex fuit per annos 34.* Argéus iſte *Perdiccæ filius* ſcribitur & Herodoto & Juſtino; regnumq; patris obtinuit per annos 38, ut vult *Euſebius*; à quo, ut videmus, *Dexippus* diſſentit, quadriennio dicens minùs. Ar-

Argéi filius PHILIPPUS I. in quô conſentiunt *Herodotus*, *Juſtinus* & *Dexippus*; at in annis regni huic non convenit cum Euſebio; ille namq; 35. habet, Euſebius 38. Philippi filius ΑΕΡΟΠΑΣ, ut Dexippus vocat; ΑΕΡΟΠΟΣ, ut Herodotus, Æropas Euſebius, Europus Juſtinus; is ipſe, quem *infantem Macedones, ab Illyriis victi, prolatum in cunis prope aciem poſuerunt*; ut eò acriùs adverſus hoſtem pugnarent. Meminerunt præter Juſtinum *Ammianus lib. XXVI. p. 326, & Nazarius in panegyrico, cap. 20*, cujus verba ſunt: *Illyrici quondam deſpicientes* Eropi *Regis infantiam, Macedones bello laceſſiverunt.* Berneggerus è Juſtinô ſuô mallet, *Europi Regis infantiam*; quod à virô doctiſſimô ſcriptum nolim. *Æropum* enim propugnant ii, quos citavimus; & addendus (quamvis de aliô verba faciat) *Diod. Sic. lib. XIV. c. 38.* Qui his *Aëropus*, Nazario *Eropus* eſt per ſimplex E: nam hic mos Romanorum fuit, quem ab ipſis Græcis ſumſêre; ut docet *Salmaſius ad inſcriptionem Herodis Attici.* Porrò Aëropus juxta Euſebium regnavit annis 26. juxta Dexippum 23.

Aëropi filius, ALCETAS, ut Herodotus ait, regnavit annos 29, ſecundùm Euſebium, 28. ſecundùm Dexippum. Alcetæ filio, AMYNTÆ I, Euſebius tribuit annos 50. Dexippus 42. *Amyntas* filium relinquit ALEXANDRUM DIVITEM, ut ἀπὸ μιᾶς, hoc eſt, unanimiter tradunt Juſt. Herod. Dexip. apud quem de eodem legis: οὗτος κατὰ τὴν Ξέρξου διάβασιν Πέρσαις ἔδωκε ὕδωρ καὶ γῆν. Hoc eſt: *Hic, quo tempore Xerxes in Græcos expeditionem ſuſcepit, Perſis*

Perſis dedit aquam & terram, id eſt, ſe ſuosq; , urbes, agros, aquam, terminos, delubra, utenſilia ſuaq; omnia in Perſarum ditionem dedit; de quô deditionis ritu apud Perſas ſolenni plura *Briſſonius lib.III. de Regnô Perſarum p. 330. & ſeqq. Freinshemius ad Curt. lib. III. c. 10. §. 8.* At Juſtinus adeò Xerxi conciliatum ſcribit, ut ab eô totius regionis inter Olympum Hermumq; montes imperio donatus ſit. Plura de eö collegit *Reineccius* in tractatu ſuprà citato. Filios habuit Perdiccam & Amyntam.

PERDICCAS regnum tenuit, *Amyntas* privatus vixit. Perdiccâ genitus Archelaus, qui *Euripidem* Poëtam magnâ gratiâ proſecutus eſt; & ab hôc Oreſtes. At Amyntas alter, Alexandri Divitis filius, genuit Aridæum, Aridæus Amyntam II. Regem poſt Oreſtem; Amyntas II. Perdiccam II. & Philippum II. Philippus II. Alexandri M. pater eſt.

Hæc ita *Dexippus* apud *Scaligerum dictâ p. 47.* qui Athenienſis Dux ſtrenuus, Rhetor & Hiſtoricus, *Gothos* vicit; cùm vaſtarent *Achajam*, & *Athenas* peterent. *Herennius Dexippus* Suidæ, de quô plura *Caſaubonus ad Lampridii Alexandrum Severum p. 172. Scaliger in notis ad Græca Euſebii p. 259.*

At hîc multum diſcrepant alii pleriq; veterum, è quibus Regum Macedonicarum ſtirpem conſcripſit Reineccius: Secundùm enim iſtos *Alexander Dives* filios habuit *Perdiccam II, Alcetam* & *Philippum Tharraleum.* Ex Perdicca II. *Archelaus I,* cujus filius *Archelaus II,* & *Oreſtes:* Alceta, qui alter

Alexandri

Alexandri Divitis filius, genitus *Alexander*: Philippo Tharraleo (qui tertius Alexandri Divitis filius) natus *Amyntas II*, cui tres filii, *Alexander II. Perdiccas III. Philippus II.* Hunc Alexander M. patrem habuit. Eſt igitur hæc differentia ſecundùm Dexippum: Alexander M. Philippi II. filius eſt, Amyntæ II. nepos, Aridæi pronepos, Amyntæ privati abnepos, Alexandri Divitis adnepos. Sed juxta Scriptores reliquos Philippi II. filius eſt, Amyntæ II. nepos. Philippi Tharralei pronepos, Alexandri Divitis abnepos. Jam productis ſerie continuâ Alexandri Magni majoribus, ab annis mille quingentis, & quod excurrit, hoc eſt, ab *Inachô* ad Alexandri initium, quâ gente, qui mihi antiquiorem aliam domum, nusquam interruptam, è probatis auctoribus exhibuerit; eum ego Apollineâ coronâ digniſſimum judicabo.

Fas eſſet Alexandri verè Magni, quàm diu à rectô virtutis tramite non deflexit, res geſtas exponere; ſed habemus præter complures Scriptores, *Ammianum, Curtium, & Freinsheimii Curtianum Supplementum*; qui hoc & illos legerit, & à nobis exegerit plura, is *Hiſpanicô ingeniô (quod omnium avariſſimum eſt) natus mihi videtur.*

Fortaſſis non ingratum erit Philologiæ ſtudioſis excipere, quæ vir eruditionis profundæ, & lectionis inexhauſtæ, *Thomas Reineſius* ad *Freinsheimii Curtium* obſervata, ſcripto mecum communicaverat. Me, quod attinet, promtiſſimus ſum, è privatis parietibus, ubi ne quæſtum quidem carcerarium faciunt, in lucem producere. Sic autem ille in literis 12. Aprilis, anno 1643.

Freinſhemius, amicus tuus, nonnulla moneri poſſet *cap. I. proleg.* ubi de ætate Curtii non omitti debebat *Iſaaci Pontani* ſententia, qui eum ſub Trajanô ſcripſiſſe probat. Ejus hâc de re epiſtolæ duæ ſunt in *editione Jonſtonii, Amſtel. A. C. 1633.* Sed quibus reſpondit *Voſſius lib. I. de Hiſt. Lat. c. 9.* qui ad Veſpaſianum refert, uti *Rutgerſius* & *Dan. Heinſius.*

Cap. III. editiones varias commemorat, ſed præter eas notavi, eſſe etiam Lugdunenſem *Jacobi Rouſſini A. C. 1604.* in 16, cum duorum, qui deſiderabantur, librorum ſupplemento, & præfatione S. G. ad *Joh. Paludium* ſcriptâ. *A. C. 1597.*

Cap. IV. de Scriptoribus rerum Alexandri adjicerem iſta: De *Agatharchide*, quod fuerit Heraclidæ Lembi Ducis anagnoſtes, uti *Photius* habet. At *Ptolomæi Philometoris*, & proximorum tempora ſecurè licet corrigere. Qui verò etiam *Straboni* fuit cognitus, *lib. IV.* de eô, quod ante Trojanum vixerit, æqualis narratio eſt? αἱ καὶ Αἴγυπτον ἀποστάσεις, quas vocat extractum excerptorum apud Photium [p. 250.] inſinuant tempore Ptolomæi VII. VIII. & IX, qui variâ fortunâ uſi, ſubditis ſuis cruenti, eosdem ſubinde experti ſunt rebellantes. Vide Juſtinum. *Andracydem* ſapientiâ clarum huc etiam referri debere, cujus *epiſtolæ* ad Alexandri fragmentum *de vino* eſt apud *Plinium lib. XIV. cap. 5.* Et remedium contra ebrietatem, è raphanô deſumtum, ab eod. *lib. XVII. c. 14. Clemens lib. V. Strom.* nominat Pythagoreum, & *lib. VII.* ex eô refert, vini uſum, & carnium ingurgitationes corpus quidem robuſtum, animum verò languidiorem reddere.

dere. *Epiſtolæ Alexandri & Ariſtotelis* ἀμοιβαῖαι ſunt apud Gellium, *lib. XX. cap. 5.* ex Andronici Rhodii, Philoſophi Peripatetici, libro quôdam deſumtæ. Habet easdem *Themiſtius comment. in lib. I.* φυσ. ἀκρ. & edidit cum aliorum Pyrrhus Caldoræus: Quas pro nothis habere nolim. De reliquis ejus ad diverſos, quæ extant, in volumine *epiſtolarum Procerum mundi* Latino, edito *Argentinæ A. C. 1593.* non ſentiam idem: præſertim quam Illyricis, Lacedæmoniis, Dario, Poro (ita enim legitur pro Pyrrhô) & Didymo, Brachmannorum Regi, miſiſſe dicitur. Iſte *Andronicus* eſt, qui exempla librorum Ariſtotelis, quæ ex *Apelliconis Teji* bibliothecâ, *Athenis Romam* tranſtulerat *Sylla*, à Tyrannione Grammaticô accepit, ætate *Pompeji Magni*; & edidit Plutarchus in Syllâ: Præceptor Amaſiæ *Strabonis lib. XII. Calliſthenes* patriâ fuit Olympius. *Ælianus lib. XVI. de Animal. c. 30.*

Chriſtophorus Roffinus *in Senatu Burdegal. Præſes Comm. omnium à condito orbe hiſt. ad Albertum de Gonibus, edit. Lutet. A. C. 1571.* titulo de Macedoniæ origine *res Alexandri Magni* accuratè perſequitur. Clemens, Apuleji familiaris, omnem Alexandri hiſtoriam *carmine* illuſtravit; *Apul. lib. I. Florid.* Heraclides rerum Alexandri Magni ſcriptor à Plutarchô laudatus, quaſi non ſit ille celebris Ariſtotelis diſcipulus ὁ Ποντικὸς λεχηνώτης, *Athen. lib. XIV?* Iſte ſanè κάλλιστά τε καὶ ἄριστα reliquit, interq; iſta hiſtorica, teſte *Laërtiô.* Id verò veriſſimum, non eſſe eundem cum Scriptore περὶ Διαδοχῶν Alexandrino; eſt enim hic de Philoſophorum in ſcholis ſuc-

 ceſſio-

ceſſionibus, ὁ περὶ Διαδόχων, qui de Alexandro dicuntur, æqualis *Polybio*, cognomento Lembus. *Georgius Monachus* etſi Joſephi & Euſebii exſcriptor in Chronico manuſcripto Græco, quod poſſideo; junctum alteri itidem manuſcripto Græco *Georgii Syncelli*. Hiſtoriam Latinam fabuloſam de Alexandro, adſcriptam *Julio Valerio*, Barthius dicit eſſe hominis, cui nulla ſermonis Romani notitia fuit; & vocat tamen Monachum non ineruditum, quæ non concilio. Eſt inter meos *hiſtoria Alexandri magni*, Regis Macedoniæ, de præliis excuſa Argentinæ, A. C. 1489. in formâ majore, quam nî viderit Freinshemius, mirer! Incipit: *Sapientiſſimi Ægyptii ſcientes menſuram terræ &c.* finis: *De ſepulturâ Alexandri, quid diverſi ſuper eâ dixerint*. Auctor rhythmi Germanici *de S. Annone è Comitibus de Daſſel Archiepiſcopo*, qui obiit A. C. 1064, eadem, quæ nugator iſte de Alexandro; *dolio vitreo* incluſum ad *profunda maris*, noſcendis marinis belluis, ſe demittente recitat. *Opitius* etiam, editor verſificis iſtius, unius ex aulicis & familiaribus *S. Annonis Germanici*, *in notis ad cap. 14.* excerptum de vitâ Alexandri Magni manuſcriptum, in codice chartaceo ſe habere ait, ſed quod in narratione (quomodo Alexander pervenerit ad *arbores Solis & Lunæ*) ab editâ meâ diſcrepat; fortaſſisq; in aliis; & ſi, quomodò Alexander ſe *per gryphones in aëre* levari fecerit, penè iisdem verbis repræſentet. Ejusdem generis, ex eodem fonte hauſta, in ſuorum *Chronicorum partem XI.* aliquam multa transtulit; repertis, ut video, nimis fabuloſis & incredibilibus. Unde cognoſcas,

gnoſcas, quamvis futile ſcriptum, habitum in pretio, in manibus omnium verſatum; variè interpolatum, & in diverſa exemplaria propagatũ fuiſſe: Cùm ſpretis frugibus mallent veſci glandibus; etſi vetuſtiſſimorum etiam Scriptorum, *Ariſteæ Proconneſii, Iſigoni Nicæenſis, Cteſiæ, Oneſicriti, Polyſtephani, Hegeſiæ* & ſimilium (quorum commentarii rerum incredibilium, miraculorum & fabularum pleni, ſuſpecti ſemper viſi ſunt eruditis) exemplo feciſſe videri poſſint.

Joſephus Judæus vel maximè ob hiſtorias expugnatæ ab Alexandro *Tyri*, & adverſus ejus *Hieroſolymam*, quam deſcribit *lib. XI.* Ἀρχαιολ. *cap. ult. lib. II.* Ἁλώσ. *cap. 21.* & ſcripta Rabbinica olim à *Druſiô lib. I. de Haſidæis, p. 14. Cunæo lib. II. de Republicâ Hebræorum, cap. 16. Serrario comment. in Joſuam, Seldeno lib. VI. de Jure Naturæ & Gentium. De Succeſſ. Ebr. cap. 17. & lib. VIII. c. 21. Schickardus in proœmiô Tarich Regum Perſarum* laudata: Ob narrationes inſtitutarum coram *tribunali Alexandri Magni* Judicis ab Africanis, ab Ægyptiis, ab Iſmaëlitis actionum forenſium contra Hebræos; & extructi *permiſſu Alexandri Magni* à Sanballete Chutæo, ſeu Samaritano, *templi* in monte *Garirim*.

Oneſicritus fuit *Aſtypalæus*; *Ælian. lib. XVI. de Animal. c. 39.* Diogenis Cynici diſcipulus ἄρχων κυβερνητῶν, Plutarch. *lib. I. de fortunâ Alexandri Magni.* Neſtor auctor Alexandriados, Poëta Epicus, patria Larandenſis ex Lyciâ fuit, ſub Imperatore Severo; filium habuit *Piſandrum*: De utroq; adi *Suidam.*

Nicanorem eundem faciam cum *Seleucô* nominatiſſimô inter Alexandri Duces. Parmenionis epiſtola ad Alexandrum, quâ expugnationem *Damaſci*, ſuo ductu factam, commemorat; & capta impedimenta Darii, regias pellices & diverſos aulicos, eſt apud *Athen. lib. XIII.* Si Pindarum Poëtam, ob encomium aliquot verſuum, inter Scriptores rerum Alexandri Magni referre licuit Raderio; εὖ Θεοὶ ὅσος ὄχλος quàm excreſceret eorum numerus! Extant in eundem in *Anthologiâ* Parmenionis, Poſidippi, Achelai. Multò rectius hîc referuntur, quos ex Indic. librorum *Plin. lib. XII. c. 13.* qui maximam partẽ ex illis, qui victorias Alexandri M. in Indiis ſecuti ſunt, & miranda ſtirpium, arborum, animalium ibidem ἱστορημένα, compilati ſunt; nominare poteram. Immò Plinio nonne locus deberetur præ Solino in hoc cœtu? *Polycletum* (quem *Voſſius* pro incertæ ætatis Scriptore habet) ipſi Alexandro comitem in expeditione Indicâ fuiſſe, inde colligo, quòd *Ælian. lib. XVI. de Animal. cap. 41.* de lacertis in Indiâ eum teſtem adducat; nam & ſic *Oneſicritus*, ſic *Protagoras*, ſic *Nearchus*, quæ per bella & peregrinationes iſtas viderant, annotârunt. Soterichus fuit Oaſites ex Ægypto. Ita *Stephanus*; & inde *Lil. Greg. Gyraldus dial. de Poëtis 4.* Suidas ait ſcripſiſſe Βασσαρικὰ, βίον Ἀπολλωνίου Τυανέως, τὰ περὶ Πάνθειαν Βαβυλωνιακὴν, Πύθωνα ἢ Ἀλεξανδριακὸν. Ἔστι δὲ καὶ Ἀλεξάνδρου Μακεδόνος ἱστορία, ὅτι Θήβας παρέλαβε, καὶ ἄλλα. Hoc eſt, præter *Alexandriacum* etiam alia ſcripſit.

Malè

Malè Suidæ interpres, & hunc ſecutus *Voſſius, Freinſhemiusq́;* tuus: *Hiſtoria hæc fuit de Thebis atq́; aliis ab Alexandro captis.* τὰ περὶ Πάνθειαν quæ fuerint, intelliges è *Xenoph. lib. VI. & VII.* ubi de *Panthea*, uxoris *Abradatæ*, Perſæ, erga maritum inſigni fide. Meminit & *Plutarchus libro de vitâ XI. Epicur.* & *Campoſulus lib. IV. Exempl. c. 6.*

De Emir-chowando, Arabe ſeu Perſâ, vide *Schickardum dictô locô, p. 50.* Turcam, qui vernaculis rhythmis Alexandri hiſtoriam comprehendit, *Idem d. l. p. 71.* appellat è Leunclavio Achmedem Maulan.

Et hæc de Scriptoribus hactenus. Sed nec hoc erat negligendum. Idem *Freinsheimius* notis ad *Curt. lib. I. cap. 2. §. 36.* Polyænum, in nomine novarchi cujusdam Perſicæ claſſis, in bello Cyprio, corrigit, præeunte Caſaubono; & pro Γλῶς, legit è Diodoro Γαῶς. Atqui noſſe poterat, quod *Caſaubonus* de hâc præcipitantiâ ſe ipſe caſtigaverit, notis ad *Æneæ Poliorcet. c. 32.* & de Polyæni membranis, quæ conſtanter retinent τὸ Γλῶς Diodori codices emendandos eſſe conſtituerit. Tantum ad me *Reineſius*; quod *Freinshemii Curtio* adſcribere poterit, qui habet.

Nunc quædam ad *Beſoldum*, qui ſingularem Dei providentiam Alexandrum duxiſſe refert, atque inde ſummo *Pontifici* Judæorum *ſupplicem* factum. Pontifex is fuit *Jaddua*, ſive *Jaddus*, de quo *Seldenus lib. de Succeſſ. in Pontific. Hebræor. cap. 6. p. 256.* Hiſtoriam totam elegantibus verbis reddiderunt *Lipſius lib. I. Monit. & Exempl. polit. cap. 2. monit. 1. ex. 2.*

ex. 2. & *Freinſhemius in Supplemento Curtii lib. II. c. 11. §. 22. & ſeqq.*

Notavi ad *Valerii Maximi lib. I. cap. 1. diſſert. 1. & 2.* primis quatuor monarchiarum conditoribus „ non defuiſſe reſplendentiam veritatis; prorſus ut „ Deus optimus maximus cæteris gentibus præeſſe „ voluerit eum, qui cultus ſui non prorſus eſſet oblitus. At de *Cyro* præterii locum *Theodoreti, Serm. 1. de Fide: Cyrus,* inquit, *à Daniele, quo familiariter utebatur, Theologiæ myſteria eſt edoctus.* Sed & *Cyrillus* memorat, *Cyrum Eſaiæ vaticinium legiſſe*, & ejus lectione adeò captum fuiſſe; ut divinæ gloriæ præconium in urbibus & in regionibus ſuis, promulgârit; confeſſusq; palàm fuerit, illum ſolum eſſe Deum, univerſorumq; Dominum; qui à Judæis coleretur.

Alterum quoque Beſoldus ſcribit, hoc eſt, Alexandrum *bonas artes* & amâſſe, & regiâ liberalitate foviſſe. De hâc Alexandri laude, quæ dicenda ſunt, conjecit *Freinſhemius in Supplementum Curt. lib. I. c. 3. & 4.* Tertium eſt de *inſolentiâ* ejusdem, quam & graviſſimis verbis notat *Curt. lib. IV. c. 7. §. 15. & lib. X. c. 5. §. 33. Val. Max. lib. IX. c. 5. ex. 1. ext.* & alii. Vide *Freinſhemium ad Curtium.* Quartum de morte ejusdem, exponit hanc ipſam *Juſtin. lib. XII. c. 13. Curt. lib. X. c. 4.* & qui ad auctores iſtos citantur à doctiſſimis viris. Quintum eſt de Philoſophis: Hîc *Diodorum Siculum* legas *lib. XVII. c. 112.*

CAPUT IX.

UT eleganter inquit *Erycius Puteanus* commentariô in *lib. I.* hiſtoriæ Inſubricæ: *Uſitatum hoc eſt in magnorum virorum funere, quisq; rapit, quod poteſt; & cùm hæres non eſt, terrarum latrocinium permiſſum videtur. Alexander, cujus aviditati orbis non ſufficiebat, plures ferè corvos reliquit, quàm regnorum membra.* Cæterum qui nam illi proceres fuerint, in quos prægrande imperium diſtributum eſt; & quæ provinciæ cuiq; obtigerint, longè accuratiùs, quàm *Beſoldus* explicavit *Freinshemius ad Curt. lib. X. cap. 10. §. 1.* quem qui legerit, nihil à nobis notarum exiget ad hoc caput.

CAPUT X.

Regum Syriæ *ſucceſſio*, qui è Macedonibus *ad ultimum usque. Sententia* de morte *duorum Antiochorum*, Magni & Epiphanis *expenduntur.* Seleucidarum *precarium regnum ſub Romanis.*

ANTIGONUS, Philippi filius, cum Alexander M. deceſſiſſet, primùm *Pamphyliam, Lydiam & Phrygiam*; vel (ut alii volunt) *Ciliciam ad Taurum* obtinuerat: Sed ita poſteà crevit, ut ferè toti Aſiæ imperaret. Vide fragmenta Græcorum veterum apud *Scaligerum in Euſeb. p. 374.* Et hunc ipſum Scaliger *primum è Macedonibus* in Oriente Regem conſtituit, *lib. II. Can. Iſag. p. 433.*

At mox SELEUCUS Antiochi (qui Philippi

Macedoniæ Regis Dux fuerat) rerum potitus, imperium ſuum auxit mirum in modum. Hic eſt, quem à *victoriarum 23* numero *Appianus in Syriacis, Stephanus Bizantius & Eunapius*, Seleucum *Nicatorem* appellant, quibus accedunt nummi; ut fortaſſis rectiùs iſti ſcripſerint, quam qui *Nicanorem* dixerunt, quod ipſum judicavit *Valeſius ad Ammiani lib. XIV. p. 41.* Sed & fanum Seleuco conſecratum, dictum fuit νικατόρειον, ut ſcribit *Appianus in Syriacis.* Hic ipſe eſt, qui *anchoram* genitivam notam *in femore* habuit; ut & omnes, qui ab illo deſcenderunt. *Juſt. & App. dict. locis. Auſonius de Antiochia.* Πάθος συγγενικὸν appellare poſſes è *Strabonis lib.* XV. *p. 69.* vide *Piccart. Decal. 1. c. 7. (Caſaub. ad Strab. dicto loco Pighium in Herc. Prodic. p. 62.* Occiditur A.M. 3669. *Juſt. lib.* XVII. *c. 2. §. 2.*

Succedit ANTIOCHUS SOTER, filius; cujus in matrimonio fuit *Stratonice*, Demetrii filia, Antigoni neptis. *Diod. Sic. in Exc. Peireſc. pag. 263. Excerpta Græca apud Scaligerum d. pag. 374.* De hoc loquitur *Juſtinus lib.* XVII. *cap. 2. §. 10.* Moritur A.M. 3689.

Hunc excepit ANTIOCHUS THEOS, five Deus, filius Soteris è Stratonice (*Excerpta Græca Scaligeri*) Seleuci Nicatoris nepos, *Joſephus lib.* XII. *Antiq. c. 3. Nicolaus Damaſcenus in Exc. Peir. p. 503.* Sic cognominatus à *Mileſiis*, cùm *Timarchum* tyrannum eorum ſuſtuliſſet. *Appianus in Syriacis.* Ubi eundem interfectum ſcribit ab uxore *Laodice*, quòd doleret ſibi adjunctam *Beronicem*. Factum id A.M. 3704.

Sed

Sed *Laodice*, diſſimulandi ſceleris gratiâ, ARTEMONEM, Antiocho Regi quàm ſimillimum, ſubſtituit, qui admiſſum univerſum populum & ſermone & vultu fefellit; crediderintq; homines ab Antiocho moriente Laodicen, & natos ejus ſibi cōmendari, *Val. Max. lib. IX. c. 14. ex. 1. ext. Plin. lib. VII. c. 12.*

Succeſſit SELEUCUS CALLINICUS, Antiochi Dei filius; atque adeò (ſi *Excerpta Græca Scaligeri, Joſephum & Nicolaum Damaſcenum* ſequimur) Seleuci Nicatoris pronepos. At *Berneggerus ad Juſtin. lib. XXVII. c. 1. §. 1.* nepotem dicit ex *Appiano*; qui Antiochum Deum Seleuci Nicatoris filium facit. Hic *matrem* ſuam *occidit*, ut eſt apud *Juſtinum d. l. 27. cap. 1.* Cum Ptolomæo Evergete *bellum* gerit, ſed *infelix*, *ibid. cap. 2.* Igitur Antiochum Hieracem fratrem in auxilium evocat, ſed magnô ſuô cum malô; *ibid. & c. 3.* Tandem *equo præcipitatus* moritur A. M. 3725. *ibid. §. 12.* cùm eodem tempore Antiochus Hierax à latronibus in fugâ interfectus eſſet, *ibid. §. 11.*

Hinc regnum adeptus eſt SELEUCUS CERAUNUS, ut eſt apud *Euſebium num. 1790.* Hunc Seleuci filium, Seleuci Callinici nepotem ſcribit *Polyb. lib. II. hiſt. c. 71.* qui cum ſublatus eſſet, A. M. 3728. ſucceſſorem habuit ANTIOCHUM MAGNUM fratrem. Hujus proavum Seleucum Nicatorem ait *Livius lib. XXXIV. c. 57.* ibi: *Thraciæ & Cherſoneſi urbibus arceri Antiochum, quæ Seleucus proavus ejus Lyſimacho Rege bello victo, & in acie cæſo, per ſummum decus parta reliquerit.* At ex hactenus dictis apparet,

Seleuci

Seleuci filium, Seleuci *Callinici* nepotem, Antiochi *Dei* pronepotem, Antiochi *Soteris* abnepotem, Seleuci *Nicatoris* adnepotem eſſe: ac ſanè fieri potuit, ut καταχρηστικῶς loqueretur Livius. Sic *Cic. lib. III. Fam. ep. 11.* Appium Claudium Cœcum *proavum* dicit Appii Claudii Pulchri, ad quem ibid. ſcribit, ſed is Cœci *trinepos* fuit; ut rectè obſervavit *Manutius.* Eodem modo *Curt. lib. VI. c. 11. §. 26. proavum* dicit, qui abavus erat; vide ibi *Freinsh.* Nihilominus & *Appianus* Antiochum Magnum Seleuci Nicatoris *pronepotem* facere videtur; ſed ejus hominis auctoritas apud nos non tanta eſt, quanta *Polybii.*

Cæterùm hic eſt, qui *Romanum bellum* ſuſcepit, A.M. 3758. *Hannibale* (qui exul toto orbe Romanis hoſtem quærebat) præcipuas belli faces animo regio ſubjiciente; ſed hoc eâ fortunâ geſtum eſt, ut *Antiocho* maximis prœliis *victo*, & luculentâ ditionum parte exuto, militari joco inſultatum ſit: *Antiochum verè magnum fuiſſe!* Vide *Florum lib. II. c. 8.* & quos ibi citant interpretes.

De ejus morte *Juſt. lib. XXXII. c. 2. §. 1.* Poſthæc *Antiochus (cùm gravi tributo pacis, à Romanis victus, oneratusq; eſſet) ſeu inopiâ pecuniæ compulſus, ſeu avaritiâ ſolicitatus, qua ſperabat, ſe ſub ſpecie tributariæ neceſſitatis excuſatiùs ſacrilegia commiſſurum adhibito exercitu, nocte templum Didymæi Jovis aggreditur: Quâ re proditâ, concurſu incolarum, cum omni militiâ interficitur.* In quo loco præter id *mendum*, quod in primis correximus, animadvertet aliud; qui hiſtoricorum loca de hâc ipſa re diligenter contulerit. Quis

enim

enim hîc ſit *Didymæus Jupiter?* legerim omninò: *Nocte templum Elymæi Jovis aggreditur.* Niſi *Juſtinus* (quod alibi quoque deprehendimus) in *vitioſum Trogi codicem* incidit; qui pro *Elymæo Didymæum* habuit. Ut vel *Trogum*, vel *Juſtinum* mendoſum eſſe ſuſpicemur, facit *Strabo lib. XVI.* p. 744: *Antiochum quidem* magni Beli *templum in* Elymaide *ſpoliare conatum finitimi barbari interfecerunt.* Diodorus Siculus *in Excerpt. Peireſc.* p. 299: *Antiochus Rex pecuniæ inopiâ laborans,* Beli *templum in* Elymaide *auro & argento, ac precioſiſſimis refertum eſſe donariis, cùm didiciſſet; ſpoliare illud conſtituit. Igitur in* Elymaidem *ingreſſus, cauſatusq; ab incolis bellum ſibi illatum eſſe, fanum expilavit; coactâq; grandi pecuniâ brevi meritas pœnas dedit.* Fragmentum hoc poſitum eſt inter id, quod ad annum V. C. 566. & inter aliud, quod ad annum V. C. 570. pertinet. Ergo de *Antiocho M.* capiendum, qui, ſecundum Calviſium, obiit A. V. 567. A. M. 3764. At quod *Diodorus* refert, paulò pòſt ſpoliatum templum interfectum à barbaris, in eo diſſentire videtur à *Juſtino* & *Strabone*, qui Antiochum *auſum* ſcribunt ſcelus, ſed *non perfeciſſe*; velut in ipsô conatu à barbaris oppreſſum. Et hic unicus fortaſſis diſſenſus eſt: Alium agnoſco nullum. Nam quæ *Berneggerus* poſt allatas ad *Juſtin. lib.* XXXII. *cap. 2. §. 1. Strabonis, Hieronymi, Joſephi, lib. I. Maccab. cap. 6.* narrationes ſtatuit, hinc authorum diverſitatem à non diſtinctis Antiochorum cognomentis ortam videri, Cimmeriis tenebris obſcurius eſt: Veteres enim diſtinctè agunt, & quid velint, ſatis ob oculos ponunt; nimirum

nimirum & Antiochum M. *patrem &* Antiochum Epiphanem, *filium, ſacrilegos fuiſſe*; ac patrem quidem aggreſſum templum *Beli*, ſive *Elymæi Jovis* (nam *Belus* & *Jupiter* idem) & à barbaris cum exercitu cæſum; ſed filium aggreſſum templum *Dianæ Elymææ*, clade acceptâ receſſiſſe; ac paulò pòſt dolore fuiſſe confectum.

Illud jam ſatis demonſtratum; nunc alterum quoque faciemus, ut clarum ſit: *Polybius in Exc. Peir.* pag. 145: *Antiochus Rex, avidus parandæ pecuniæ, ad templum Dianæ, in Elymaidem exercitum movit; quò cùm perveniſſet, ſpe ſuâ fruſtratus, eò quod barbari accolæ tantum ſcelus fieri prohiberent, regreſſus* Tabis, *quæ Perſidis civitas eſt, è vivis diſceſſit; inſaniâ, ut quidam ajunt, correptus, ob quædam ſigna atque oſtenta, quæ ob violatam religionem templi, ab infenſo numine edita erant.* Hoc enim fragmentum ad *Antiochum Epiphanem* referendum eſſe, docet fragmentum antecedens, de *C. Sulpicio Gallo*; quod pertinet ad A. V. ſive 589. ſive 590. quò ipſo tempore defunctum Antiochum Epiphanem manifeſtum eſt. Sic Polybio cum hiſtoria ſacra (ſi unum illud excipias, quod non penetravit Polybius, nimirum, à Deo Opt. Max. Antiochum hunc potiſſimùm afflictum fuiſſe, propter ſacrilegium in templo Hieroſolymitano admiſſum) pulcerrimè convenit, quæ de Antiocho Epiphane refert; cùm audiviſſet, *Elymaidos* opulentiſſimum *templum* eſſe, in quo ſcuta & thoraces aſſervabantur, ab Alexandro M. ibidem relicti; urbem admotis copiis expugnare conatum, ſed, fortiter reſiſtentibus

incolis,

incolis, recedere coactum eſſe: Ac, cùm paulò pòſt accepiſſet nuntium de alterâ clade à ſuis acceptâ in Judæâ, dolore confectum eſſe. Vide *lib. I. Maccab. c. 6.* fanum non nominat, cujus Deæ fuerit: Sed *Joſephus lib. XII. c. 13.* Dianæ fuiſſe ſcribit, ſicut *Polybius.* De hâc ipsâ Antiochi Epiphanis clade *Hieronymus* in Dan. c. 11: *Volens templum* Dianæ *ſpoliare, quod infinita donaria habebat, fugatus à barbaris eſt, qui mirâ veneratione templum illud ſuſpiciebant; & mortuus eſt, mœrore conſumtus, in* Tabes, *oppido Perſidis.* Niſi ergò cœci ſumus, *τόν τε νοῦν τά τ᾽ ὄμματα*, quàm nullo modo ſibi reſiſtant veteres, quàm nec Antiochos inter ſe confuderint; ac quâ ratione vel jungendæ vel ſeparandæ ſint illorum reliquiæ, haud difficulter animadvertimus: Conjunctos enim *Juſtinum lib.* XXXII. *c. 2. §. 1. & Strab. lib.* XVI. *p. 744. & Diodor. Sic. in Exc. Peir. p. 299.* velut loquentes de *Antiocho M.* ſeparamus à *Polybio Exc. Peir. p. 145. lib. I. Maccab. c. 6. Joſeph. lib.* XII. *c. 13. & Hieronymo in Daniel.* ut qui de *Antiocho Epiphane* interpretandi ſunt. Recentiorum verò erat diſtinctiùs hîc agere; parum enim conſideratè *Bongarſius*, qui *Hieronymum* junxit cum *Strabonis* & *Juſtini* loco; nec felicior *Berneggerus*, qui cùm alia adjeciſſet minimè cohærentia, veteres à ſe invicem diſſentire putabat, ob non diſtincta *Antiochorum cognomina.* Diſtinguendi ſunt Antiochi; ſed ſi diſtinguas (quod interpretem bonum decet) tamen nullus diſſenſus, nulla diverſitas auctorum apparebit usquam: Diverſitatem hîc capio unius rei & facti diverſam narrationem. At hîc non de unâ re, neque de

unâ

unâ perſonâ auctoribus ſermo eſt; ſed alios videbis loqui de Antiocho M., alios de Antiocho Epiphane; nec vel illos vel hoſce opinione ſuâ falſos eſſe. Verùm de hâc re plus ſatis.

Antiocho M. ſucceſſit SELEUCUS PHILOPATOR primogenitus, *Excerpt. Græc. Scalig. p. 375. Euſeb. Græc. p. 55. Latin. n. 3829.* At *Joſeph. lib.* XII. *c. 4. ſub finem* Seleucum Soterem cognominat. Meminit ejusdem *Livius lib.* XXXIII. *c. 40. ſub finem, & c. 41.* ubi refert, profectum à patre terreſtribus copiis. Idem in eo bello, quod pater cum Romanis geſſit, intercepit *Africani filium*; cum è Græciâ navigaret. *Dio Coccejus in Excerp. Peir. p. 609.* Rex factus, *contractis haud contemnendis copiis, ad opem Pharnaci ferendam profectus, Taurum montem ſuperare jam parabat; ſed cùm apud ſe reputâſſet leges fœderis, quod populus Rom. cum patre percuſſerat*, abſtitit; ut ſcribit *Diod. Sic. in Exc. Peir. p. 303.* Beſoldus cùm de eo *nihil legiſſet, nihil* etiam principe dignum *perfeciſſe*; ſcribit. Obiit A. M. 3774.

Ei ſuccedit frater ANTIOCHUS EPIPHANES, omnibus piis deteſtandum nomen; ut qui eorum ſanguini innatavit, & totam *Syriam* carnificinæ ſuæ profluvio propè inundavit. Magno quidem elogio afficitur à *Polybio in Exc. Peir. p. 132.* fuiſſe *Regem ſtrenuum inprimis, & maximas res animo agitâſſe; prorſusq; (ſi excipiantur ea, quæ ad Peluſium geſſit) nomine regio digniſſimum.* Quæ eadem in hiſtoriam ſuam tranſtulit *Diod. Sic. in dict. Exc. p. 312.* Sed quæcunque tandem decora ab iſtis obſervata ſunt, ea omnia

omnia crudelitatis *immanitate contra Judæos* exercitæ, obruit ac ſepeliit. Hic idem eſt, quem *C. Popilius Ægypto* excedere juſſit, de quâ re *Liv. lib. XLV. cap. 12. Val. Max. lib. VI. c. 4. Juſt. lib. XXXIV. c. 3. Vellej. Paterc. lib. I. c. 10. Plin. lib. XXXIV. c. 6.* qui tamen duas hiſtorias *Cn. Octavii* & *C. Popilii* per errorem miſcet; nam quod ſcribit, *virgulà circumſcriptum Antiochum à legato*, id ad *C. Popilium* referri debet: Ac alterum *de cæde legati* pertinet ad *Cn. Octavium*, quod è *Ciceronis Philippica IX.* manifeſtum eſt. Moritur ex animi mœrore, cum *repulſus* eſſet *ab Elymææ Dianæ templo*, quod ſpoliare conabatur; ſuorumq; unà cladem in Judæa accepiſſet, ſicut jam docui.

Ab hoc *Antiocho Epiphane*, & ejus fratre *Seleuco Philopatore*, deſcendunt *duæ familiæ Regum*: Antiochi ſtirps clementior habebatur, Seleuci ob ſuperbiam ac ſævitiam malè audiebat; ut obſervat *Valeſius ad Excerpta Diod. Sic. p. 54.*

Antiocho Epiphani ſuccedit filius ANTIOCHUS EUPATOR A. M. 3786. & non niſi duobus annis regnat, *Excerpta Græca Scalig. p. 375.* At *Euſeb. Græc. p. 55.* non niſi annum unum, menſes 6. tribuit; at *Latin. n. 1852.* annos duos, quod idem facit *Joſeph. lib. XII. c. 16.* Meminit *lib. I. Macc. cap. 6.* ejusq; cædis (interfectus eſt enim à militibus *Demetrii* cap. ſeq.) ita Rex factus A. M. 3787. DEMETRIUS ὁ Σελεύκȣ ὁ καὶ Σωτὴρ, ut ait *Euſeb. Gr. p. 55.* Id eſt: *Seleuci filius, cognomento Soter.* Conſentiunt *Joſeph. lib. XII. c. 16. lib. I. Macc. c. 7. Appianus in Syriac. Epitomator Livii lib. XLVI. Diod. Sic. in Exc.*

N *Peir.*

Peir. p. 323. ubi refert, quomodo adhuc obſes Romæ, *Ptolomæum Philometorem* regno pulſum, exceperit.

Quamobrem *deteriorem* ſententiam (quæ eſt Juſt. lib. XXXIV. c. 3. §. 8.) *Beſoldus* ſequitur, qui *Demetrium* facit *Antiochi Eupatoris patruum*; cùm fuerit *patruelis*: Nam *Demetrius* (ut dixi) Seleuci Philopatoris filius, Antiochi Magni nepos; *Antiochus Eupator*; Antiochi Epiphanis filius, Antiochi M. nepos. Hunc Demetrium in omnium odio fuiſſe, ſcribit *Juſtinus lib. XXXV. c. 1.* Contra *Judam* Maccabæum miſiſſe *Bacchidem* & *Nicanorem*, *Joſeph. lib. XII. c. 16. 17.* Altero profligato, altero internecione deleto, nihilominus novas copias, eodem *Bacchide* duce, Judææ immiſiſſe; à quibus circumventus *Judas* Maccabæus *occiſus* ſit, *d. l. c. 18. & 19.* Sed eundem *Bacchidem*, paulò pòſt bello feſſum, cum *Ionatha* fœdus percuſſiſſe, *lib. XIII. c. 2.* Tandem & ipſum *Demetrium* conciliare ſibi ſtuduiſſe *Ionatham*, cùm premeretur Alexandri bello; ſed fruſtrà, longè majora offerente Alexandro *d. l. c. 4. & 5.* Paulò poſt hæc *Demetrius* ingenti pugnâ vincitur ab *Alexandro*, quæ clades incidit in A. M. 3798.

Hoc initium eſt ALEXANDRI, quem idem *Ioſeph. lib. XIII. c. 3. & Euſeb. n. 1867.* Antiochi Epiphanis filium faciunt; ſed incertæ ſtirpis, & ſortis extremæ hominem volunt *Appianus in Syr. Epitom. Liv. lib. LII. Iuſt. lib. XXXV. c. 1. §. 6.* Ejus locum adducam, ut ſimul ſententiam meam ſubjiciam accuratiorum judicio: *Itaq; adjuvantibus & Ptolomæo, Rege Ægypti,*

Ægypti, & Attalo, Rege Aſiæ, & Ariarathe, Cappadociæ; bello à Demetrio laceſſiti ſubornant propalam *quendam, ſortis extremæ juvenem; qui Syriæ regnum, velut paternum, armis repeteret.* Propalam habere 4. manuſcriptos teſtatur *Giſanius commentar. in 1. politic. Ariſtotelis c.6.* Et multa de vocabulo *propalam* & *propola* ad Juſtinum notat *Bernegg.* Volunt enim Alexandrum iſtum *propalam* vel *propolam* fuiſſe. Quid verò Juſtinus addit; *ſortis extremæ juvenem?* ſcimus hoc ex eo, quod *propola* fuit; eſt enim *propola* tenuis non magnarum mercium negociator, quas ipſe ſecum circumfert; & fora diverſa ſequitur, tenuis lucri captandi gratiâ. Vocabulum legas apud *Lamprid. in Commodo p.46.* Et in *Gloſſis*, quas ibid. citat *Salmaſ. p. 215.* Secundò *propalam*, quod in tot manuſcriptis eſt, verbum nihili eſſe, prorſus aſſentior *Scaligero, in Virgilii Culic. p.42.* Quamobrem Juſtinus non benè hic habet. Quod ſi res mei ſit arbitrii, Juſtinum ita conſtituerem; ut quod alii dicunt; diceret ipſe quoque; legerem: *Subornant* Balam *quendam.* Hic enim *Alexander Bala* dictus eſt, vide *Scal. ad Euſeb. num. 3867. Euſeb. Gr. p. 505.* indubiè corruptus eſt, qui habet: Ἀλέξανδρος ὁ τοῦ Βαλᾶ ὑὸς Ἀντιόχου τοῦ Ἐπιφανοῦς; id eſt, *Alexander Balæ, filius Antiochi Epiphanis.* Ὁ τοῦ Βαλᾶ ſignificat *Balæ filium eſſe.* At ſi Balæ filius, quomodo ὑὸς τοῦ Ἀντιόχου τοῦ Ἐπιφανοῦς? Vellem: Ἀλέξανδρος ὁ Βαλᾶς ὑὸς Ἀντιόχου τοῦ Ἐπιφανοῦς, id eſt; *Alexander Bala, filius Antiochi Epiphanis.*

Cæterùm hic Alexander, cum Laodice ſponſâ,

Epiphanis filiâ, Romam venit, ut ſenatus auctoritatē in paternum regnum reſtitueretur; idq; tandem obtinuit, cum *Heraclides*, qui eum Romam adduxerat, pleroſq; Senatores muneribus corrupiſſet, *Polybius in Excerpt. Legat. c. 140.* Magnis pollicitationibus, & delato *Pontificatu*, *Ionatham*, Judæ Maccab. fratrem, in partes ſuas traducit, *Ioſeph. lib. XIII. c. 5.* Sed victo Demetrio, ſegnis & minimè par tanto faſtigio, *Antiochiæ* præfecturam *Hieraci* & *Diodoto* tradidit. *Diod. Sic. in Exc. Peir. p. 347.* Duxit *Cleopatram*, Ptolemæi Philometoris filiam, *ibid. c. 7.* Sed cùm *Ptolemæus* inſidiis generi petitus eſſet, *filiam* rurſus *ademit*; eamq; *Demetrio*, Demetrii Soteris filio, *dedit*. Hæc Alexandro ruinæ cauſa. Victus in Arabiam fugit, ibiq; capite truncatus eſt A. M. 3804.

Succedit DEMETRIUS, de quo dixi, Demetrii Soteris filius, cognomento NICANOR; de hoc vide *Juſt. lib. XXXV. c. 2. §. 1. & lib. XXXVI. c. 1.* Contra eum A. M. 3805. *Tryphonis* operâ Rex factus erat ANTIOCHUS, Alexandri Balæ filius, cognomento ΘΕΟΣ, ſive DEUS. Sed capto Demetrio Nicanore à Parthis, *Tryphon* eum interfecit A. M. 3809. *Iuſt. lib. XXXVI. c. 10. §. 7. Ioſeph. lib. XIII. cap. 9. 10. & 12. Excerpta Græca Scalig. n. 375. Epitom. Liv. lib. LV.* Alexandrum, Alexandri Nothi filium, dicunt *Appian. in Syriac. & Euſeb. Gr. p. 57.*

Sic regnum invaſit TRYPHON, alio nomine Diodotus, homo ſævus in milites & alios; quod ipſum perniciem illi acceleravit. Interfectus eſt à Pamœe A. M. 3812. & regnum avitum recuperavit ANTIO-

TIOCHUS SEDETES, Demetrii Soteris filius, Demetrii Nicanoris frater, *Euſeb. num. 1879. Excerpt. Græc. Scalig. p. 375.* Meminit hujusdem *Iuſt. lib. XXXVI. c. 1. §. 9. & lib. XXXVIII. c. 9. & 10.* Bellum geſſit cum *Parthis*, cujus minor apparatus ferè quàm luxuriæ fuit; ut *ibid.* fuſè deſcribit *Iuſtinus.* Meminit hujus Regis & *Ioſeph. lib. XIII. c. 12. 13. Simoni* multa promiſerat, ſed quæ non ſervavit, *I. Maccab. 15.* Memorabile hujusdem factum eſt, quod è *Ioſephi lib. XIII. c. 16.* refert *Lipſ. lib. I. Monit. & Exempl. polit. c. 2. mon. 1. ex. 3.* cùm Hieroſolyma obſideret, & *Hircanus* ab hoſte *ſeptem dierum inducias* peteret, ad celebrandum *feſtum ſcœnopegias*, ſive tabernaculorum; non ſolùm id conceſſiſſe, ſed *victimas* etiam de ſuo *largitum*, in urbem *miſiſſe.* Occiditur à Parthis A. M. 3819, deſertus à ſuis. *Ioſeph. lib. XIII. c. 16. Iuſt. lib. XXXVIII. c. 10. §. 10.* Cujus epitomen pulcrè ſupplet *Diod. Sic. in Exc. Peir.* pag. 374: *Athenæus*, inquiens, *Antiochi dux, cùm per ſingula hoſpitia gravi inſolentiâ eſſet uſus, brevi meritas pœnas dedit. Nam cùm primus auctor fugæ fuiſſet, & Antiochum deſeruiſſet in pugnâ; delatus ad pagos quosdam, quos vexaverat, ab omnibus excluſus eſt; cunctisq; alimenta ei negantibus, huc illuc per regionem errabundus, tandem fame interiit.*

Hunc Antiochum Sedetem Beſoldus pudendo errore confundit cum Antiocho Deo: *Antiochus Sedetes,* inquiens, *Tryphonis cujusdam ope, imperio præeſt.* Hoc nemo unquam ſcripſit de *Antiocho Sedete*, Demetrii Soteris filio; ſed de *Antiocho Deo,* Alexandri Balæ filio, id affirmant *Ioſeph. lib. XIII. c. 9.*

Exc. Gr. Scal. p. 375. Livii epitomator lib. LII. & LV. Euſeb. Græc. p. 57.

Porrò evenit, ut cùm Antiochus Sedetes Parthis bellum inferret, ab iisdem remitteretur ad occupandum regnum DEMETRIUS NICANOR, Antiochi Sedetis frater; quem captivum huc usque detinuerant: Sperabant enim hujus operâ ſeſe uti poſſe contra Antiochum. Sed eo cæſo, quamvis Parthi dimiſſum retrahere conarentur, fruſtra tamen fuerunt; & Demetrius quod amiſerat, rurſus obtinuit. *Iuſt. & Ioſeph. d. l. Fragm. Euſebii Gr. p. 227.* De Joſepho hoc unum addo, in ejus codicibus *lib. XIII. c. 12. & 17.* Antiochum *Soterem* dici, qui nobis *Sedetes*, quod ne temerè mutemus, ſcire licet è *Theſauro Goltzii c. 19. p. 243.* Regem iſtum duobus cognominibus affectum, *Sedetis* & *Soteris.* Nummus ſic habet: ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΣΕΔΗΤΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. Sed & in argumento bis dicitur ANTIOCHUS PIUS; quod firmant *Excerp. Gr. Scal. p. 375.* ibi: Ἀντίοχος ὁ Σεδήτης, ὁ καὶ εὐσεβής. *Antiochus Sedetes, qui & Pius.* DEMETRIUS NICANOR, recuperato regno, quatuor annis præfuit; ſed inviſus omnibus, & ab *Alexandro Zebennâ,* Protarchi negotiatoris filio (quem *Ptolemæus Evergetes,* ſive *Phyſcon* copiis inſtruxit) prælio victus; tandem ab uxore *Cleopatrâ,* propter æmulationem poſterioris nuptæ *Rhodogunes* interfectus eſt; ut ſcribit *Appianus,* conſentiente *Livii epit. 60.* At *Iuſtin. lib. XXXIX. c. 1. §. 7.* auctor eſt, victum ab *Alexandro;* cùm undiq; circumſtantibus malis premeretur: Ad poſtremum etiam ab uxore filiisq; deſertum

tum, & cùm *Tyrum* religione templi ſe defenſurus petiiſſet, navi egreſſum, præfecti juſſu occiſum. Hanc narrationem firmant *Joſeph. lib.* XIII. *Antiq. cap. 17. & Exc. Græc. Scal. p. 227. & 375.* Cædem ejus rejicit Calviſius in A. M. 3824.

Hinc igitur regnum *Syriæ* tenuit ALEXANDER ZEBENNAS, quem Ptolemæus PHYSCON adverſus *Demetrium Nicatorem* ſubornaverat; partim rogatus à *Syris*, quos improbitatis Demetrii tædebat (*Joſeph. lib.* XIII. *c. 17.*) partim ob privatas ſimultates infenſus Demetrio; quod *Ægyptum* occupare tentâſſet, *Juſt. lib.* XXXIX. *c. 1. §. 4.* vel *Peluſium* oppugnâſſet; ut habent *Fragm. Græc. Scalig. p. 227.* Nummus ejus eſt apud *Goltzium in Theſauro:* ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΖΕΒΕΝΝΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *Joſepho lib.* XIII. *c. 17.* dicitur Ζεβινᾶς; *Exc. Gr. Scal. p. 227. & Diod. Sic. in Exc. Peir. p. 378.* Ζαβινᾶς; *& aliis Fragmentis apud eundem Scal. p. 375.* Ζεβινᾶς; *prologo Trogi 39.* Zabinneus.

Valdè peccavit typographus noſter, in Synopſi minore noviſſimâ, cum impreſſit: *Alexander Potarcla, negotiatoris Ægyptii cujusdam filius.* Quod moneo propter eos, qui hanc Syro-Macedonum hiſtoriam parum callent; aliàs leve eſt. Corriget igitur, qui volet, hoc modo: Alexander Protarchi negotiatoris Ægyptii filius. Antiochi Sedetis filius adoptivus haberi voluit, ut eſt apud *Juſtinum*; ut ſecundum *Fragment. Euſeb. Gr. p. 229*, Alexandri. Porrò, *aſperius nihil eſt humili, cùm ſurgit in altum*, ut ait *Claud. lib.* I. *in Eutrop. v. 181.* Sic *Alexander Zebennas*

bennas è negotiatore Rex, *Ptolemæum* ipſum, cujus beneficio regnabat, ſpernere cœpit: Qui proinde *Antiochum Grypum*, cum magno exercitu, contra Alexandrum mittit. Victus *Alexander*, & paulò pòſt à ſuis deſertus *Grypo* traditur, A. M. 3827. *Juſt. lib. XXXIX. c.2.* cujus locum *in §. 6.* perperam confundit *Berneggerus* cum alio quodam *Arnobii*. Juſtinus ait de Alexandro Zebenna: *Cùm ipſius Jovis aureum ſimulacrum infiniti ponderis tacitè evelli juſſiſſet, deprenſusq; in ſacrilegio, concurſu multitudinis, in fugam eſſet verſus. Hoc ſacrilegium*, inquit Berneggerus, *Arnobius lib. VI. adverſ. Gent. tribuit Antiocho Cyziceno; quem ferunt decem cubitorum Jovem ex delubro aureum ſuſtuliſſe, & ex ære bracteolis ſubſtituiſſe fucatum.* Immò de *diverſis ſacrilegiis* loquuntur & *Juſtinus* & *Arnobius*. Quod *Juſtinus* ait de *Alexandro Zebennâ*, continuat *Diodorus Siculus p. 379. in Exc. Peir.* ibi: *Cùm barbarorum quorundam miniſterio Jovis fanum diripere conatus eſſet, deprehenſus minimum abfuit, quin cum omni exercitu ilicò confoderetur. Tamen fugâ elapſus Seleuciam verſus contendit.* Non igitur voti ſceleratiſſimi compos factus eſt *Alexander*; ſed factus eſt *Antiochus Cyzicenus*, ut vult *Arnobius*: Ergò diverſos exitus diverſorum quoque ſacrilegia fuiſſe, haud difficulter indicat.

Cæterùm interfecto Alexandro Zebennâ, ANTIOCHUS GRYPUS, Demetrii Nicatoris filius, ſolus regnum obtinuit; ut ſcribit *Porphyrius in Fragmento*, memoratu digno, *apud Scal. p. 227.* quod ita vertimus: *Demetrium* (ſcilicet Nicanorem) *excepit*

Seleucus

Seleucus frater, ſed matris inſidiis paulò pòſt ſubvertitur. Igitur Antiochus, frater natu junior, rerum potitus eſt anno ſecundo Olymp. 164. Tertio anno vincit Alexandrum Zabinam; qui acceptam cladem non ferens, veneno ſeſe ſuſtulit; regnavit autem Antiochus (ſi annumeres annum, quo penes Seleucum fratrem ejus poteſtas fuit) annos 11. id eſt, usque ad quartum annum Olymp. 166. Cognominabatur autem Grypus *&* Philometor. Hæc Porphyrius. Conſentiunt quoad genus *Appianus in Syr. & Joſephus lib. XIII. c. 17.*

Nec in aliam deflectit ſententiam *Juſtin. lib. XXXIX. c. 1. §. 9.* ut hîc maximè audiamus Græculum illum, cujus fragmentum de ſucceſſione Syro-Macedonum nobis *Scaliger* dedit *p. 375.* qui ſtatuit, Antiochum Grypum eſſe *Antiochi Soteris* filium. Intelligo, quod hominem deceperit: Antiochi Grypi mater, *Cleopatra*, fuit in matrimonio *Antiochi Sedetis Soteris*, & ejus frater Antiochus Cyzicenus, *Soteris* filius ſæpe dicitur à Scriptoribus. Ergò exiſtimabat, hunc genitum fuiſſe Antiocho Sedete, ſive Sotere; ſed fallitur. Cleopatra, Philometoris filia, è marito, *Demetrio Nicatore*, peperit *Seleucum*, & Antiochum *Grypum*; ex *Antiocho* Sedete, ſive *Sotere* Antiochum *Cyzicenum*, vid. *Joſeph. d. l. XIII. c. 17.*

Eſt & alius craſſiſſimus ejusdem Scriptoris error: *Antiochum* enim *Soterem* diſtinguit *ab Antiocho Sedete*, & Regum ſeriem ita conſtituit, ut poſt *Antiochum Sedetem* regnârit *Demetrius Nicanor* iterum; poſt hunc *Alexander Zebinas*, eoq; cæſo, *Antiochus Soter* in Parthis mortuus: Hunc verò Soterem exce-

perit *Antiochus Grypus.* Nugæ nugaciſſimæ! Antiochus *Soter* idem qui *Sedetes*; nec inter Alexandrum Zebinam & Antiochum Grypum ullus Antiochus Soter locum habet. Sed de cognomine *Philometoris*, quod ait fuiſſe *Grypo*; verum dicit, ex auctoritate *Porphyrii*, qui nos idem modò docuit.

Res hujus Grypi quod attinet, primum *interficere* coactus eſt *matrem* ſuam *Cleopatram*: Nam venenum porrectura proditur, & *filius, ceu pietate cum matre certaret*, Circi ſuæ, antequam biberet, poculum porrigit; & *abnuenti inſtat*: Ita hauſit, quod filio paraverat. *Juſt. lib.* XXXIX. *c.* 2. *§.* 8. Nusquam, ut puto, legitur, quod de eodem Grypo ſcribit ſuprà laudatus *Porphyrius apud Scaligerum*; quem rurſus ita Latinum reddimus: *Regnum armis petituro fratri Antiocho* (Cyziceno) *ex eâdem matre nato, patrueli tamen ex patre* (de quo jam antè diximus) *ultrò conceſſit, &* Aſpendum *abiit; unde &* Aſpendii *cognomen tulit, cùm &* Grypus *&* Philometor *diceretur. Antiocho Aſpendum profecto, Antiochus Cyzicenus regnare cœpit anno primo Olymp.* 167. *At ſecundo ejusdem Olympiadis Antiochus Grypus Aſpendo rediit, & Syriæ regnum iterum ſibi vendicavit. Cyzicenus illam partem obtinuit, quæ Cœle dicitur. Hunc in modum diviſo regno, Grypus ſuperſtes fuit, usque ad annum quartum Olymp.* 170. *quindecim annòs natus cum rediret; in univerſum regnavit annos* 26. *ſolus undecim; poſt diviſionem factam quindecim.* Huc usque Porphyrius. At neque diviſo regno concordia: Deceſſiſſe videbatur, quicquid non acceſſerat. Hinc bellum usque ad alterius interitum,

interitum. *Juſt. lib.* XXXIX. *c.2. §.10. & c.3. §.3. 4.5. & ſeqq.* ubi, quibus ſceleribus alter alterum ultus ſit, exponit. Grypus *Cyziceni* conjugem *Cleopatram* à *Tryphenâ* interſici patitur, *Tryphena* rurſus necatur à *Cyziceno.* Adde *Joſeph. lib.* XIII. *c.17. ſub finem.* Qui & *cap.21.* Grypum aſſerit occiſum *Heracleonis* inſidiis. Idem legitur in *Exc. Gr. Scal. p.375.*

Hinc Grypi ſucceſſor communiter ſtatuitur ANTIOCHUS CYZICENUS, quamvis illo adhuc vivo regni partem obtinuerit; ut ex Porphyrio didicimus. Calviſius Grypi interitum collocat in A. M. 3854. Sed ſi Olympiadis 170. anno quarto mortuus eſt, malim ego dicere interfectum A. M. 3853; quoniam ille ipſe juxta Calviſium annus eſt Olymp. 170. ultimus. In hoc verò Beſoldus, velut nimis defatigatus, res Syriacas abrumpit:

Tantæ molis erat poſtremos addere Reges!

Sed ſcio cauſam: Juſtinus hominem bonum deſti- "
tuit, ultra cujus lectionem in rebus Syro-Macedo- "
nicis non extenderat ſcientiam ſuam. "

Supplebimus igitur, quod deficit: ANTIOCHUS CYZICENUS, Antiochi Sedetis filius, Grypo non admodum diu ſupervixit; ſtatim ad luxû & crapulam converſus, nimis & hiſtrionibus ſupra modum deditus, eorum artes ſummo ſtudio perdiſcebat: Operam quoque *Neuroſpaſticæ* (Ars, quæ lignea quævis ſimulacra fidiculâ movere ac trahere docet) dedit. At bellicis machinis ac teſtudinibus prorſus carebat; quin venationibus intempeſtivis immodicè addictus, ſæpè cum uno aut altero famulo, noctu clam

egreſſus,

egreſſus, apros, leones ac pardos venabatur; non ſine ingentibus vitæ periculis, ut eſt apud *Diod. Sic. in Exc. Petr. p.384.*

Igitur adverſus illum inſurrexit SELEUCUS, Antiochi Grypi filius, qui captum Cyzicenum neci tradidit. *Joſeph. lib. XIII. Antiq. c.21. Prologus Trogi 40.* Calviſius hoc conjicit in A. M. 3855. Hic cùm juxta Calviſium ſit annus ſecundus Olympiadis 171. ei vix aſſentior; nam ſecundum *Porphyrium* Cyzicenus attigit annum tertium Olymp. 171. Verba ſunt ex interpretatione noſtrâ: *Cyzicenus, cujus initium eſt annus primus Olymp. 167. finit autem tertio Olymp. 171. regnum tenuit annos 18. Vixit autem in univerſum annos 50. Hic autem ejus interitus fuit: Cùm defunctus eſſet Antiochus Grypus tempore, quo diximus; Seleucus ejus filius cum exercitu veniens, multas civitates partibus ſuis adjunxit. Antiochus verò Cyzicenus eductis Antiochia copiis, & ſignis collatis, victus eſt; ſed & equo longiùs abreptus in hoſtes, cùm parum abeſſet, quin caperetur; ſeipſum interfecit.* Hactenus ille. Meminit etiam *Auctor de Macedonum regno in Syria apud Scal. p.375-376.*

Nec tum finis hic fuit parricidialibus bellis. Seleucum non diu poſt invadit ANTIOCHUS EUSEBES, Antiochi Cyziceni filius; uno ictu confectum bellum, & *victus Seleucus,* in Ciliciæ urbe, *Mopſueſtia* (quo confugerat) *crematus* eſt. Ita ſcribit *Appianus in Syr. Joſeph. lib. XIII. c.21.* & hujus compilator Græculus *apud Scal. p.376. Euſeb. n.1921.* At de hâc re ita *Porphyrius* loquitur: *Regno potitus, Seleucus.*

leucus, ſuam fecit Antiochiam; cui bellum intulit Antiochus Cyziceni filius. Conſerto prælio ad Mopſueſtiam Ciliciæ, vicit Antiochus: Seleucus in eam urbem fugit. Sed cùm ei nunciatum eſſet, imminere ab incolis vivicomburium, atrociſſimum lethi genus morte voluntariâ antevertit.

Nec furore deſitum eſt. Seleucus ut vindicaretur, rurſus cognato ſanguine imbuendæ fuerunt manus: ANTIOCHUS cognomento DIDYMUS, ſive *Gemellus*, Seleuci frater, Grypi filius, *Antiochum Euſeben*, Cyziceni filium, bello petit; ſed victus & vitam & exercitum ſimul amittit. *Joſeph. lib. XIII. cap. 2.* At *Porphyrius* à duobus fratribus ſimul, iisq; gemellis bellum illatum ait his verbis: *Fratres autem ipſius* (Seleuci) *qui gemelli dicebantur, Antiochus & Philippus, viribus pollentes, civitate Mopſueſtiâ vi captâ & dirutâ, fratris ſuis manibus parentârunt. Contra hos profectus Cyziceni filius* (Antiochus Euſebes) *victoriam reportavit: Et ex his fratribus Antiochus fugâ ſe proripiens è pugnâ, equi pernicitate pervenit ad Orontem fluvium, in quô ſubmerſus periit.* Hic Antiochi Didymi finis, qui (ſi Calviſii calculum ſequimur) incidit in A. M. 3857. *Porphyrius* rejicere videtur in annum tertium Olymp. 171, hoc eſt, in A. M. 3856. Nam ad ejusdem Calviſii computationem hic ipſe Olymp. 171. annus tertius eſt.

Nondum didicerunt ſapere Phryges. PHILIPPUS, Antiochi Dionyſii frater, poſt cladem ſuam, regnum aſſerit. *Ioſeph. lib. XIII. c. 21. Euſ. num. 1922. Exc. Gr. Scal. p. 376.* Extat *nummus* ejus, è quo

conſtat,

conſtat, Philippum Evergetem Philadelphũ appellatum; ſic enim habet apud *Golzium ſupra citat. loc. p.242:* ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. *Scal. ad Euſeb. n. 1923.* ubi laudat hunc ipſum *nummum*. Graviter tamen hallucinatus eſt, dum ſcribit; *Philippum* hunc filium fuiſſe *Antiochi Euſebis* & *Selenes*, Aſiaticum cognominatum. Repugnant enim *Joſeph. Exc. ipſius Græca*, & *Appianus*, qui Philippum, *Antiochi Grypi* filium, Seleuci, Antiochi Gemelli, Demetrii Eucæri, & Antiochi Dionyſii fratrem faciunt; & planè diverſum ab Antiocho Aſiatico, Euſebis & Selenæ filio. Et prætereà, ſi Philippus *Aſiatici* cognomen tuliſſet, hoc non omitteret *nummus*; in quô tantâ curâ ſignata ſunt aliis præterita cognomina.

Porrò cæſo Antiocho Didymo, PHILIPPUS & DEMETRIUS EUCÆRUS (quem *Ptolemæus Lathyrus* & ipſum Regem conſtituit, apud Damaſcum) junctis copiis Antiochum Euſebem aggrediuntur. *Joſeph. d. l.* XIII. *c. 21. & Exc. Gr. Scal. p.376.* Ita eodem tempore *tres Reges parricidas* habuit infelix Syria: *Antiochum Euſebem*, *Philippum Evergetem Philadelphum*, & *Demetrium Eucærum*. Nihilominus Antiochus Euſebes par utrique, Philippo & Demetrio. *Joſeph. d. l. Exc. Scal. p. 376.* Tandem à *Laodice*, Calamenorum Reginâ, vocatus in auxilium contra Parthos; in prælio fortiſſimè dimicans cadit. *Ibid.* Hujus factum non commemorat Porphyrius.

Superſtites PHILIPPUS & DEMETRIUS Grypi filii; ſibi ipſis parricidale bellum intulerunt; cùm

cùm *Demetrius Philippum*, Berœæ mœnibus incluſum oppugnaret: Sed is à *Stratone*, Berœæ tyranno, & *Zize* Arabum Principe, & *Parthis* liberatus; ipſe verò Demetrius captus, & in Parthiam abductus eſt; ubi morbo periit. *Joſeph. d. l.* XIII. *c. 22.* Factum (ſi credimus Calviſio) A. M. 3861.

Paulò poſt Demetrii mortem Rex factus eſt ANTIOCHUS, cognomento DIONYSIUS, quintus Antiochi Grypi filius; & cùm res novas moliretur, contra Philippum fratrem, ſemina luctuoſi belli fortuna ſtatim oppreſſit: Cæſus eſt enim *Antiochus Dionyſius* in prælio contra *Arabes*; cùm de victoria jam certus, alterum eorum firmare vellet. *Joſeph. d. l. c. 23.* Hoc Calviſius refert in A. M. 3864. Græculus, cujus *Exc.* legimus *apud Scal. p. 376.* Antiochum Dionyſium ſcribit bellum geſſiſſe, cum *Antiocho*, Cyziceni filio; quod Joſephus (quem ſæpius exſcripſit) non dicit.

Hîc autem rurſus de Syriacis rebus, quædam rariora nos docet *Porphyrius*, quo Joſephus huc usque locupletior fuerat: Ait enim, è *Seleucidarum* domo *Reges ſuperſtites* fuiſſe, PHILIPPUM, Grypi filium, & ANTIOCHUM Cyziceni; qui diſcordiis continuatis experti ſint, quod ait Poëta:

- - - *dum mutua ſtulti*
Paſtores odia exercent, lupus intrat ovile.

Hoc enim lucri feciſſe, ut ſubditi, ſcelerum & parricidiorum pertæſi, alios omnes mallent, quàm ſuos. Atque ita validiſſima pars monarchiæ Macedoniæ corruit. Sed audiamus Porphyrium ipſum: *Reliqui*

(de

(de Seleucidarum domo) *Philippus, qui Seleucum fratrem, Antiochum Grypum patrem habebat; & Antiochus Cyziceni filius, ab anno tertio Olymp. 171. regnantes, nec aſpernandis viribus inſtructi; ſed quod uterq; ſaltem partem obtineret, de universâ Syriâ bello inter ſe decertârunt. Subcumbens Antiochus ad Parthos fugit, & poſteà in* Pompeji *poteſtatem conceſſit; velut ab eo reducendus in Syriam. Sed hic ab* Antiochenis *acceptâ poteſtate, Antiochi nullam rationem habuit, urbem ſuis legibus vivere permiſit. Dum hâc ſpe excidit, mittunt ad eum* Alexandrini *Menelaum, Lamponem & Callineandrum cum petitione; ut cùm Ptolemæus Dionyſius Alexandriâ pulſus eſſet, veniret; ac regnum Ægypti, pari poteſtate, cum filiabus Ptolemæi regendum ſuſciperet. Quod ne fieret, morbus intervenit; quo etiam extinctus eſt. Deſtruitur & Philippus, qui (ut diximus) Antiocho Grypo & Tryphænâ Ptolemæi VIII. filiâ genitus erat: Nam abire volentem in Ægyptum; quod & ipſum Alexandrini ad regnum vocaſſent,* Gabinius Romanus, *Syriæ præſes, & Pompeji legatus, oppreſſit.* Hactenus Porphyrius. *Euſebius Latinus num. 1923.* non tam diſtinctus & perſpicuus: *Antiochus*, inquit, *in Parthos fugiens; Pompejo ſe deinceps tradidit; poſtquam Philippus captus eſt à Gabinio. Hic finis imperii* Seleucidarum.

Tamen non prorſus exſtinctam tùm fuiſſe domum illam, tot *Antiochorum Comagenorum* mentio facta in ſequentium temporum hiſtoriâ, credere nos jubet. *Comagene*, Syriæ regio ad Euphratem & Taurum montem ſita eſt, ut ait *Dio. lib.* XXXV. *pag. 2.* Urbem

Urbem habet naturâ munitam, *Samoſata*, regni caput; ut eſt apud *Strab. lib. XVI. p. 749.* Videndus de eâdem *Ptolemæus*, & *Plinius lib. V. c. 24.* Hanc Comagenem, cum Romani Syriam Tygrani (nam is à Syris in regnum accitus erat, quod etiam per 18. annos tranquilliſſimum poſſedit, *Juſt. lib. XL. c. 1. Appianus in Syr.*) vi armatâ extorſiſſent (*Strab. lib. XI. p. 532.*) reliquiſſe videntur *Seleucidis*, fruſtrà petentibus totum Syriæ regnum.

ANTIOCHI COMAGENI *Dio* meminit in rebus anni ab V.C. 685. hoc eſt, A.M. 3882. Cui *Lucullus*, captis Tygranocertis, uxorem captivam reſtituerit: Tygranes enim Syriâ potitus, quos è Seleucidis capere potuit, vel occidit, vel captivos abduxit: *Plut. in Lucullo* pag. 55: *Reges, Seleuci ſucceſſores, tollit, eorum filias & conjuges ſedibus extractas abdit.* Huic Comageno *Cn. Pompejus Seleuciam*, Meſopotamiæ caſtellum adjecit; ut nos docet *Strabo vulgatus lib. XVI. p. 749:* Idem, nî fallor, cujus aliquot locis meminit *Cic.* ut *lib. XV.* ep. 1: *Antiochi Comageni legati primi mihi nunciârunt, Parthorum magnas copias Euphratem transire cœpiſſe; quo nuncio allato, cùm eſſent nonnulli, qui ei Regi minorem fidem habendam putarent; ſtatui expectandum eſſe, ſi quid certius afferretur.* Adde *epiſt. 3. & 4.* Ejus *ſoror* (ut *Manutius* exiſtimat *uxor* fuerat *Orotis*, Regis Parthorum; de quâ *Dio lib. XLIX.* p. 406: *Phraates, regno accepto, fratres ſuos, ex Antiochi filiâ natos (quod ſe & virtute & materno genere præſtantiores eſſent) dolo necavit.* E quibus apparet inter Romanos Parthosq; , ut

alios Orientalium, ſic Antiochum iſtum, dubiâ fide fluctuâſſe. Et de hoc ipſo capio *Dionem, d. l.* ubi refert, Vendidium, Antonii Legatum adverſus Antiochum Comagenum copias duxiſſe; aliis quidem prætextibus uſum; ſed revera pecuniæ (quam plurimam Antiochus poſſidebat) potiundæ ſpe impulſum: Sed cum nihil proficeret, *Antonium* (cùm ob hanc ignominiam exercitum putaret à ſe alienatum) clàm egiſſe de pace cum *Antiocho*; ut recedere honeſtè poſſet. Hoc ut impetraret, Antiocho necandum tradidiſſe *Alexandrum*, qui ad Romanos transfugerat. Refert eandem rem, ſed aliter, *Plutarchus in Antonio p. 931.* Tangit *Joſephus lib. I. de Bello Jud. cap. 12. ſub finem.* Ejus *filius* (ut ſuſpicor) eſt *Antiochus Comagenus*, qui anno V. C. 724. Romæ in curâ damnatus, & capite truncatus eſt; quòd fratris ſui legatum Romam miſſum occidiſſet. *Dio lib. LII. p. 495.*

Ita ſub Auguſto precarium regnum fuit; & cùm A. V. 733. *Rex Comagenæ*, neſcio quis, occidiſſet *Mithridatis* cujusdam patrem; Auguſtus Mithridati, quamvis puero, regnum aſſignavit. Poſt MITHRIDATEM obſervo regnâſſe ANTIOCHUM, quo, anno 769 mortuo (*Tacitus lib. II. Ann. c. 42.*) *Tiberius* Imperator *Comagenem* in *provinciæ* formam redegit, miſſo in illam primo legato, Proprætore Q. Servæo, *Tac. c. 56. ibid. Strabo lib. XVI. p. 749.*

Sed *Caligula* poſt 20. annos Seleucidis *Comagenem* iterum tradidit. *Dio lib. LXIX. p. 645.* ANTIOCHO, Antiochi filio, *Comagenen* paternum regnum, adjectis *Ciliciæ* maritimis, dedit. Adde *Suet.*

in Caligula c. 16. Hinc Antiochus è temporum ratione videtur vel nepos, vel pronepos illius Antiochi; cujus è *Cic.* & *Dione* memoriam jam reduximus. Sub *Nerone* A. V. 806. reperio *Antiochum Comagenum*, qui *Corbulonem* contra Parthos juvit. *Tac. lib. XIII. Ann.* c. 37: *Simul Antiochum Regem Corbulo monet, proximas ſibi præfecturas petere.* De eodem paulò ante *lib. eod. c. 7.* ſcripſerat: *Nero duos veteres Reges, Agrippam & Antiochum expedire copias jubet, quîs Parthorum fines ultrò intrarent.* Qui locus illuſtrat illud ejusdem *Taciti in Agric.* c. 14: *Veterem ac jampridem receptam populi Romani conſuetudinem, ut haberet inſtrumenta ſervitutis & Reges.* Ac quoniam *vetus Rex* dicitur, nullus dubitem, eundem eſſe *Antiochum*, Antiochi filium; quem *Claudius* ultimum reſtituit, poſtquam, donato regno, à *Caligulâ* rurſus exutus eſſet. *Joſeph. lib. XIX. c. 4.* Capio de eodem locum *Tac. lib. II. Hiſtor. c. 81: Acceſſere* (Veſpaſiano A. V. 821.) *cum regno, Sohemus haud ſpernendis viribus; Antiochus vetuſtis opibus ingens, & inſervientium Regum ditiſſimus.* Auxilium etiam tulit *Tito Veſpaſiano* contra Judæos, *Joſeph. lib. XIII. de Bell. Jud. c. 3.* Tandem A. V. 825. in maximam calamitatem incidit, quam fuſè deſcribit idem *Joſeph. lib. VII. cap. 27. Caſennius* namq; *Pætus*, nullâ laceſſitus injuriâ, *Comagenæ* bellum infert; & cùm Antiocho nec conſilium nec animus eſſet reſiſtendi, captus & vinctus Romam mittitur: Sed *Veſpaſianus* cùm *Lacedæmonem* relegavit, præbitis magnis pecuniæ reditibus; ut non modò lautè, ſed & regium in modum viveret. Ita *Co-*

magene Rom. populi *provincia facta* eſt. *Sueton. c. 8. in Veſpaſ.*

Filii Antiochi EPIPHANES & CALLINICUS, fortiſſimi bello juvenes, cum Romanis, tam indignis modis ſecum agentibus, manus conſerunt, & æquo Marte utrinq; diſceſſum eſt. *Joſeph. d. l.* Hic eſt ille *Epiphanes*, quo de *Tacitus lib. II. Hiſtor.* c. 25: *Vulneratur Rex Epiphanes, impigrè pro Othone pugnam ciens.* Cui deſponſata etiam fuit *Druſilla*, Cyprûs & *Agrippæ* filia, *Ariſtobuli* neptis, *Herodis* Magni proneptis. Sed cùm *Judaicam religionem* amplecti nollet (quod primum pollicitus erat) tota res eventu caruit, *Joſeph. lib. XX. Antiq. c. 5.* Fugit ad Parthos, everſo paterno regno. *Idem lib. VII. de Bell. Jud. c. 27.*

CAPUT XI.

Ptolemeus I. *qui Ægyptum obtinuit*, Philippi *filius, &* Alexandri M. *frater. Idem* Lagi *filius habitus. Quot annis Satrapa & Rex fuerit? Ejus ſucceſſores, ad* Cleopatram ultimam; *cum brevi commemoratione rerum, quas quisq; geſſit. Et inter hæc varia Scriptorum veterum loca explicantur, & recentiorum ſententiæ expenduntur.*

ALtera monarchiæ Macedonicæ laciniæ regnum Ægyptiacum fuit: Cùm enim diviſio provinciarum fieret, PTOLEMÆO *Ægyptus*, & *Africa Arabiæq;* pars ſorte venit, *Juſt. lib. XIII. c. 4. §. 10. Arrian. lib. VI. Diod. Sic. lib. XVIII. c. 14. & 39.*

Dexip-

Dexippus apud Photium Cod. LXXXII. *& apud Scal. in* opere Euſebiano *p. 48. Oroſius lib.* III.*c.23. Curt.lib.* X.*c.10.§.1.* & alii. Calviſius Ægyptum obtinuiſſe ſcribit ſtatim illo anno, quo Alex. M. fato ſuccubuit, hoc eſt, A.M. 3627. Nec ferè aliud volunt alii. Sed *Porphyrius* ſequenti anno in Ægyptum miſſum ſcribit hiſce verbis, apud *Scal.* p.224: *Anno ſequenti, cùm jam imperii ſumma in Philippum* (intelligit *Aridæum,* cognomento Philippum) *collata eſſet, præfectus in Ægyptum mittitur.*

De ejus genere diverſæ fuerunt ſententiæ: *Lagum* patrem, & *Arſinoëm* matrem facit *Porphyrius d. l.* quod idem ſcribunt plerique omnes. Hinc Lagidarum familia, domus Ptolemæorum; & *Lagæa* juventus apud Poëtas *Ægyptia* dicitur; nec Ptolemæus alium ſe ſcribebat, niſi *Lagi filium.* Auctor eſt *Plutarch. in lib. de Irâ coërcenda.* Cùm Ptolemæus Philologi cujusdam inſcitiæ illuſurus, ex illo quæreret, *quis Pelei fuiſſet pater?* Philologum, facetâ quæſtione, contumelioſam quæſtionem ultum eſſe, cum reſponderet: *Tu prius dic, quis Lagi fuerit pater?* Quo dicterio *humilitatem generis* illi exprobravit. Tamen non de vano hauſtum eſt, quod alii referunt, fuiſſe *Philippi*, Macedoniæ Regis, ex *Arſinoë*, concubinâ filium; quam jam gravidam *Lagus* duxerit. *Pauſanias in Atticis* pag. 10: *Ptolemæum Macedones, re,* Philippi, *Amyntâ geniti; verbo autem,* Lagi *filium fuiſſe exiſtimant. Ejus enim matrem uterum ferentem à* Philippo, Lago *uxorem datam referunt.*

Miror Cl. *Voſſium lib. I. Inſtit. Orat. c. 6. ſect. 13.*

p. 61. crediſſe, hoc ab uno *Pauſania* proditum: Poſſumus enim illi dare plures alios, antiquitate venerandos, fide præclaros. *Theocritus*, Ptolemæi σύγχρονος fuit, in *elogio Philadelphi*, ab *Hercule* derivat ejus genus; non aliam ob cauſam, quàm quod ex communi ſententiâ Macedonum Ptolemæum Philadelphi patrem, Philippi Regis filium crederet. Verſus eſt Idyllio 17:

Ἀμφοῖν γὰρ πρόγονός σφιν ὁ καρτερὸς Ἡρακλίδας,

Hoc eſt, ut vertit Eobanus Heſſus:

Nam fuit amborum proavus ſatus Hercule forti.

Curt. lib. IX. cap. 8: *Præcipitè* Ptolemæus, *lævo humero leviter quidem ſaucius, ſed majore periculo, quàm vulnere affectus, Regis ſolicitudinem in ſe converterat. Sanguine conjunctus erat, & quidam* Philippo *genitum eſſe credebant; certè* pellice *ejus ortum conſtabat.* Sed & *Suidas* in Λάγος auctor eſt, cum *Lagus Arſinoëm* duxiſſet gravidam, ex eâ natum *Ptolemæum*, ut alienum expoſuiſſe in *æneo clypeo*: Macedones autem finxiſſe, *aquilam advolare* ſolitam, & *expanſis alis* ardorem ſolis ab eo prohibuiſſe; & imbrem & volucres abegiſſe, & coturnicibus laceratis, *ſanguinem* illi *pro lacte* inſtillâſſe. Atque hinc eſt, quod *Propertius lib. III. eleg. 10.* Cleopatram *Philippejum ſanguinem* dicit. Idem ſcriptum fuiſſe in *priore libro Euſebii*, facilè indicat *Excerptum* hominis *barbari*; qui cum eſſet hellenismi & Latinitatis imperitiſſimus, Euſebium ſic loquentem facit: *Ægyptum autem, & quæ circa eam, usq; ſuperiorem Lybiam* Philippo, *qui vocabatur* Ptolemæus, *donavit.* Vide apud *Scalig. in Scriptor. Latinis*, quos adjecit

adjecit *Euſeb. p. 58.* Nam ut dextro Apolline judicare mihi videtur *Freinsh. ad Curt. lib. X. c. 10. §. 1.* in Græco erat: Πτολεμαίῳ τῷ λεγομένῳ Φιλίππου. Quod ſic vertendum erat: *Ptolemæo, qui Philippi* (ſc. filius) *dicebatur.* Quamobrem ſtirpem Heraclidarum, ab *Inacho,* ſuprà deductam, porrò continuabit per 300. annos, annexis Ptolemæis; qui volet.

Nunc ad alia: Ptolemæus quamvis *præfecturam* accepiſſet, tamen *Regis titulo* abſtinuit; donec *Antigonus* ſe, cum filio, *Regem* appellari à populo juberet. *Juſt. lib. XV. c. 2. §. 10. 11.* à quo diſſentiens *Porphyrius apud Scal. p. 228.* omnes præfectos, *Caſſandri* exemplum ſecutos, ait hiſce verbis: *Olympiadem verò inſepultam abjiciens, ſeipſum Regem dixit* Caſſander, *Antipatri filius. Ex eo* cæteri *quoque* præfecti *provinciis ſuis,* regio nomine *præfuerunt; Alexandri domo prorſus extincta.* Factum hoc ſcribit *Calviſius* A.M. 3639. hoc eſt, duodecimo anno poſt Alexandri mortem. Sed adverſatur *Porphyrius apud Scal. p. 225.* qui vult, Ptolemæum *præfecti nomine* Ægyptum rexiſſe per annos 17; *regio* per annos 23: Et cum ex ejusdem ſententiâ anno poſt Alexandri diſceſſum, Satrapa in Ægyptum miſſus ſit, Rex ante A.M. 3645. appellatus non eſt. Et quid tergiverſamur hunc admittere? nihilominus *Euſebius n. 1692.* Regem annorum *quadraginta* facit, conjungens ſcilicet annos *præfecturæ* & *regni.*

Res quod attinet, ob ſingularem virtutem ac prudentiam in liberandis ſociis, *à Rhodiis* Soteris *cognomen* tulit. *Pauſan. in Atticis, p. 14. Exc. Gr. Scal. p. 376. Diogenes Laërtius in Diodoro p. 162. & in Stil-*

pone p. 165. Nummus Græcus apud Golzium in Theſauro p. 246. Sed indignum hâc appellatione cenſet *Joſephus lib.* XII. *Antiq. Jud. c. 1.* Cauſa manifeſta, quia *Hieroſolymis*, dolo *captis*, *Judæos* multos in *Ægyptum* abduxit; ut ibi idem refert; cum quo conferendus *Euſeb. n. 1695. & Auctor Excerpt. apud Scal. d. p. 376.* Addit *Voſſius lib. I. de Idolol. cap. 31. p. 236.* Magnum quoque cognominatum. Hoc nusquam legi, niſi quod apud *Juſtin. lib. XVII. c. 2. §. 6.* reperio dici, *Magnum Ptolemæum*; ſed hoc illi proprium fuiſſe, vix inde concluſeris: Nummus certè, quem laudavimus, omittit. *Beſoldus* ſcribit, excelluiſſe juſtitiâ & liberalitate; quòd in animo haberet, quæ leguntur apud *Juſtin. lib. XIII. c. 6. §. 18. & ſeqq. & lib. XV. c. 1. §. 7.* Addendus *Diod. Sic. lib. XVIII. c. 33.* *Luciano in Macrobiis* dicitur: Ὁ τῶν καθ' ἑαυτὸν εὐδαιμονέστατος βασιλέων, quæ ita vertit Voſſius lib. I. Inſt. Orat. c. 5. ſect. 13. p. 61: *propriâ fortunâ inter Reges feliciſſimus.* Mallem ego: *Regum ſui temporis feliciſſimus.* Sic enim debent illa, καθ' ἑαυτόν. *Dio lib. LIX. de Senecâ:* Ὁ πάντας μὲν τοὺς καθ' ἑαυτὸν Ῥωμαίους ὑπεράρας, hoc eſt, *omnes ſui temporis Romanos ſuperans.* Sed *quænam* illa *felicitas?* bello vicit *Perdiccam* & *Demetrium*, Antigoni filium *Diod. d. l. Juſt. lib. XVI. c. 2.*

Biennio ante obitum regnum ceſſit PTOLEMÆO PHILADELPHO, filio è *Berenice*, cui (ut eſt apud *Theocritum idyllio 17. & ejus Scholiaſtem*) Antigone mater, Caſſander avus. Meminit hujus facti *Juſt. lib. XVI. c. 2. §. 7.* & *Porphyrius* hiſce verbis: *Poſtquam vivus adhuc Ptolemæo filio, admodum puero,*

regnum

regnum tradidit, nondum 40. ſed ſaltem 38. anni Ptolemæi I. (quem Soterem *cognominabant) ſtatui poſſunt.* Mortuus eſt ſecundum hanc ſententiam A. M. 3668. & *Philadelphus* Rex factus A. M. 3666. At Calviſius *Soteris* mortem, & initium *Ptolemæi Philadelphi*, collocat in A. M. 3665. *Rhodii* ex oraculi monitu, mortuum divinis affecerunt honoribus; eiq; *lucum* in urbe ſacrârunt quadratum, extructâ ad latus quodq; *porticu* ſtadium longâ; quam *Ptolemæo* nuncupârunt.

PTOLEMÆUS PHILADELPHUS, ſecundus Ægyptiorum Rex, poſt obitum patris 38. annis Ægyptum tenuit. *Porphyr. d l. Euſeb. n. 1732.* Meminit ejusdem *nummus apud Golzium in Theſ. p. 246.* Quamobrem decretorius illi fuit A. M. 3706. Potiſſimum hujus Regis opus *bibliotheca Alexandrina*, de quâ præter *Beſoldum* in Synopſi majore, *Lipſius in ſyntagmate de Bibliothecis, & Andreas Schottus præfat. in Photium.* Fuit in *Bruchio*, remotâ quâdam regione à reliquâ urbe Alexandrinâ; de quâ *Caſaubonus ad Spartianum p. 36.* Igitur *diſtinguenda* eſt ab *altera*, quæ fuit in (templo) *Serapeo*, prioris ſoror dicta. *Valeſ. ad Ammian. Marcell. lib. XXII. p. 244.* Ad hanc bibliothecam ſuam, & gloriam exinde venturam reſpexit, nî fallor, *Ptolemæus*; cùm jactaret, *ſempiternam vitam* ſibi futuram. Aliter cum aliis accepit *Athenæus lib. XII. p. 536.* quibus minimè accedo: An enim Regem ſapientiſſimum, & literis humanioribus egregiè tinctum, eò vecordiæ prolapſum credimus, ut ſe ſolum exiſtimârit naturæ legibus exemptum; & immortale corpus habiturum? *Docebimus alibi,*

quàm malè accepta ſint magnorum virorum ſymbola. De hoc ipſo Ptolemæo explicandus *Juſtinus lib. XVII. c. 2. §. 9. & lib. XXVII. c. 1. §. 2. 3.* Uxor *Arſinoë*, Lyſimachi filia, peperit illi *Ptolemæum Evergeten l. Liſymachum, & Berenicem.* Scholiaſtes *Theocriti*, ad idyllium 17: *Ptolemæo Philadelpho Arſinoë, Lyſimachi filia (quam priorem conjugem habuit) peperit Ptolemæum, Lyſimachum & Berenicem.* De *Lyſimacho* conſentit *Polyb. in Exc. Peir. p. 64.* At *Ptolemæum* Evergeten *non* ex hâc *Arſinoë*, ſed ex *alterâ*, ejusdem nominis, *Philadelphi* ſorore natum; *vetus* indicat *ſubſcriptio ſimulacri* Ptolemæi Evergetæ: REX MAGNUS PTOLEMÆUS, FILIUS REGIS PTOLEMÆI ET REGINÆ ARSINOE, DEORUM FRATRIS SORORISQUE; REGUM PTOLEMÆI ET REGINÆ BERENICES, DEORUM SERVATORUM NEPOS. Ptolemæus enim Philadelphus Veneri admodum deditus *(Athen. lib. XIII. p. 576.)* etiam Arſinoës, germanæ ſororis amore victus, eam ſibi matrimonio junxit; atque id ſanè non ex Macedonum, ſed *Ægyptiorum* (quibus imperabat) lege fecit; ut ait *Pauſanias in Attic. p. 12.* Quod ipſum etiam prodidit *Strabo lib. X. p. 460.* Tamen idem *Pauſanias Scholiaſtem Theocriti* planè confirmat *p. 13.* Ait enim, ex Arſinoë Lyſimachi natos Ptolemæo Philadelpho liberos, non ex Arſinoë ſorore.

PTOLEMÆUS EVERGETES, tertius Rex ſucceſſit Philadelpho patri, & regnum tenuit per annos 25, ut ait *Porphyrius.* At *Euſebius n. 1770. &*

Exc.

Exc.Gr.Scal.p.376. ſex & viginti annos aſſignat. Secundum Porphyrii calculum, vitâ exutus eſt A. M, 3730. Calviſius mortem ejus ponit in A.M.3729. Hic ſorori *Berenicæ* (quam *Seleucus Callinicus* obſidebat) auxilium tulit. *Juſtinus lib. XXVII. c. 1.* Hunc ipſum vicit, magno prælio *ibid. c. 2.* ſub ſpecie ſororiæ ultionis, *Aſiæ* imperium affectat *ibid. c. 3.* Antiochum *Hieracem*, ad ſe confugientem, arctâ cuſtodiâ habet *ibid.* Occiditur à filio *Juſt. lib. XXIX. c. 1.* Uxores illi fuerunt, *Agathoclea* & *Beronice*, Magæ patrui filia *Juſt. lib. XXVI. c. 3.* Erat enim *Magas*, Rex *Cyrenarum*, frater Philadelphi, ſed ex matre tantùm; è Berenice, genuit Magam alterum, *Polyb. in Exc. Peir. p.64.* Ex Agathoclea Ptolemæus Philopatorem. *Exc. Græca Scal. p.376. Strabo lib. XVII. p.795. Polybio* tamen l. d. & *Juſtino lib. XXIX. c. 1. §. 5.* etiam Berenice *mater* Ptolemæi Philopatoris, fortaſſis *per catachreſin.*

Poſt hunc Ægyptum rexit PTOLEMÆUS PHILOPATOR per annos 17. ut volunt, *Porphyrius, Euſebius n. 796. & Exc. Gr. Scal. p. 376.* Fuit Ptolemæi Evergetæ filius, ut dixi; & adjici poteſt *Joſeph. lib. XII. c. 3. ſub finem* Gallus præterea cognominatus, quod ut gallis Magnæ matris, ſic ipſi *ſtigmata foliorum hederæ inuſta* fuerint; ut eſt apud *Auctorem Etymologici.* Interfecit *patrem*, & *matrem*, ſive novercam *Juſt. lib. XXIX. c. 1.* Adjunxit etiam *fratris* cædem. *Idem lib. XXX. c. 1. Polyb. lib. V. c. 34. Plutarchus in Agide & Cleomene p. 820.* Bello ab *Antiocho Magno* petitur, ſed egregiè vincit ad *Raphiam, Polyb. lib. V. c. 85. 86.* Hieroſolymis poſthæc in *Sanctum*

Sancto-

Sanctorum introire vult, ſed prohibetur à Pontifice Maximo, inde *odio* inexpiabili, *contra Judæos* exardeſcens, multos trucidat, ac capit: At eodem anno, pœnitentiâ ductus, captivos remittit ad ſuos, *Scal. ad Euſeb. n. 1797. & III. lib. Maccab.* ſive ex Hiſtoria, quæ prior tempore hiſtoriis duorum librorum, ſacræ Scripturæ inſertis, ab *Euſebio* citatur. Moritur ſecundum computationem noſtram, è *Porphyrio* A. M. 3747. Uxor ejus Eurydice, quæ & ſoror, ab eodem interfecta. *Juſt. lib. XXX. c. 1. §. 7. & c. 2. §. 6. Polybius* tamen *lib. XV. cap. 31. & in Exc. Peir. pag. 63.* Arſinoën vocat.

Ex eâ natus PTOLEMÆUS EPIPHANES, qui regnavit annis 24, juxta *Porphyrium, Euſeb. n. 1813. & Auctorem Excerptorum Gr. apud Scal. p. 376.* Quorum ſententiam ſequitur *Scal. lib. II. Canon. Iſag. p. 130.* Ejus igitur obitus incidit in A. M. 3771. Calviſius, ut aliàs, anno minus dicit. Hic eſt, in quem conjurârunt *Philippus Macedoniæ*, *Antiochus Syriæ*, Reges; ſed tutelam ſuſceperant Romani. Miſſus eſt *in Ægyptum M. Lepidus* bis Cos. & Pontifex, *Valer. Max. lib. VI. c. 6. ex. 1. Juſt. lib. XXX. c. 3. Tacitus lib. II. Ann. c. 67. §. 5.* Extant hodieq; *denarii argentei*, repræſentantes in uno latere *urbis Alexandriæ* faciem, cum *coronâ murali turritâ*; cui ſubſcriptum: ALEXANDRIA: In altero, *Marcum Lepidum* togatum, ſenem calvum, qui à dextris ſtantem adoleſcentulum, diademate coronat, adſcriptis hiſce verbis. S. C. M. LEPIDUS. PONT. MAX. TUTOR. REG. *Pighius in A. V. 590. Lipſius ad Tacit. lib. II. Ann. c. 67.*

Fulvius

Fulvius Urſinus in Æmiliâ gente, p. 7. Golzius in Faſtis p. 129. & in tomo de Jul. Cæſ. tab. 33. nummo 1. 4. 6. Uxor hujus Ptolemæi *Cleopatra*; Antiochi Epiphanis ſoror *Iuſt. lib. XXXIV. c. 2. §. 7. Ioſeph. lib. XII. Antiq. c. 3.*

Ex hoc conjugio fuit PTOLEMÆUS PHILOMETOR, ſextus Ægyptiorum Rex, *poſt Alexandrum M.* cui omnes uno ore, 35. annos tribuunt; quemadmodum ejus fratri *Ptolemæo Phyſconi Evergetæ* (ſic eum deſcribit nummus) iidem annos 29. Vide *Ptolemæi Canonem, apud Calviſium, Introduct. Chronologicâ c. 11. & apud Dionyſ. Petavium. lib. IV. Rat. Temp. ſub finem. Euſeb. n. 1837. & 1872. Porphyrius apud Scal. p. 225. & apud Eundem Exc. Gr. p. 376.* Sed ex his ne moleſtum nobis ſit audire *Porphyrium*, qui Regum Ægyptiorum chronologiam, & ſucceſſionem, unus omnium, exactiſſimè nobis calluiſſe videtur: *Hujus* (Ptolemæi Epiphanis inquit) *duo filii Ptolemæi, regnum auſpicati ſunt, & natu quidem major, Philometor; junior, Evergetes II, cognominatus eſt. Utriusq; anni 64. numerantur. Sigillatim numerum utriusq; dedimus, quia in ratione temporum confuſio facta eſt, ob eam cauſam, quod inter ſe invicem convulſi ſunt; & alter poſt alterum regnum occupavit. Philometor, regnârat annos 11. ſolus, cum Antiochus Ægyptum infeſto exercitu peteret; & diadema raperet. Sed Alexandrini juniorem fecerunt Regem, & pulſo Antiocho liberârunt Philometorem. Sic ambo regnum tenuerunt, & cùm ſcriberetur annus Philometoris 12. Evergetæ is fuit primus.* (in Græco eſt, καὶ ἐχρημάτισεν αὐτοῖς Φιλομήτορος ιβ' Εὐεργέτου δὲ ἕν, ſcribam

omninò,

omninò, Φιλομήτορ© ιβ vel etiam ια. Nam in ſequentibus Evergetæ tribuit 25. annos, usq; ad mortem fratris, qui, eodem teſte, mortuus eſt, anno regni currente 36.) *Concordes autem vixerunt, usq; ad annum 17.* (ſubintellige Philometoris) *ſed ab anno 18, rurſus ſolus numeratur Philometor; quem à Phyſcone, regno exutum, reſtituerunt Romani. Et ipſe quidem Ægypti regnum tenuit; at fratri, regnum Lybiæ, ſive Cyrenaicum commiſit; ſolusque adeò regnavit annos 18. Mortuo eo, in Syriâ (partem enim regionis hujus, ut ſuam obtinebat) accerſitus, Cyrenæ Evergetes, & Rex publicè ſalutatus, adſcripſit ſibi omnes annos, ab eo tempore, quo primùm Rex nominatus eſt; ut cùm poſt fratris obitum regnârit, annos 29.* (in Græco legitur iterum corruptè εἴκοσι πέντε, pro, εἴκοσι ἐννέα) *in univerſum ſibi vindicâſſe putetur annos 54. Nam annos Philometoris 36. (hic enim accenſendus eſt) ipſi fuit annus regni 25. Atque ita utrisque fuerunt 64. Philometori 35. reliqui Evergetæ.* Hæc Porphyrius, è quo rerum, Philometoris talem jam conſtituo chronologiam: Cùm, ut dixi, *Ptolemæus Epiphanes* finierit A. M. 3771. in hoc initium *Philometoris* ponendum eſt; & cùm ſic per undecim annos regnum poſſederit, donec ab Antiocho, bello peteretur; captivitas ejus rejicienda erit in annum 3782. Hæc aliquantò citiùs ponit Calviſius.

Cæterum, hâc ferè de causâ, bellum illud contigit: *Philometor*, cum *Celeſyriam*, majoribus ſuis ſemper paruiſſe, intelligeret, eam ab *Antiocho Epiphane*, per legatos repetiit, ſuaſu *Eulæi* nutritii, ac *Lenæi* ducis;

cis; qui tùm, Rege admodum puero, *poſt mortem Cleopatræ*, cuncta adminiſtrabant: Ei cum ab Antiocho minimè redderetur, ingentem belli apparatum Ptolemæus facere inſtituit, quo eam recuperaret. *Diod. Siculus Legat. XIIX. & apud Suidam in* ἀμφισβητεῖν. *Antiochus* cum *Ptolemæum* videret ſeſe ad bellum accingere, *Meliagrum* legatum *Romam* miſit, qui *Senatui* referret, bellum ſibi præter fas, à Ptolemæo inferri, interim ipſe celeriter conjunctis copiis, cùm Duces Ptolemæi ſegniter agerent, & in Syriam irrumpere cunctarentur; ultrò illis obviam proceſſit; commiſſoq́; prælio inter *montem Caſſium* & *Peluſium*, eos profligavit: Et cum Ægyptiorum copias internecione delere poſſet, equo circumvectus, occidi eos vetuit, vivos tantummodò capi juſſit. *Philometor*, auditâ ſuorum clade, ac deditione Peluſii, aliarumq́; urbium, metu perculſus, ac fortaſſè etiam Alexandrini populi ſeditione impeditus, fugit Alexandriâ; cumq́; in manus *Antiochi* veniſſet, *Antiochus* puero *pepercit*, & amicitiam cum eo firmavit; curamq́ue illius ſuſcipere ſe ſimulavit: Diadema tamen ademit, & Ægyptii Regem ſeſe ipſum fecit; quod Alexandrini ægrè ferentes, *Ptolemæum juniorem* (qui *Evergetes* & *Phyſcon* dictus eſt) fratrem Philometoris, Regem renunciârunt; ac ſtrenuè Antiocho reſtituerunt. Sed Antiochus, *victis* navali prælio ad Peluſium *Alexandrinis*, & ponte *per Nilum* facto, transgreſſus cum copiis, *Alexandriam obſidere* inſtituit; ſimulans ſe *Ptolemæo Majori* regnum recuperare. Hæc de *bello* iſto *Antiochico*, quàm diligentiſſimè congeſſit *Valeſius ad Exc. Peir.*

Peir. p. 49. & Polybii Legat. 71. 72. & Hieronym. in Danielis cap. XI. qui & cladem ad Peluſium rejicit in A. M. 3781. quod nobis parùm officit; nam & hic annus 11. Philometoris ſtatui poteſt.

Paulò poſt venit *in Ægyptum C. Popilius*, de quo ſuprà dixi in rebus Antiochi Epiphanis: Jam verò plura nos docet Porphyrius; nimirum fratres, *Philometorem*, & *Phyſconem*, concordes egiſſe, usq; ad annum Philometoris 17, hoc eſt, usque ad A. M. 3788. Illo igitur anno pulſus à minore fratre major, Romam venit; & à Senatu paulò poſt reſtitutus eſt, hâc lege, ut major *Ægyptum*, minor *Cyrenas* regeret. Ita cum *Calviſius* (qui *Polybium* ſententiæ ſuæ fundum laudat) hîc optimè nobis convenit.

Quamobrem mira σύγχυσις eſt apud *Beſoldum* in Synopſi majore, cum ait: *Ptolemaus Philometor, ab initio diſcorde fratre uſus, Alexandriâ, ab eo pellitur; Celeſyriâ interea amiſſâ, quam invaſerat Antiochus Epiphanes, hoc diſſidio invitatus.* Nullum in hâc narratione verbum ſanum: *Diſcordia* enim *fratrum* eſt exorta, ſub initum regni; ſed poſt multos demùm annos neque hoc diſſidium invitavit Antiochum, quod illo tempore (quo Antiochus cum exercitu in Ægyptum movit) nullum fuit. Neque Celeſyriam, Antiochus extorſit Ægyptiis expeditione illâ, quam primùm ſuſcepit: Hanc enim regionem ante mota arma tenuit; quæ omnia ſatis expoſita ſunt.

Tandem quod ait *Porphyrius, obiiſſe Philometorem in Syriâ*, cujus partem poſſederit, utrinque veriſſimum eſt; Nam ob illam poſſeſſionem, *Syriæ Rex*

dicitur

dicitur à *Polybio* in *Exc. Peir. p. 134.* Et cùm adverſus *Alexandrum Balam*, perfidum generum, *in Syria* pugnaret; equo excuſſus, & ab hoſtibus vulneratus, inter medicorum manus; diebus aliquot poſt exſpirat. *lib. I. Maccab. c. 11. Joſeph. lib. XIII. c. 8. Polyb. in Exc. Peir. p. 494. Epitoma Liviana 52.* Secundùm *Porphyrium* factum hoc A. M. 3805, vel 3806: *Calviſius* ponit in A. M. 3804. Locum ubi deceſſerit, indicat *Strabo lib. XVI. p. 751.*

Ita Cyrenam rediit *Ptolemæus Phyſcon, Evergetes II*, fratri longè diſſimillimus. Frater enim, ut ait *Polybius in Exc. Peir. p. 195.* maximâ laude & gloriâ dignus, neminem amicorum ullam ob cauſam occidit; imò ne civem quendam Alexandrinum. Et cùm ab hoc Phyſcone Alexandriâ pulſus eſſe videretur, ulciſcendi occaſionem nactus, omnem ei culpam condonavit. *Iterum perfidum* captumq; tantùm abfuit, ut ſupplicio afficeret, quaſi hoſtem; ut præter munera, quæ ipſi ex pactione debebat, alia rurſus adjiceret; ſuamq; ei *filiam collocaturam promitteret.* At hic, omnium ſæviſſimus ea commiſit, quæ qui legit, non poteſt non admirari, divinum illud *Polybii lib. I. c. 82: Ita naturâ comparatum eſſe, ut non ſolùm corpora hominum, aliquando efferentur; & omnem humanæ ſpeciei ſimilitudinem amittant; ſed multò magis hoc ipſum animis interdum eveniat.*

Ipſo illo tempore, quo ex ſolemni *Ægyptiorum more*, apud urbem *Memphim*, in palatio inaugurabatur, & *natalitia filii* celebrabat; *Cyrenæos* quosdam *interfici juſſit.* Quod paulò liberius ob *Irenem*, pelli-

cem, ipſum objurgâſſent. *Diod. Sicul. in Exc. Peir. p. 355. & apud Georg. Syncellum,* cujus *fragmentum* exhibet *Scalig. in Euſeb. Græc. p. 54.* Multos calumniatus, tanquam ſaluti ſuæ inſidiatos, crudelibus ſuppliciis extinxit; alios, varias commentus cauſas, in exilium miſit, ademptis facultatibus. *Diod. ibid. p. 351. Die nuptiarum,* quas cum *Cleopatrâ, ſorore ſuâ,* celebrâvit, *filium* ejusdem, *nepotem* ſuum *ex fratre,* inter apparatus epularum, & ſolemnia religionum, in complexu matris *interfecit.* Juſt. lib. XXXVIII. c. 8. §. 4. *Militibus* omnem in omnes *licentiam* dedit, ut multi patriam relinquerent. *ibid. §. 6.* Validiſſimos è plebe legit ad militiam, ac dein occidit. *Spartianus in Caracall. p. 87.* Frequens juventute *gymnaſium armis* & *igne* circumdedit, omnesq; , qui in eo erant, partim ferro, partim flammâ necavit. *Val. Max. lib. IV. c. 2. ex. 5. ext.* Hinc omnibus inviſus, *incensâ regiâ* clàm Alexandriâ in Cyprum profugit, cùm regnaſſet annos 14. *Diod. Sic. in Exc.* Peir. *p. 350.* Quod ſi verum eſt, factum id exitu anni 3820. *Oroſius lib. V. c. 10.* refert ad annum V.C. 623. quo Conſulatum geſſerunt, *C. Claudius Pulcher, & Perpenna;* qui annus reſpondet A.M. 3820, ut Calviſius cenſet. Nec ab Oroſio diſſentit *Epitoma Liviana 59.*

Paulò poſt longè immaniora patrat idem truculentiſſimus tyrannus; non ſolum filium natu maximum (ne contra ſe Rex creari poſſet) *interficit,* ſed &, cùm ſtatuæ ipſius, à populo detractæ eſſent, id Cleopatræ, ſororis ſtudio factum ratus, *filium* (quem ex eâ ſuſceperat) ipſo illo tempore, quo Rex creatus eſt,

in

in conſpectu ſuo juſſit interimi; *protinusq́; caput ejus, & pedes præciſos, & manus, in ciſtâ & chlamyde opertas, pro munere natalitio, matri miſit. Val. Max. l. d. Juſt. lib. XXXVIII. c. 9. §. 13. Epit. Liv. LIX. Diod. Sicul. in Exc. Peir. p. 375.* Quibus facinoribus, multitudinis in eum furor exarſit, & pleriq; non *Evergetam*, ſed *Cacergetam*, nuncupârunt. *Athen. lib. IV. p. 185.*

Horrendum etiam eſt, quod de eo refert *Joſephus lib. II. contra Appionem*, omnes *Judæos*, in Alexandrinâ civitate, *cum filiis & uxoribus, nudos atque vinctos, elephantis ſubjeciſſe; ac beſtias inebriâſſe, ut conculcati miſerrimè interirent:* Sed Deo ſic gubernante factum, ut elephanti irruentes in amicos Regis, multos ex iis interimerent. Hoc *Auctor Excerpt. ap. Scal. p. 376,* per errorem, de *Ptolemæo Philopatore* ſcribit. Denique nihil quicquam melius egit, quàm quòd agere & vivere deſiit A. M. 3834, vel A. M. 3835. At *Manutius in Quæſitis per Epiſt.* mortem ejus ponit vel in A. M. 3829, vel ſeq. quo Romæ Coss. fuerunt *Publ. Manilius, C. Papirius Carbo.* Uxor Cleopatra, ut dixi, illa ipſa, quæ *ſoror & conjux Ptolemæi Philometoris.* Ita *ſororem unam* in matrimonio habuerunt *duo fratres:*

- - Sæva Thebarum lues
Num poſuit aliud, atque inextricabile?
Amitam parentem liberi cient ſuam,
Nomenq́; fratres patruelium ferunt;
Mater ſuorum Cleopatra eſt nepotium.

Qui ex hâc & Ptolemæo Phyſcone nati ſunt, ſucceſſerunt in regno. Ac primus quidem PTOLEMÆUS

SOTER dicitur *Porphyrio & Ptolemæo* in Canone. Lathurum vocant, *prologus Trogi 39. Joſeph. lib.* XIII. *c. 18. & 20. Strab. lib. XVII. p. 795.* Reperio & *nummum apud Golzium*, ſic inſcriptum: ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΛΑΘΕΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Quamobrem ut alii, ſic & ipſe trium nominum fuit, appellatus *Ptolemæus Soter Lathurus.* Sed *Euſebius* eundem quoque *Phyſconem* dictum aſſerit *n. 1901.* Quod ipſum quoque dicunt *Exc. Gr. Scal. p. 56.* & alia *p. 376. Manutius* ſuprà citato loco *p. 113.* Euſebium erroris arguit, ſed cui ægrè acceſſerim. Nam & *Porphyrius*, cujus *fragmentum* habemus apud eundem *Scal. p. 226.* Πτολεμαῖος ὁ Φύσκων, inquit, ὁ καὶ Σωτήρ. Credere malim, hunc quoque patris ſui tuliſſe nomen; ſed indubiè per tot nomina factum eſt, ut multis difficultatibus implicaretur hæc hiſtoria; quaſi *Evergetes II.* minimè *Phyſcon* dictus ſit. Planè id cognomen, in illius mentione omittit Euſebius, cum Porphyrio: Sed quod facilè refelli poteſt è *nummo*, in quo lego: ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΦΥΣΚΟΝΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Imò *Euſebius*, in priore libro; & *Auctor Exc. ap. Scal. p. 377.* eò usque profecti ſunt, ut ſcriberent, *Ptolemæum* hunc *Evergetis II.* filium, *Phyſconem* dictum, διὰ τὸν ὄγκον τοῦ σώματος, id eſt, *à diſtento aqualiculo:* hoc de patre verum eſt. *Juſt. lib.* XXXVIII. *c. 8. §. 9.* Erat ſagina ventris, non homini, ſed beluæ ſimilis. *Diodor. Sicul. in Exc. Peir. p. 361: Ptolemæus ob deformem corporis habitum (unde &* Phyſcon *cognominatus eſt) cunctis erat inviſus.* Loqui de patre, fragmentum antecedens, & ſequens ſatis indicat, quorum alterum

de

de *Viriatho* pertinet ad A. M. 3810. alterum de *Marco Æmilio Lepido Porcinâ Cos.* ad A. M. 3813. An & filius Soter fuit ventrioſus? dubito, & ferè inclino bibiſſe hîc Euſebium de flumine Lethes. *Scal. ad Euſeb. n. 1902.* parùm diligens hic fuit. Verũ, quod ajunt, illũ, quem Euſebius Ptolemæum Phyſconem appellat, à *Tertulliano & Epiphanio* dici Soterem; ſed fallitur, quòd eundem Evergetem dici putat, in nummo: Hic enim ad patrem referendus eſt.

Sed quid tantùm de *Ptolemæo Sotere* Lathuro Hiſtorici? *Ptolemæus Evergetes*, qui & *Phyſcon*, uxori Cleopatræ regnum reliquerat, hâc conditione; ut in regni conſortium è filiis adſciſceret, quem vellet: Sed illa pronior in juniorem, *Ptolemæum Alexandrum*, à populo compellitur, majorem, *Ptolemæum Soterem Lathurum* eligere. *Juſt. lib. XXXIX. c. 3. §. 2.* Junior *regnum Cypri* accepit, quod è Porphyrio colligo. Is Scriptor (licet corruptus alicubi, & lacunoſus) varia tamen nos docet; & *Lathurum* quidem decimo anno regni propter crudelitatem ejectum *in Cyprum* (quam frater obtinebat) abiiſſe: Quod ferè legitur & apud *Juſt. l. d. c. 4. §. 1. Scaliger ad Euſeb. n. 1918*, vult, hujusdem exilii meminiſſe *Epitomatorem Livii lib. LIV*; qui maximi Viri maximus lapſus eſt: Loquitur enim ibi Epitomator de *Evergete II*, non de *Lathuro*. Hunc ipſum crudeliſſimum fuiſſe, & patri quàm ſimilem, declarat factum in Judæos apud *Joſeph. lib. XIII. c. 21.* quod ipſum in Synopſi Majore refert *Beſoldus*. Idem *Valeſius* retulit inter fragmenta *Nicol. Damaſceni* pag. 504: *Mandavit enim militibus, ut Judæorum parvu-*

 los

los cum uxoribus promiſcuè jugulatos, ac membratim conciſos, in fervidos lebetes conjicerent; ut cæteris major metus incuteretur. Quæ morum ſimilitudo & ipſa Scriptoribus anſam præbuiſſe dicitur, ut Evergetæ & Soteris hiſtorias confunderent.

Cæterùm ſi verum nos docuit Porphyrius, pulſus eſt à matre Ptolemæus Soter Lathurus A. M. 3844. vel ſequenti; quod Calviſius Euſebium ſecutus, rejicit in A. M. 3851. Sed ut ex eodem *Porphyrio* manifeſtum eſt, ex interruptis per exilium annis, fecit *Euſebius* continuos. Ptolemæus enim Lathurus usque ad exilium, regnavit annos 10. Et poſt reditum, qui ſerò contigit, annos 7, menſes 6.

Res clarior fiet ex ſequentibus: Pulſo in exilium *Lathuro*, accerſitus ejus frater natu minor, Ptolemæus *Alexander*, *Juſt. lib. XXXIX. c. 4. §. 2. Porphyr. l. d.* è quo initium ejus habemus A. M. 3844, ſed quot annis regnavit, donec rediret frater? octodecim, inquit Porphyrius, cujus verba ſunt: *Octodecim totos annos regnavit ab eo tempore, quo venit Alexandriam; nihilominus, in Æra 26. ipſi tributi ſunt.* Nam hîc obiter ex eodem Porphyrio ſciendum eſt, cùm à matre vocatus eſſet ad regnum, vindicâſſe ſibi tres annos, ob regnum Cypri; quod ſecundo vel tertio, poſt obitum patris, anno acceperat. Hinc *primum* dixit octavum; & *decimum octavum* vigeſimum ſextum. Sed hîc diſſentit *Euſeb. Gr. & Lat.* quamvis nec ſibi ipſi concors: *Latinus* enim *n. 1918.* aſſignat decem annos, *Græcus p. 56.* quindecim. Quòd ſi Porphyrium ſequimur, Ptolemæus Alexander regnare deſiit

deſiit A.M. 3862. Calviſius pænè hîc conſentit; vult enim Ptolemæum Alexandrum fugatum A.M. 3861. Cauſa hæc fuit: Cùm *matrem* ſuam Cleopatram *occidiſſet* (quod refert *Juſt. lib.* XXXIX. *c. 5. §. 5.*) favor publicus inclinare cœpit. Acceſſit *bellum cum* militibus *Ægyptiis*; ſed qui commiſſâ pugnâ navali fugêre, illum compulerunt in urbem Lyciæ, *Myram*: Hinc in veterem Cypri angulum ſeſe recepit, & paulò poſt, bello petitus, à *Navarcho Chæreâ* interimitur, *Porphyr. & Euſeb. Gr. p. 56.* Ita *rediit Ptolemæus Soter Lathurus*, cui poſt hæc obtinuit Ægyptum, per annos 7. menſes 6; ſed quos exilium interrupit. Hoc neque Euſebius, neque Calviſius attendere voluit: Ptolemæus in Canone tribuit 36. annos, ut qui computat ab anno, quo Ptolemæus Evergetes II. mortuus eſt, usque ad obitum Lathuri. Certum igitur ſecundùm Porphyrium, Lathurum deceſſiſſe circa A. M. 3870.

Hîc jam oritur non exiguus labor, ut ſciamus, quis Ptolemæo Lathuro ſucceſſerit? *Beſoldus* noſter ſubſtituit PTOLEMÆUM AULETEM; quod in illo mirari non debemus, cùm peritiores hiſtoriarum, hîc multa fugerint: Nec enim vel Scaliger, vel Calviſius, hiſtoriam hîc valde turbatam, limpidiorem reddere potuerunt. Ne plus æquo diffundar, decimus Ægyptiorum Rex PTOLEMÆUS ALEXANDER, Ptolemæi Alexandri filius, Ptolemæi Evergetæ II. nepos, conſtituendus mihi videtur: Ei regnum datum hâc lege, ut Cleopatram, Ptolemæi Lathuri filiam, duceret, eaq; ſimul in paterno ſolio con-

ſideret. Sic docemur à Porphyrio, cùm ait: *Hæc* (ſcil. Cleopatra, filia Ptolemæi Soteris) *poſt mortem parentis, rerum potita eſt. Neque Chronologi Alexandro, regnanti cum illa dies 19, tribuunt dies totidem. Erat hic filius Ptolemæi Alexandri; qui è duobus fratribus natu major, progenitor Cleopatræ* (hæc duo vocabula, ut ſuſpicor, nihili ſunt; *cujus* enim *Cleopatræ* progenitor hic ſit? an *poſtremæ?* Atqui ea *filia Ptolemæi Dionyſii*, ut Porphyrius mox ſubjicit) *& Romæ commorabatur. At cùm in Ægypto nemo virilis ſexus regnaret, revocatus venit Alexandriam; & uxorem ducens modò nominatam Cleopatram* (Lathuri filiam) *eandem, à qua poteſtatem acceperat, elapſis 19. diebus, interficit. Sed & ipſe militibus in Gymnaſio propter iſtam cædem comprehenſus, occiditur.* Nec minorem operam hîc affert *Appianus*, lib. I. Civil, cùm ſcribit: *Syllam Alexandrum, Alexandri Ægyptiorum Regis filium in Co enutritum, & ab inſulanis Mithridati traditum:* Poſtremò *ab illo ad ſe fugientem, in amicitiam recepiſſe; atque ex decreto Alexandrinis præeſſe voluiſſe, quòd regnum maſculus non otineret; ſed cùm per 19. dies præfuiſſet, in Gymnaſium, ex regiâ delatum, ibi occiſum eſſe.*

Igitur è binis iſtis Scriptoribus hiſtoria ſuppleri hunc in modum poteſt: Mortuo Lathuro, regnum accepit CLEOPATRA, ejus filia; ſed ſtatim miſſus Româ PTOLEMÆUS ALEXANDER, qui non niſi 19. dierum Rex fuit. Idemque tempus initium eſt novi Regis, qui nunc quærendus. Dico fuiſſe PTOLEMÆUM ALEXANDRUM PHILA-DEL-

DELPHUM, ſuperioris Alexandri fratrem, Alexandri filium, Ptolemæi Evergetis II. nepotem. Hoc è *prologo Trogi 39.* ſatis apertum eſt, cujus hæc verba ſunt: P*oſt Lathurum filius Alexandri regnavit; expulſoq́ eo, ſubvectus* Ptolemæus *Nothus.* Omittit enim Alexandrum 19. dierum Regem. Nam de ipſo non loqui, animadvertitur ex *duobus* indiciis: P*rimò* ante Ptolemæum Nothum collocat; *dein* ait expulſum. Utrumq; de *Alexandro priore*, Cleopatræ marito, & Alexandri filio falſum; de hoc *Alexandro poſteriore* verum, ut ſequentia declarabunt magis.

Initium ejus *Appianus* ponit in A. V. 672, quo Conſulatum geſſêre *M. Tullius Decula, Cn. Cornelius Dolabella*; ſed hic annus ſecundùm *Calviſium* 3869. Quæ, & alia me movent, ut credam Calviſium parùm feliciter contuliſſe annos mundi & urbis; & alicubi cōmiſiſſe metachronismum anni unius: Unde nec exactam in præſentiarum chronologiam ſecundùm annos mundi, & Urbis hîc dare poſſumus; niſi velimus rem omnem chronologicam excutere, & annos à certo & indubitato initio perducere; quod nimis longum futurum ſit. Nihilominus ad Calviſii Chronicon, velut receptius & impoſterum referemus, non Romana, & Ærâ Chriſtianâ vetuſtiora; eritque, quem indicaverimus, ſi non ille ipſe annus, ſaltem proximus. Sed hæc obiter. Nunc ad Ptolemæum iſtum, quem Alexandrum cognominavimus, è *Ciceronis Agraria II. cap. 16.* Philadelphum è *Porphyrio*; nam is *pag. 226.* ante *Ptolemæum Dionyſium*, & poſt *Alexandri* mentionem ſtatuit *Ptolemæum Philadel-*

phum; eique aſſignat annos complures, ut non poſſit eſſe alius, quàm hic. Nam quoniam ex *Appiano* liquet, ad regnum perveniſſe, *Deculâ & Dolabellâ Coss.* vel certè ſub initium ſecundi Conſulatus *Syllæ & Metelli Pii*; concludimus è *Cicerone*, per 16. annos fuiſſe Regem. Pulſus ab *Alexandrinis*, *Romanorum* auxilium imploravit; & hâc occaſione uſus, *C. Jul. Cæſar* tum Ædilis, per partem tribunorum tentavit; ut ſibi *Ægyptus provincia* plebis citò daretur. *Suet. in Cæſ. c.11.* ſed *Ædilem* fuiſſe Cæſarem, *Cotta & Torquato Conſule*, hoc eſt, A.V. 688 (quem Calviſius reſpondere vult A.M. 3885.) nemo Romanorum Annalium peritus, dubitat.

Idem Rex ante *Ciceronem* & *Antonium Coss.* hoc eſt, ante A. V. 690. regnum ſuum legavit populo Romano, ut è dicta *Agrar. c.16.* conſtat. Obiit igitur A. V. 689, qui eſt A.M. ſecundùm Calviſium 3886. Quis huic ſucceſſerit, non potuit exputare *Manutius*. *Cicero* de hoc ſcribit loco dicto: *Eum regio genere non eſſe, inter omnes ferè video convenire.* Hæc de *Aulete* capit *Manutius*. At Auletem regii generis eſſe voluit, in eâ *pro Domo* cap. 8: *Cùm lege nefariâ Ptolemæum Regem Cypri, fratrem Regis Alexandrini, eodem jure regnantem, causâ incognitâ publicâſſes; populumq; Romanum ſcelere obligâſſes: Cùm in ejus regnum, bona, fortunas, latrocinium hujus imperii immiſiſſes; cujus cum patre, avo, majoribus, ſocietas nobis & amicitia fuiſſet.* Loquitur hîc Cicero de duobus, Ptolemæo Cypri Rege, ad quem ſpoliandum *lege Clodiâ* miſſus *Cato*; & Ptolemæo Aulete, quem

quem *Regem Alexandrinum* vocat. Adde *Cic. eundem in eá pro Sextio,* cap. 22. Reſpondet ad hæc *Manutius,* oratorium eſſe, diverſè de eodem loqui; aliud alio tempore ſentire, ſi cauſam poſtulet. Quod quidem hoc in loco *Gallicâ nive frigidius* mihi videtur: Id oſtenderem pluribus,ſed properandum eſt.

Malim ergò *Ciceronem Agrar. II. c. 16.* (ubi negat, Ptolemæum, qui poſt Alexandrum Ægyptum tenuerit, genere regio fuiſſe) interpretari de PTOLEMÆO NOTHO, cujus *Trogi prologus* ſuprà meminit. Huc ipſum cognomen nos ducit, huc ſeries; quam nobis, ut è Trogo ſciremus, *Auctori prologorum* debemus; cùm *Juſtini Epitomator* ſileat. De hoc ipſo *Strabo lib. XVII.* pag. 497: *Aureum alveum, in quo Alexandri corpus à Ptolemæo Lagi conditum erat, Ptolemæus cognomento* Coccus *& Suppoſititius rapuit; è Syria eò profectus, ſtatimque dejectus nullam è prædâ utilitatem percepit.* Idem Cybioſactes dictus, ab Alexandrinis, ut putat *Caſaubonus Caſtigat. ad dict. Strabonis locum.* Sed eam aſſertionem nullo modo admittendã reor: Coccus enim ille, vel ut *Berneggerus* vult, Coccyx; Rex Ægypti fuit, ante Ptolemæum Auletem; ut nos *Trogus* docet. At Seleucus Cybioſactes à Ptolemæi Auletis filiâ, è Syria accerſitus eſt, pulſo patre, ut *Strabo refert l. d. p. 796.* Porphyrius, nihil de Notho, quòd velut extra familiam regiam haud nominandum cenſeret.

Atqui hi ſunt illi tres Reges, quos multi ignorârunt, vel inter ſe confuderunt: *Beſoldus* in Synopſi majore, quam conſcripſerat, cùm jam plura didiciſſet,

ciſſet, poſt mortem Ptolemæi Alexandri, Lathuri fratres, agnovit *Alexandrum unum*; hunc ait *à Sulla reſtitutum*, & paucos intra dies interfectum. De hoc eodem capit, *Juſtin. lib. XXXIX. c. 5. §. 1.* ubi ait: *Alexandrum concurſu populi in exilium actum.* De hoc *Cic. in Agrar. contra Rullum.* Neſcio, quid ſit hallucinari, confundere omnia, & tandem monſtra parere; ſi hoc non eſt: *Qui à Sullâ reſtitutus* eſt, & *paulò poſt extinctus*, quomodo poteſt idem eſſe cum illo, cujus *Cicero* meminit; cū Agrariam ſuam tot annis habuerit poſt. *Juſt.* autem *l. d. non de Alexandro filio*, à Sulla reſtituto, loquitur; ſed *Alexandro patre*, quo pulſo *Ptolemæus Lathurus* regnum recuperavit.

Porrò Ptolemæo Notho ſublato, regnum adeptus eſt PTOLEMÆUS AULETES, qui & Dionyſius, Ptolemæi Soteris filius, Cleopatræ frater, quem Ptolemæus Alexander patruelis interfecit; & rurſus interfectus eſt, ut docet *Porphyrius*; cui ſubſcribit *Prologus Trogi 40.* Huic Ptolemæo 6000. talentorum abſtulit Cæſar, *Suet. in Cæſ. Jul. c. 54.* Nimirum grandi pecuniâ *Romanorum ſocietas* huic emenda fuit, quòd vereretur, ne ſibi teſtamento Regis Alexandri Ægyptum adimerent. Pulſus enim, ſecundùm Calviſium, A. M. 3893. & *filiæ* interim (donec reduceretur) *regnum adminiſtrârunt*, quarum *tres* habuit; *Cleopatram, Tryphænam, & Berenicen*, ut ſcribit Porphyrius: *Berenice* (inquit ibid.) *adſcivit ſibi viros quoſdam familiæ ſuæ, qui ſecum regnarent.* Ex his nominat *Strabo lib. XVII. p. 796.* Cybioſactem, Syriacorum Regum ſtirpe oriundum. Seleucus eſt, *Dion. lib.*

lib. XXXIX. *cap.* 117. Cybioſactem autem Ægyptii dixiſſe videntur *Caſaubono*, quòd eſſet ſordidus, & αἰσχροκερδὴς, ex omni re lucrum captans, παρὰ τὸ σάττειν τὰ κύβια. *Cybium* (ut *Plinius* docet) genus fuit *ſalſamenti*; σάττειν, autem propriè ſignificat, *onus jumento imponere*; ut faciunt mercium vectores, & camelitæ. Certè *ob ſordes* Seleucus iſte, *juſſu Berenices*, intra paucos dies *ſtrangulatus* eſt; ut ait *Strabo*. Et *Veſpaſianum*, cùm eſſet ſordidè avarus, *Cybioſactem* appellârunt, à cognomine ejusdem Reguli. *Suet. in Veſp. c.* 19.

In hujus Seleuci Cybioſactis locum aſſumptus eſt ARCHELAUS, Archelai filius. *Strabo* & *Dio* dictis locis. At paulò poſt eductus, pater Berenicem cum Archelao interfecit. *Ibid. & Porphyr. ap. Scal.* Obiiſſe hunc Auletem *Ser. Sulpitio, M. Marcello Coss.* A. V. 702. (quem Calviſius reſpondere vult A. M. 3899.) docet *Manutius ex epiſt. Cælii ad Ciceronem.* At ſecundùm *Porphyr. & Ptolemæum in Can.* regnavit annis 29, ſi ad regnum perveniſſet A. M. 3870. Sed numerârunt iſti à morte Lathuri, quaſi nec *Cleopatræ*, nec duorum *Alexandrorum*, nec *Ptolemæi Nothi*, ratio habenda ſit; quòd regnum Lathuri filio deberetur.

Reliquit liberos, *duos Ptolemæos, Cleopatram, & Berenicem*; ſed alterum Ptolemæum, & Cleopatram, *natu majores* poſt ſe regnare voluit. *Porphyr. & Strabo d. l.* Simul itaque regnum tenuerant PTOLEMÆUS & CLEOPATRA per quatuor annos; manſiſſetq; hoc conſortium, niſi Ptolemæum, violantem patris præcepta, & omnem poteſtatem ſoli ſibi vindicare

vindicare volentem ; *Pompejum* præterea *Magnum* de domo ſuâ benè meritiſſimum nefariè occidentem fata egiſſent in perniciem ſuam : *Victus* enim navali prælio *à Jul. Cæſare*, periit in aquis. Hoc Romani Scriptores referunt ad A. V. 706, hoc eſt, ſecundùm Calviſium, A. M. 3903. Cæſar regnum dedit PTOLEMÆO JUNIORI alteri; Ptolemæi Auletis filio, & Cleopatræ; ſed inſociabile regnum eſt. Quarto enim anno, hoc eſt, A. M. 3907, interfecto Cæſare, Ptolemæus *inſidiis Cleopatræ* cadit; & *ipſa ſola* rerum potitur, usque ad annum 3915, quo *M. Antonius*, mortuo *Lyſaniâ*; Chalcidos Rege in Syriâ, *Cleopatræ Chalcidem*, & adjacentes locos *dono dedit.* Hic annus à quibusdam *Cleopatræ primus* dicitur, cùm ſit *decimus ſextus*; & hoc ab tempore regnavit, usque ad A. M. 3920; quo victa cum M. Antonio, Triumviro, *aſpidis morſu* periit. Hiſtoria omnibus notiſſima eſt, nec opus, ut diffundatur. Et cum hac *familiâ Ptolemæorum Macedonica*, cùm ferè *per tria ſecula Ægyptum poſſediſſet*, defecit; regnum verò ab *Auguſto* in *provinciæ* formam redacta eſt. Tamen de horum *Ptolemæorum ſanguine*, poſt 300. annos, orta videri voluit *Zenobia*. Trebell. *in Zenobiâ p. 198. & in Herennio p. 197.* Qui de Regibus Ægyptiorum *nugas* audire volet, quamvis ubique reperturus ſit; tamen adeat *Epiphanium*, & jungat *Eutychium* & *Batricidem* apud *Seldenum lib. de Succeſſ. in Pontif. Hebr. c. 7.*

CAPUT XII.

Aſiæ Reges Antigonus & Demetrius Poliorcetes.

cetes. *Utriusque infelix exitus.* Aſia *poſthac ſub* Syris *&* Pergamenis. *Regum Pergamenorum ſucceſſio, & res memoriæ digna.*

FAciunt partem Monarchiæ Macedonicæ regnum Aſiaticum, ut *quatuor alas* nobis explicent *apud Danielem*; quam explicationem conſiderabimus alio die. Nunc de iis, quos Beſoldus memorat. ANTIGONUS, Philippi filius, per *Tenæum*, non minus, ut Philippus & Alexander, Reges, ab Hercule oriundus, Alexandro mortuo, & diviſione provinciarum factâ, cum Pamphyliâ & Lyciâ, Phrygiam minorem obtinere juſſus eſt. *Curt. lib. X. c. 10. §. 2. Dexippus apud Scalig. p. 48.* Adde *Juſt. lib. XIII. c. 4. §. 14. & 15.* Ex emendatione *Bongarſii Diodor. Sic. lib. XVIII. c. 2. Appian. in Syriacis.* Sed poſtea toti ferè Aſiæ imperavit. *Exc. Gr. Scal. p. 374. Euſeb. Gr. lib. priore pag. 52. Lat. lib. poſteriore n. 1697.* Bellum cum Eumene deſcribunt *Juſtinus lib. XIV. c. 1. 2. & 3. Cor. Nepos & Plut. in Eumene. Diod. Sic. lib. XIX.* Bellum cum Caſſandro, Ptolemæo Lyſimacho, & Seleuco *Juſt. lib. XV. c. 1. 2. & 4. Plut. in Demetrio.* Clementiam ejus deprædicat *Senec. lib. III. de Irâ cap. 22.* Regni annos tribuunt 18.

Occiſo in prælio (quod factum A. M. 3649.) *Demetrius Poliorcetes*, ejus filius (qui adhuc vivo patre, poſt ingentem victoriam navalem, de Ptolemæo Lagi reportatam A. M. 3644. diadema ſumſerat) in Græciam feſtinabundus accedit; navibusq; receptis ab Athenienſibus in *Cherſoneſum* navigat, *Lyſimachi* ditiones vaſtat; & ſeſe ex clade recolligit. Biennio

poſt,

poſt, hoc eſt, A. M. 3651. ipſas *Athenas obſeſſas*, ad deditionem cogit; victoriâ tamen moderatè uſus, tantùm *Piræum* & *Munychia* præſidiis munit; urbem ipſam frumento donat. *Alexandrum*, Macedoniæ Regem, Caſſandri filium, inſidiantem ſibi, occupat, & trucidat A. M. 3657. Meminit hujus cædis *Dexippus, apud Scal. p. 48.* Atque hoc anno ſimul Macedoniæ regno potitus eſt. Sed inter hæc magnam partem Aſiaticarum provinciarum ipſi extorſerat *Seleucus Nicator*; quas ut recuperaret, ingentem exercitum peditum centum millium, equitum duodecim, & claſſem quingentarum navium extraxit. Igitur contra illum tantis viribus inſtructum, ſocietatem inierunt *Seleucus, Ptolemæus Lagi, Lyſimachus & Pyrrhus*; cum quo tamen *Demetrius* recens fœdus percuſſerat: Sic *Pyrrhus Macedoniam*, alii alia loca capere cœperunt. Denique ipſe *exercitus ad Pyrrhum*, ſeditione excitatâ, transfugit. Hinc Demetrius, depoſitâ purpurâ, privatus è caſtris aufugit; & *Pyrrho* relictâ *Macedoniâ*, in Aſiam ſe contulit. Ubi multis *Lyſimachi* urbibus expugnatis, à *Seleuco* bello iterum petitur; deſertusque à militibus deditionem facit A. M. 3666. Seleucus deditum tribus annis in peninſulâ, quamvis liberaliter, habuit; quibus elapſis mœrore animi extinguitur. *Aſiæ Rex* fuit per annos 17. *Macedonum* per annos 6. ut ait *Dexippus*. Conſentit *Euſeb. Lat.* in utroque; diſſentit *Græc.* in annis regni Aſiatici; quos ſaltem 10. tribuit.

Everſo Demetrio, penes *Seleucidas* & *Reges Pergamenos* Aſiæ imperium fuit: Hinc *Antiochus Soter*;

Soter, *Antiochus Deus*, & ſucceſſores ipſius, usque ad *Antiochum Cyzicenum*, appellati Συείας καὶ Ἀσίας βασιλεῖς. Conſulendum opus Euſebianum; ſed de his Regibus jam ſuprà diximus. Rex Pergamenus, in Aſiâ *Phrygiam*, *Myſiam*, *Æolidem*, *Joniam*, *Cariam*, *Doridem*, *Lydiam*, *Lycaoniam*, & *Piſidiam*, poſſidebat.

Regni hujus conditor PHILETÆRUS TIANUS EUNUCHUS, frater Attali & Eumenis, præfectus theſaurorum Lyſimachi, Regis Thraciæ; à quo defecit A. M. 3669. *Pauſanias in Atticis p. 13. & 18. Strabo lib. XIII. p. 629. Golzius in Theſ. num. 246*, nummum ejus ſic inſcriptum refert: ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, quod adverſum eſt Straboni; qui Attalum, Philetæri nepotem à fratre Attalo, primum Regem ſalutatum ſcribit *l. d. p. 624. Scal. lib. III. Can. Iſag. p. 321.* teſtis eſt, in *numiſmate Farneſii Cardinalis*, Philetærum *diadema non* habere, *ſed coronam frondeam*; ut vel hinc Regis nomen adſciſcere noluiſſe videtur poſſit. Refert ibidem mendaciſſimum iſtud diſtichon *Daphidæ*:

Πορφυρέοι μώλωπες ἀποῤῥινήματα Γάζης
Λυσιμάχου Λυδῶν ἄρχετε καὶ Φρυγίας.

Vibices ô purpureæ, ramentaque Gazæ
Lyſimachi Lydos cum Phrygibus regite.

Vibices vocat *Philetæri poſteros*, id eſt, *mancipia*. Quod Eunuchus, & ſervili conditioni proximus, Pergamenæ Gazæ cuſtos ab hero Lyſimacho impoſitus fuit; *ramenta Gazæ*, quòd divitiis ad illos transmiſſis, Lydiæ & Phrygiæ imperium occupârint. Tenuit

nuit autem Philetærus caſtellum ſuum per annos 20. *Strabo l. d:* Succeſſit A.M. 3689. EUMENES Philetæri nepos è fratre Eumene; & regnavit annis 22. *Juſtinus lib. XXVII. c.3. §.1.* Bithyniæ Regem appellat magno errore, ut cenſet *Valeſius ad Polyb. Exc. Peir. p.19.* Errat & *Diog. Laërtius in Archeſilao*, qui Philæteri filium facit; quod notavit *Reineſius lib. III. Variarum, c.7.* ubi varias Suidæ hallucinationes in hâc Regum Pergamenorum hiſtoriâ, detegit. Mortuus ex ebrietate, *Athen. lib. X. p.445.* Ubi *Dalechampius* per oſcitantiam *Attali nepotem è fratre* vertit, cùm in Græco ſit, Φιλεταίρε. Hæredem habuit Attalum, Attali & Antiochidis filium, Eumenis fratrem patruelem, & Philæteri, è fratre nepotem; quem primum Regem appellatum vult *Strabo ſuprà citato loco*: Idq; factum poſt victoriam inſignem de *Gallis* reportatam. Quod ipſum etiam ſcribunt *Polyb. in Exc. Peir. p.103. & Liv. lib.* XXXIII. *c.5.* Victoriam hanc refert Calviſius in A.M. 3712. Dictus ab hâc victoriâ Γαλατονίκης, ut eſt apud *Suidam in* Νίκανδρος. *Pergamenis* ipſis ſatis non fuit, *Gallorum ſpolia*, honeſtiſſimo urbis locò, *ſuſpendere*; ſed ut vivam ſpirantemque belli imaginem oculis etiam poſteritatis ſubjiceret, *prælium cum Gallis* commiſſum *pictoris arte* & penicillo animatum, publicè propoſuêre. *Pauſan. in Atticis.* Sed & *Plinius lib. XXXIV. Hiſt. Nat.* quatuor ſtatuarios, *Iſigenum*, *Pyromachum*, *Stratonicum*, *Antigonum* nominat; qui Attali & Eumenis, adverſus Galatas prælia, arte & ingenio expreſſerint. *Tanti fuit*

Gallos

Gallos vincere; nam gens maximè terribilis, ac bellicoſiſſima tùm in Aſiâ erat; ut ait *Polyb. l. d.* Ταυροκέρως idem Rex dictus eſt, ab oraculo, quod refert idem *Pauſanias in Phocicis, p. 636.* Rationem reddit *Scaliger*, quòd ſucceſſerit *Macedonibus*, in quorum *nummis* ſunt alii *taurinis*, alii *arietinis cornibus*. Hic idem Rex eſt, qui ſocius Romanorum bello *Macedonicò primo*, contra Philippum. *Florus lib. II. c. 7. Strabo l. d. Livius lib. XXVI. c. 24.* Moritur C. Sempronio Cethego, Q. Minutio Ruffo Coss. A. V. 556, quem Calviſius putat reſpondere A. M. 3753. Ergò idem principium Philetæri non benè conſtituit in A. M. 3669. Debebat enim in A. M. 3667, quod ſatis manifeſtum eſt.

ATTALUS regnavit per annos 44. *Livius lib. XXXIII. c. 5. Polyb. in Exc. Peir. p. 102.* quem qui cum Livio contulerit, facilè aſſentietur *Valeſio ad Exc. Peir. p. 18.* ubi *Livium Polybii ſimiam* vocat. Et quamvis *Strabo* cum *Exc. Gr. Scal. p. 336.* ſaltem 43. annos tribuit, tamen prioris ſententiæ eſt ipſe Calviſius. Igitur regnare cœpit A. M. 3709, quo anno mortuus Eumenes: Hic Eumenes cùm regnarit annos 22. (ut eſt in *Exc. Scal. p. 335, Strabo l. d.*) utique initium ejus eſt in A. M. 3687. Hujus patruus Philetærus imperium obtinuit per annos 20, & defecit à Lyſimacho A. M. 3667. Sic Calviſius commiſit metrachoniſmũ biennii. *Et talium quàm multa ſunt apud Chronologum iſtum*; quæ omnia excutere, non eſt hujus loci, neque temporis.

Uxor Attali, *Apollonia Cyzicena* quamvis plebejî

generis,tamen ob ſummas virtutes regio faſtigio non indigna (*Polyb. in Exc. Peir. p. 112.*) è quâ nati ſunt *Eumenes II. Attalus II. Philetærus. Athenæus.* Succedit inter hos EUMENES, & regnat annis 39. *Exc. Gr. Scal. p. 337.* In *Strabone* numerus corruptus eſt, & pro Ἔτη τεσσαράκοντα καὶ ἐννέα legendum eſt, τριάκοντα καὶ ἐννέα. Hic eſt, de quo *Polyb. in Exc. Peir.* p. 167: *Eumenes, Pergami Rex, corpore infirmo, animo valido, nulli Regum ætatis ſuæ ſecundus, cùm regnum paucis & tenuibus oppidulis coarctatum accepiſſet, ampliſſimis provinciis auxit; non tàm caſu, & fortunâ, quàm induſtriâ ſuâ.* Strenuam operam *Romanis* tulerat in *bello Antiochico*, ut patet ex *Livii lib. XXXVII. c. 39. 41. & 43.* Hinc tantum terrarum acquiſitum. Nam devicto Antiocho, Romani Eumeni *Cherſoneſum*, in Europà, & *Lyſimachiam*, caſtella, vices, agros adjecerunt: In Aſia *Phrygiam utramque*, & *Myſiam* (quàm Pruſias Rex ademerat) reſtituerunt: Et *Lycaoniam*, & *Myliada*, & *Lydiam*; & nominatim urbes, *Tralles* atque *Epheſum*, & *Thelemeſſum*. Idem *Livius lib. XXXVIII. cap. 39.* Moritur A. M. 3792.

Regnum accepit ATTALUS II, frater Eumenis II, Attali I. filius; regnat mortuo fratre annos 21. *Strabo d. l.* Per oſcitantiam factum eſt, quod in *Exc. Gr. Scal. p. 337.* legimus: Εὐμένης Ἀττάλου ἀδελφὸς, ἐπίτροπος Περγάμου βασιλεὺς ἔτη κα. Hoc eſt: *Eumenes, Attali frater, tutor Pergami, regnat annos 21.* Scribo: Ἄτταλος Εὐμένους ἀδελφὸς, hoc eſt, *Attalus Eumenis frater.* Hoc volunt ſuperiora, quibus Eume-

Eumenem hujus anteceſſorem fecit; non *Attalum*. Hoc dum *Scaliger* non animadvertit *lib.III. Can.Iſag. p.154.* Eumeni II. ſufficit Eumenem, fratrem Attali, & tutorem. An cœcis cœcus dux fuit? *Juſt.lib.XXXVI. c.4. §.1.* quî Attalum III. ſucceſſorem facit, Eumenis patrui? errat. *Juſtinus*, & contra mentem *Trogi*, hîc ſcripſit, ut patet ex *prologo 37.* ubi Attalus Philometoris Anteceſſor eſt. *Hic Attalus Alexandrum, Antiochi filium, juvit contra Seleucum; & Romanos, contra Pſeudophilippum, & in Thraces expeditione factâ, Regem eorum Diegylin cepit, & Pruſiam interfecit, ſubſtituto ei filio Nicomede.* Regnum ceſſit Attalo A.M.3813. *Ultimus* igitur Rex, *Attalus III*, cognomento *Philometor*, frater Eumenis II. è Stratonice, Ariarathis Cappadociæ Regis filiâ; obiit regni anno quinto, hoc eſt, A.M. 3818. cùm populum Romanum regni ſui hæredem feciſſet. *Florus lib. II. c. 20. Livii Epit. 58. Vellejus lib. II. c. 4. Oroſius lib. V. cap. 8. Strabo l. d. Exc. Gr. Scal. p. 338.* Quod de eodem Juſtino ſcribit, fuiſſe omnium ſæviſſimum; confirmat *Diod. Sic. in Exc. Peir. p. 371*, ubi conſulendus *Valeſius*.

Supererat ARISTONICUS, Eumenis filius, *è pellice Epheſiâ*; qui cùm Aſiæ regnum, velut hæreditarium invaderet, à *M. Perpenna* victus eſt. *Juſt. & Exc. Gr. l. d. Epitom. Livian. 59*, & alii.

CAPUT XIII.

Aridæi *regnum ſine causâ omiſſum. Reliquorum Regum catalogus ad* Perſeum, *à Romanis debellatum, contexitur è Dexippo & Porphyrio.*

PRimum Macedoniæ Regem, *poſt Alexandri mortem*, tàm in majore quàm minore Synopſi, omittit *Beſoldus*, neſcio quam ob cauſam. Is eſt ARIDÆUS, Philippi Regis & Philinnæ Theſſalæ *ſaltatricis filius*, Alexandri M. frater; ſed ut Rex crearetur, patri magis & fratri datum eſt, quàm ipſi; Fuit enim *mentis inops*, non minus tutoris indigens, quàm Alexandri liberi; qui ſi adulti fuiſſent, ne regnum quidem Aridæo ſomniandum erat. Sunt, qui ſcribunt, pharmaco ab Olympiade propinato, dementatum fuiſſe. *Plut. in Alex.* Creatum nominarunt PHILIPPUM à patre. Regnum ejus fuit pænè 7. annorum. Videndi *Curt. lib. X. c. 7. Diod. Sic. initio lib. XVIII. Juſt. lib. XIII. c. 3. Ptolemæus ap. Athenæum lib. XIII. p. 578. Seneca lib. IV. de Benef. cap. 31. Pauſanias in Atticis p. 10. & 45. & lib. VIII. p. 466. Oroſ. lib. III. c. 23. Euſeb. Lat. n. 1693. Exc. apud Scal. Latino barbara p. 58. Arrianus apud Photium Cod. XCII. Dexippus apud eundem Cod. LXXXII. & apud Scal. p. 48. Porphyr. apud eund. p. 228. & Exc. Gr. alia p. 372.* Conſtat inter iſtos, cùm à *Perdicca* cæde reverſus in *Macedoniam*, Olympiadem excludere conaretur; ab exercitu deſertum, & *Olympiadi deditum*, ejusq; juſſu immaniter excarnificatum eſſe. Calviſius rejicit hoc in A. M. 3633.

Biennio poſt & ipſa Olympias interficitur à CASSANDRO, Antipatri filio, Jölai nepote; qui regnum Macedoniæ ſibi vendicavit. *Hic Alexandri M. domum prorſus extinxit*: Alexandrum enim, Alexandro M. natum è Rhoxane (Oxyathris,

Bactria-

Bactrianorum Regis, filiâ) per Glauciam, & Herculem ejuſdem filium, è Barſine Pharnabazo genita, per Polyſperchontem ſuſtulit. *Pauſan. in Bœot. p. 553. Porphyr. l. d. Juſt. lib. XV. c. 2. Diod. Sic. lib. XX. c. 20.* Odii hujus cauſa fuit, quòd Alexander ægrè ferens, barbaros à Caſſandro riſos, cùm ipſum adorarent; *caput* ejus utraque manu arreptum *parieti illiſiſſet.* Ajunt *Caſſandrum* diu poſt, cùm Macedoniâ & Ægypto potitus eſſet, *conſpectâ Delphi Alexandri ſtatuâ,* ſubitò percuſſum, corpore toto contremuiſſe; eamque animi æſtuationem vix ſedari potuiſſe. *Nummus* ejus exſtat apud *Goltzium in Theſ. p. 246.* Regnum obtinuit per annos 19. moritur longo ac difficili morbo enecatus. A. M. 3653. ſub initium anni.

Succedit filius è Theſſalonice, Alexandri M. ſorore natus, nomine PHILIPPUS. *Juſt. lib. XV. c. 4. §. 25.* Sed is paulò poſt *Elateiæ* (Phocidis ea urbs eſt) moritur. *Porphyr. l. d. Pauſan. in Bœot. d. p. 553.* Hunc omiſit *Scal. lib. II. Can. Iſag. p. 164.*

Philippum exceperunt duo fratres, ANTIPATER, quem nonnulli *Antigonum* vocant; & ALEXANDER, ex eâ Theſſalonice nati: Sed quòd *mater in Alexandrum propenſior* videretur, *ab Antipatro interficitur.* Hinc *Alexander* ulturus matris cædem, *Antipatrum* fugere coëgit ad Lyſimachum ſocerum; cujus juſſu paulò poſt interficitur. Alexander *Lyſandram* ducit, Ptolemæi Lagi filiam; cui poſteà *Agathocles,* Lyſimachi filius, maritus fuit. Sed cùm Demetrio Poliorceti (quem in auxilium adverſus fratrem Antipatrum evocârat) inſidias ſtrueret; ab ipſo

prævẽtus occiditur. *Dexipp. apud Scal. & Porphyrius apud eundem*; ſed quî corrigendus eſt ex Dexippo? Legitur enim: πρός τε τὸν νεώτερον Πτολεμαῖον ἀδελφὸν εἰς συμμαχίαν ἐπικαλεῖται Δημήτριον, τὸν Ἀντιγόνου. Lege: Πρός τε Ἀντίπατρον τὸν νεώτερον ἀδελφόν. *Calviſius* hanc cædem conjicit in A. M. 3657. *Porphyrius* Caſſandri filiis tribuit nonniſi 3. annos, 6. menſes; & regnaſſe ſcribit ἀπὸ τοῦ τετάρτου ἔτους τῆς ἑκατοστῆς εἰκοστῆς. Hoc eſt, *à quarto anno centeſimæ viceſimæ* (ita explendus hiatus ille, quem Scaliger reliquit) ἄχρι τοῦ τρίτου ἑκατοστῆς εἰκοστῆς πρώτης ὀλυμπιάδος. *Usq; ad tertium Olympiadis 121.* Quæ omnia cum Calviſio benè conveniunt.

Ita verò regnum Macedoniæ tenuit DEMETRIUS POLIORCETES, Antigoni filius (de quo diximus in cap. ſuper.) quod cùm per 6. annos tenuiſſet, Macedoniæ regnum invadit PYRRHUS, Æaci filius, Rex Epirotarum, viceſimus primus ab Achille, Thetidis filio; quòd putaret, *poſt Philippum, Alexandrum & Olympiadem* (Pyrrho, Neoptolemi filio, genitam) regnum Macedoniæ ſibi deberi. *Dexippus & Porphyr. d. l.* Calviſius Demetrium exutum ſcribit A. M. 3664. Hic eſt ille Pyrrhus, qui cum Romanis bellum geſſit; cui oppoſiti duo clariſſimi duces, *C. Fabricius*, C. F. C. N. *Luſcinus* (ita ſcribendum eſt è tabulis Capitolinis, *non Lucinus*, ut eum vocat *Beſoldus*) & *M. Curius*, M. F. M. N. *Dentatus*. Vide *Pighium* A. V. 472. & ſeqq.

Sed Pyrrhus nonniſi per 7. menſes Macedoniæ Rex fuit; & à LYSIMACHO, Agathoclis filio, Theſſalo

Theſſalo è civitate Cranone, Macedoniâ ejicitur. *Porphyr. & Dexipp.* Quamobrem initium Lyſimachi ſtatuere malim in A. M. 3665, quàm cum Calviſio in A. M. 3666. Macedonibus imperavit annos 5. menſes 6. Victus enim A. M. 3670 in campis Cori à Seleuco Nicatore vitâ exuitur. Ac ſtatim PTOLEMÆUS CERAUNUS, Ptolemæi Lagi & Eurydices, Antipatro natæ, filius, Seleucum benefactorem ſuum, & qui exulem ſuſceperat, interficit; & Macedoniæ regnum occupat, regnatq; annum unum, menſes quinque. Occubuit contra Gallos pugnans A. M. 3672. ſecundum *Dexippi* & *Porphyrii* ſententiam. Alii non niſi novem menſes regnaſſe volunt, quos Calviſius ſequitur; neſcio quàm benè.

Ptolemæum Ceraunum excipit MELIAGRUS, Ptolemæi Lagi frater; quem Macedones regno ſtatim privarunt, quòd regio faſtigio impar videretur. Nam poſt duos menſes ſuffectus eſt ANTIPATER, Caſſandri è ſorore nepos, Philippi filius. Hic cùm non niſi 45. diebus regnum tenuiſſet, velut parum idoneus gerendo bello adverſus Gallos, dejicitur à SOSTHENE, plebeji generis viro. Gallos hîc vicit, & Macedonum regno præfuit per duos annos. Tunc *ἀναρχία* fuit usque ad Olympiad. 126. Hæc omnia *Porphyrius.*

Hujus ſententiam qui admittunt, ANTIGONUM GONATAM, Demetrii Poliorcetæ filium, Antigoni nepotem, Macedonum Regem factum aſſerat A. M. 3674. *Gonatas* hic appellatus, quia *Gonis* (Theſſaliæ urbs eſt) natus & educatus fuit; antequam

Macedoniæ imperaret. Vixit annos 83. Macedoniam rexit annis 44. Obiit igitur A. M. 3718. Ita quidem *Porphyrius.* Sed numerum corruptum eſſe, patet è ſequentibus, dum ait, mortuum anno primo Olymp. 135. qui reſpondet A M 3711. in quo conſentit Calviſius.

Succedit DEMETRIUS, qui & univerſam Lybiam & Cyrenen accepit; regnumq; tenet annis 10. Reliquit filium Philippum è Chryſeide captivâ, cui tutor à primoribus Macedoniæ datus ANTIGONUS DOSON; ſic appellatus, quaſi DABO, quòd eſſet promiſſor quidem, at non effector pollicitorum. (*Plutarch. in Æmil. Paulo*) Thuſcus præterea dictus ab acuto capite, ut ait *Porphyrius.* Qui cùm utiliter publicæ præeſſet, effecit, ut Rex crearetur, ductâ Chryſeide. *Cleomenem* Regem Lacedæmoniorum *victum*, Græciâ expulit; & adverſus barbaros pugnans, cùm *vehementibus clamoribus in acie* uſus eſſet, paucis pòſt diebus *ſanguinis profluvio* victor interit. *Polyb. lib. II. c. 70.* Tribuuntur illi à *Dexippo* anni 12. Sed à *Diodoro* (ut idem Dexippus ait) 9. à *Porphyrio* 12: Cùm annos 42. vitæ impleviſſet. Malim hìc *Diodorum* ſequi: Cùm enim *Perſeus* regnârit annis 10, *Philippus* 42, quod ipſi fatentur; & verò Perſei annus ultimus ſit à mundo condito 3782, neceſſe eſt Antigonum tutorem deſiiſſe A. M. 3730. Nam qui Antigonum præceſſit ab A. M. 3711, regnavit annos 10, id eſt, vivere & regnare deſiit A. M. 3721. Quamobrem reſidui novem ab annis 3721. ad annum 3730. debentur Antigono. Fatetur præterea Porphyrius, Philippum regnare cœpiſſe ab Olym-

Olympiad. 140. at hujus initium, juxta Calviſium, incidit in ipſum annum 3730.

Quod PHILIPPUM attinet, eximiâ adoleſcens indole fuit. *Polyb. in Exc. Peir. p. 13. 14.* Dardanos vicit. *Juſt. lib. XXIX c. 1. §. 10.* Bellum contra Ætolos ſuſcepit, quod *ſociale* dictum eſt, *Polyb. lib. IV. cap. 3. 25. & 26.* Demetrii Pharii hortatu, *cum Annibale fœdus* iniit. *Liv. lib. XXIII. c. 33. & Juſt. lib. XXIX. c. 2. §. 1.* Hinc bellum cum Romanis ſibi attraxit, quod infeliciter geſſit. *Florus lib. II. c. 7.* Quamvis & aliæ cauſæ acceſſer nt. *Juſt. lib. XXX. c. 2. §. 8. & c. 30. §. 5.* Bello finem impoſuit *Titus Quintius Flamininus*, & *pacem* Philippo dedit *his conditionibus*: Ut Græcæ civitates in Aſiâ & Europâ *ſuis legibus* viverent: Philippus ex omnibus *præſidia* ſua deduceret: *Captivos transfugasq;* redderet: *Bellum extra* Macedoniæ *fines injuſſu Senatus* ne gereret: Ne plusquàm *quinque millia armatorum*, neve *elephantum* ullum haberet &c. *Liv. lib. XXXIII. c. 16.* Titus Quintius triumphavit magnâ gloriâ A. V. 559. A. M. 3756. Poſthæc Philippus à Romanorum partibus *contra Antiochum* ſtetit; & *Athamanum regnum* occupavit: Sed eo rurſus exutus, implacabile contra Romanos odium concepit. Interim *calumniis Perſei* eò adductus eſt, ut *Demetrium*, legitimum *filium*, *veneno* tolleret. *Juſt. lib. XXXII. c. 2. Polyb. in Exc. Legat. XLVI. c. 3. Liv. lib. XL. non procul ab initio. Pauſan. in Corinthiacis p. 302.* Veritate rei & *Perſei ſcelere* ſerò deprehenſo, mœrore animi extinguitur A. M. 3772.

Succedit PERSEUS, Philippo è concubinâ natus;

natus; qui fœdus à patre cum Romanis ictum, perfidioſè rupit, bellumq; ſuſcepit eo eventu, ut Perſeo victo, L. ÆMILIUS PAULUS totum Macedoniæ regnum occuparet; Regemq; catenis oneratum ante currum ſuum ageret, cum duobus filiis & unâ filiâ. Vide *Pighium in A. V. 596.* Hic regni Macedonici finis: Ipſi verò *Macedones ſuis legibus* vivere juſſi. Quod tamen *beneficium* poſt annos 20. *ademtum illis* eſt, quoniam ſe cum *Andriſco* (qui *Perſei filium* ſeſe mentiebatur) conjunxerat.

De Regnis quibusdam celebrioribus ſub Monarchiâ tertiâ.

REGNUM PARTHICUM.

CUm Macedones rerum in Oriente potirentur, *Parthicum* imperium condidit ARSACES; quod in tantam potentiam excrevit, ut *inter illos & Romanos orbis diviſus* diceretur. *Juſt. lib. XLI. c. 1. §. 1.* Caput omnium populorum, qui poſt Euphratem & Tygrim ſiti, rubro mari terminantur. *Curt. lib. VI. c. 2. §. 12.* Adde *Strab. lib. XI. p. 515.* Ut qui tàm memorabilis potentiæ regnum tacitum prætérire velit, inexcuſabilis videatur. Parthi, *Scytharum progenies*, temporibus Seſoſtridis & Janduſi, qui bellum inter ſe geſſere, regionem illam occuparunt; quam Parthiam vocamus. *Valeſ. ad Ammian. lib. XXXI. p. 419.* De nomine diſſenſus eſt: Alii *Parthos exules* eſſe volunt, linguâ Scythicâ. *Juſt. d. l. §. 2.* ibiq; *Bernegg.* Alii ab *Euphrate* dictos. *Morellus in Statium pag. 164.*

Arſaces

Arſaces Macedonicum *jugum excuſſit*, L. Maulio Vulſone, M. Attilio Regulo, Coſſ. *Juſt. lib. XLI. c. 4. §. 3.* Hoc eſt, A. M. 3694. Temporibus *Antiochi Dei*, ex hac cauſâ: *Teridates* & *Arſaces*, ambo *fratres*, Arſacis filii, Phriapeti nepotes, ab Artaxerxe, Perſarum Rege, ducebant genus; ut ait *Georg. Monachus apud Scal. in Opere Euſeb. Græci, libro priore p. 54.*

Ipſe Artaxerxes (intellige Mnemonem) Arſaces adhuc privatus appellatus eſt. *Cteſias apud Phot. Cod. LXXII.* At Orientalis hiſtoria (cujus guſtum nobis dedit *Schickardus in Tarich p. 103.*) ortum ejus ad ultimum Darium: Niſi per illam lineam (è quâ *Schickardus* hoc colligit) ſucceſſio potiùs, quàm ſtirps indicatur; quod aliis excutiendum relinquo. Nam uti *Parthicum* regnum *ſucceſſit Perſico*, ſic *Arſaces Dario* tanquam ſucceſſor, *non tanquam ſtirpis ejusdem*, per lineam conjungi potuit.

Quicquid ſit, ex his fratribus *Teridates* graviter ferens, ſe ab Agathocle (*Arrianus apud Photium Cod. LVIII.* Phericlem appellat) Perſiæ, ſive Parthiæ Satrapâ, *de ſtupro ſolicitatum* eſſe, rem fratri aperuit. Arſaces, illo & aliis quinq; aſſumtis, *Agathoclem*, facto impetu, *obtruncat*; & Parthos, *pulſis Macedonibus*, in libertatem aſſerit. Hoc initium fuit. Poſteà *Seleucum Callinicum* (qui Antiocho Deo ſucceſſerat) *devicit* idem; & hunc *diem* Parthi *ſolemnem* obſervarunt. *Juſt. lib. XLI. c. 4. §. 10.* Hinc *duplex epocha Parthici imperii* notanda eſt: *Prior* ex defectione Parthorum, ſub *Antiocho Deo*, conſurgit; *ſecunda* ex

victoriâ

victoriâ, de *Seleuco* reportatâ. Quod ubi factum eſt, Scriptores facilè conciliabis, quos primâ fronte adverſos putes. *Suidas*, quem *Berneggerus* laudat, ad *Juſtini d. c. §. 3.* corruptus eſt; nec hoc dicit, quod ille vult, ſi credimus emendanti *VVolfio*: Loquitur enim *non de annis regni Perſici* à Cyro, ſed *de annis Macedonicæ poteſtatis in Perſas*. *Ammianum* Marcellinum ab eodem citatum decepit *ſimilitudo* cognominum *Nicanoris* & *Callinici*; è quibus alterum *victorem*, alterum *pulcrè vincentem* ſignificat. Quod ipſum de *Tacito* ſuſpicor. Nam cùm alicubi Antiochum quendam reperiſſet, DEUM EPIPHANEM dici (ſic vocatus eſt *Alexandri Balæ filius*, ut ſuprà docui) idq; hæreret velut in confusâ mente, factum eſt, ut *Epiphanem pro Deo* nominaret. Hoc tamen minimè debebat facere: Nam *ante* illum *Antiochum*, qui *Magni filius* fuit, *neminem Epiphanis nomen tuliſſe*, ſatis manifeſtum eſt. Atque hæc de locis illis judico, quæ *Berneggerus* attulit; & *Scal. ad Euſeb. n. 1769.* vero adverſa eſſe, verè dixit.

Illud verò hactenus dicta de *Seleuco Callinico* convellere videri poteſt, quòd *Georg. Monachus* non niſi *biennio regnaſſe* ſcribit *Arſacem*: Quod ſi enim regnare cœpit A.M. 3694, usque ad regnum Seleuci Callinici non pervenit. Sed quando *Georgius* initium Arbacis ponit poſt illa: Συρίας καὶ Ἀσίας δ' ἐβασίλευσεν Ἀντίοχος, ἐπικληθεὶς Καλλίνικος, ὁ αὐτὸς καὶ Σέλευκος. Id eſt: *Syriæ & Aſiæ imperavit Antiochus, cognomento Callinicus, qui & Seleucus dictus eſt*. Ita reſponſum in promtu eſt, *Georgium de ſecunda epochâ* expli-

explicandum; ſtatuendumq́; biennio regnâſſe poſt victum Seleucum Callinicum; pro tempore maturâ quoque ſenectute deceſſiſſe (quod ſcribit *Juſt. lib. XLI. c. 5. §. 5.*) credibile eſt.

Hîc verò præterire non poſſum *gravem hallucinationem Schickardi in Tarich p. 104*, in loco *Juſtini*, qui ſic habet: *Urbem quoque nomine Daram, in monte Zapaortenon condit; cujus loci ea conditio eſt, ut neque munitius quicquam eſſe, neque amœnius poſſit.* Damnat codices ſphalmatis, & librum ſuum præfert, qui tamen vitioſiſſimus fuit; pro *Daram* legendo *Claram*; ut ſit adjectivum. Nihil hîc dicam de vetuſtate librorum, qui *Daram* conſtanter præferunt; nihil de abſurditate verborum: Urbem condit nomine *Claram*. Tàm enim manifeſtum eſt è τῷ *nomine*, ſecutam eſſe *propriam appellationem urbis*, ut nihil manifeſtius. An enim tantæ claritudinis urbs ea fuerit, ut, quamvis indefinitè loqueretur Juſtinus, ſtatim omnes recordarentur nominis? nunquam hanc ſententiam probabilem nobis reddiderit vir doctiſſimus. Nos vulgatam retinemus propter auctoritatem P*linii lib. VI. cap. 16.* ubi de hoc ipſo loco: *à Caſpiis Orientem verſus regio eſt* Zapauortene *dicta, & in eâ fertilitatis incluta locus*, Daricum *dictus*. Nihil refert, aliter hîc nomen terminari, cùm de priore ſyllabâ certi ſimus. Scio *Bongarſio* quoque corruptam fuiſſe viſam *Juſtini* lectionem, ſed fallebatur: *Daras* bonum eſt, & aliarum quoque civitatum Orientis nomen. *Evagrius lib. III. cap. 37*: *Poſt hoc bellum Anaſtaſius*, Daras, *locum quendam Meſopotamiæ, in finibus Romani imperii ſitum,*

tum, & utriusq́; ditionis velut limitem, ex agro fecit oppidum &c. Meminit & *Procopius lib.I. Perſic.* & addit, hunc locum diſtare *Niſibi* ſtadia 97 ac *Perſarum finibus*, octo & viginti. Cave igitur confundas cum *Darâ* Juſtini, vel *Darico* Plinii; à quâ diſtat iſta Meſopotamiæ gradibus ferè 23. Quod non animadvertiſſe *Salmaſium in Exercitationibus Plinianis p. 982.* mirum quàm *pueriliter* exultat *Petavius Miſcellanearum Exercitationum 10.*

Arſaci ſuccedit frater TERIDATES, & regnavit annos 27, ut ſcribit *Georgius Syncellus*; diſſentit *Juſtinus*, qui Arſaci dat ſucceſſorem Arſacem filium: Sed *Georgius*, qui auctores primæ claſſis conpilavit, hîc quidē præferendus mihi videtur. Confirmat eum *Oroſius lib. V. c. 4.* ubi Mithridatem, Priapatii filium, *ſextum* facit *ab Arſace I.* Quod verum eſt, ſi recipimus *Teridatem:* Tunc enim *ſextus* eſt, *non* quidem in ſucceſſione *ſtirpis*, *ſed* in ſucceſſione *regni.* At ſi Juſtinum ſequimur, neutro modo ſextus dici poteſt; ſive regni, ſive ſtirpis ſucceſſionem conſideremus.

Poſt hos regnum Parthicum obtinuit PRIAPATIUS ARSACES. Idem *Juſt. lib. XLI. c. 5. §. 8.* Pampacium, è corruptiſſimo ſuo libro, vocat *Schickardus, d. tract. p. 104.* Nobis illud rectius videtur, quod proximè accedit ad *Phriapetum*; quo nomine appellatus eſt Arſacis primi avus; ut nos docet *Arrianus.* Priapatii tres filii, PHRAHATES ARSACES, MITHRIDATES ARSACES, ARTABANUS ARSACES. *Phrahates* regnavit poſt *Priapatium. Juſt. d. l. §. 9.* Hunc excipit frater *Mithridates. ibid.*

quo

quo Rege fortuna Parthos ad ſummum imperii faſtigium perduxit. *ibid. c.6. §.2. Agath. lib. II. c. 60.* Et hic poteſt eſſe ille *Gurdat* in libris Orientalium apud *Schickard. p. 104.* Qui & *rectè obſervavit*, ab hoc *captum Demetrium* Nicatorem.

Eo defuncto PHRAHATES filius Rex conſtituitur. *Idem lib. XLII. c. 1. §. 1.* Orientalibus eſt Baadi, *Schick. d. l.* Quo cæſo ARTABANIS patruus regnum ſuſcipit. *ibid. c. 2. §. 1. Prologus Trogi 41.* Vulneratus in prælio contra Tocharios moritur; quod factum A. M. 3880: *M. Craſſo, Cn. Pompejo Magno Coſſ.* colligo ex *Phlegontis Olympicis apud Phot. Cod. XCVII.* ubi ſcribit: SINATRUCE, *Parthorum Rege, extincto ſucceſſiſſe* Phrahatem, *cognomento* Deum, *anno tertio Olymp. 177.* Hic *Sinatruces* non alius niſi *Artabanus*; quia ſucceſſor illi datur *Phrahates Deus*: At *Phrahates Deus* idem cum *Tigrane Deo*, apud *Auctorem* dicti *prologi 41.* Hunc prologum ſi conferimus cum *Juſtino*, dicemus eundem *Tigranem Deum* cum *Mithridate Magno*; quem *Artabano* patri *ſucceſſorem* damus è Juſtino. *Quemadmodum igitur Syrorum & Ægyptiorum Reges plura tulerunt nomina; ſic & Parthici.*

Quid, quòd *Memnon* apud *Photium Cod. CCXXIV. cap. 60.* expreſsè *Phrahatem* nominat hunc ipſum *Mithridatem*? Nec enim alium intelligere poſſumus per temporis rationem: Atque ita MITHRIDATIS M. ſimul habemus initium A. M. 3880. Hic *Mediam* & *Meſopotamiam* ſubegit, ut ait *prologus*. Tamen *Juſt. lib. XLI. c. 6. §. 6. 7.* Medos ſuba-

ctos ſcribit à Mithridate I, Priapatii filio. Mihi ſic videtur, *rebellâſſe Medos ſub Artabano*; cùm Scythæ res Parthicas felicibus armis contriviſſent. Nec enim *Tigranem* illum *Deum* apud prologum eundem cum *Mithridate I.* ſtatuere poſſumus, quòd *Artabano* ſucceſſor datur. Eſt igitur, quod dixi, *Mithridates M.* hujusdem meminit & *Joſeph. lib.* XIII. *Antiquit. c.22.* cùm ait: *Demetrium Eucarum captivum ad Mithridatem, Parthorum Regem, miſerunt.*

Pulſus eſt ob crudelitatem, & vacuum regnum occupavit ORODES frater ejus. *Juſt. lib. XLII. c. 4. §. 1. 2.* Hordos in Orientalium hiſtoria *Schickardo d. l.* hic eſt, qui *Craſſum* vicit. *Florus lib. III. c. 11. Plut. in Craſſ. Oroſ. lib. VI. c. 13. Livii epit. 106. Appian. in Parthis & alii.* Quod factum A. M. 3897.

Reliquit ſucceſſorem regni PHRAHATEM filium, qui XXIX. fratres trucidat. *Juſt. lib. XLII. c. 5. §. 1.* ait XXX. Sed *notabis*, Phraatem fuiſſe unum & è XXX; „ & veteres univerſum totius ſodalitii vel collegii nu- „ merum ſolere ponere, etiamſi is, quem excipiunt, „ includatur; quâ de re *Rutgerſius lib. I. Variar. cap. 2.* Addo *Senecam lib. V. de Benef. c. 16.* Ubi de Pompejo: *Provincias, ut eligat, diſtribuit; Triumviris rempublicam dividit.* Lipſius, cui non ſuccurrebant ſimilia, mutare voluit, & legere: *Dum ita Triumviris rempublicam dividit.* Gruterus ſivit quidem vulgatam, & manuſcriptorum lectionem; ſed explicationem nobis dedit acutam magis, quàm veram. Abſolvam me paucis: Locus *Senecæ* eſt ejusdem commatis cum iis, quæ *Rutgerſius* notavit. Hi fuerunt Parthorum Reges

Reges *ad Auguſtum usque*: Seqnentes *ad Artabanum ultimum* ſubjiciemus alio loco.

REGNUM ARMENIACUM.

ARmeniacnm regnum longè vetuſtiſſimum extitit; BARZANES enim temporibus Nini Armeniorum Rex legitur apud *Diod. Sic. lib. II. c. 1.* At poſt Alexandri mortem Armenia *Syriæ ac Mediæ præfectis* paruit; donec ab *Antiocho Magno ad Romanos* deficeret ARTAXIAS, à quibus Rex appellatus, novi imperii velut auctor fuit. *Strab. lib. XI. p. 531.* Totam tamen non habebat; cùm partes Auſtrales ſubjectæ eſſent Zariadri, ejusq; poſteris, usque ad Artanem, quem Tigranes oppreſſit. *Strabo ibid.* Idem verò *Artaxias*, è conſilio Annibalis, *Artaxada* civitatem condidit. *Plut. in Lucullo, p. 513.* Bellum geſſit *cum Antiocho Epiphane*, ſed victus ac captus eſt; ut ſcribit *Appianus in Syriacis.* Meminit ejus belli *Hieronymus ad cap. XI. Danielis.* De hujusdem improbâ regnandi cupiditate *Diodor. Sic. in Exc. Peir. p. 325.*

Qui ſucceſſerint, me quidem latet, usque ad ARTAVASDEM; qui cum Mithridate M. Parthorum Rege bellum geſſit. Memoria ejus apud *Juſt. lib. XLII. c. 2. §. 6.* Ei ſucceſſit TIGRANES, Tigranis filius (*Appianus in Syriacis*) obſes Parthis datus. *Strabo d. l. p. 532.* Hic eſt, qui Mithridatis Pontici bello ſeſe involvit, magnisq; cladibus à Romanis fractus eſt; potentiſſimus alioquin Rex. *Phlegon apud Phot. Cod. XCVII. Memnon apud Eundem Cod. CCXXIV. c. 32.*

42. 57. 58. 59. 60. Appianus in Mithridaticis. Plut. in Lucullo. Florus lib. III. cap. 5. & alii. Nnmmus ejus apud Goltzium hic eſt : ΤΙΓΡΑΝΟΥΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ.

Tigranis hujus ſucceſſor & filius ARTAVASDES. *Strab. d. l.* quem *Antonius*, ſpecie amicitiæ illectum, dein catenis oneratum, poſtremò interfecerat. *Tac. lib. II. Ann. c. 3. Vellejus lib. II. c. 82. Plut. in Ant. p. 939. Dio lib. XLIX. p. 415. Joſeph. lib. XV. Antiquit. cap. 5.* Cui Artabazes eſt ; ſicut etiam *Dioni.*

Hunc excepit ARTAXIAS, memoriâ patris Romanis infenſus. *Tac. & Joſeph. dd. locis.* Occiſus eſt, ut vult *Tacitus* ; vi pulſus, ut *Joſephus.* In ejus locum Romani Regem conſtituerunt TIGRANEM, fratrem ejus ; ut ait *Joſephus*, miſſo, qui diadema imponeret, Tiberio. *Euſeb. n. 1995. Suet. in Tib. cap. 9. Vellejus lib. II. c. 94.* Sed hic confundit reſtitutionem *Artavasdis*, cum alterâ *Tigranis* ; recentiorem cum antiquiore.

Nec benè *Vellejum* tuetur *Voſſius*, qui *Artavasden* etiam à *Tiberio* reductum ſuſpicatur. Dico, cùm nec *Suetonius* (omnia Tiberii diligenter recenſens) hoc retulerit, *Tiberium bis in Armeniam miſſum, bis Regem Armeniis dediſſe* ; nec cauſa ſit, cur tàm memoratu dignum præterire voluerit, conciliationem *Voſſii* non habere locum. Quod ſi defendendus eſt *Vellejus*, vix poteſt aliter, niſi emendatione, quam talem darem: *Regnum ejus Artavasdis filio tradidit.* Fuit enim Tigranes, ut è Joſepho dixi, Artavasdis filius, Tigranis nepos.

Imma-

Immanis error eſt *Ubbonis Emmii lib. V. Rerum Chronolog.* qui Tigranem Artaxiæ patruum dicit; confundens Tigranem hunc Artavasdis cum Tigrane, Tigranis filio, Mithridatis Pontici (è Cleopatrâ filiâ) nepote; quem Romani, quòd Parthos ſolicitâſſet, captum, & in triumpho ductum, diu antè necârunt in carcere; ut nos docet *Appianus in Mithridaticis.* Noſtri autem Tigranis reſtitutio facta eſt, *M. Apulejo, Publio Silio Nervâ Coſſ.* hoc eſt A. V. 733, ut eſt apud *Dionem*; id eſt, A. M. 3930.

Notare hîc debes, *non totius Armeniæ* fuiſſe *Regem*, ſed *majoris* tantùm: Nam *Armeniam minorem* obtinuit *Archelaus*, defuncto Medo Rege; ut ex eodem *Dione* diſcimus. Ita ſub Romanis Auguſtis diu obtinuit, ut alius *majorem*, alius *minorem* regeret. *Tigrani ſucceſſerunt liberi*, ut ait *Tacitus*; ſed quorum imperium diuturnum non fuit. Atque in hujus familiæ interitu, ſimul quod ad Auguſti principatum perventum eſt, finiam; cætera exſecuturus, cùm occaſio nobis fuerit.

REGNUM PONTICUM.

EST etiam hoc regnum memoratu dignum propter MITRIDATEM illum, qui per 40. annos arma Romana provocavit, & ſuſtinuit: Sed jam hoc labore defuncti ſumus. Vide *notas meas in Flori lib. III. c. 1. §. 1.*

REGNUM MASSANISSÆ.

FUerunt in Africâ Maſæſuli, & Maſſyli, quorum nomina ſæpè confunduntur: Maſæſulorum Rex erat SYPHAX, à Publ. Scipione Africano in triumpho ductus. Maſſylorum Meſſaniſſa (ita ſcribam ex æreâ tabellâ legis Doriæ apud *Urſinum, in Ciceronis librum de Senectute*) fide, veritate, vigore corporis, ac liberorum multitudine longè celeberrimus. Origo ejus antiquitùs ſic tradita fuit: Antæo gigante mortuo (cujus cadaver 60. cubitos longum vidit Sertorius) uxor ejus Tinge cum Hercule concubuit; ex quibus editus Syphax, Diodorum filium habuit: Ab hoc majores Maſſaniſſæ & Jubæ. *Plutarch. in Sertorio p.572.* Temporibus illis, quibus *Romani cum Carthaginenſibus* bellum ſecundum ſuſcepere, fuerunt ex hoc genere duo fratres, Deſalces & Gala: Deſalce geniti Capuſa & Lacumaces. *Liv. lib.* XXIX. *c.29.* Gala Maſſaniſſæ pater eſt. *Liv. ibid. & lib.* XXIV. *cap. 48.*

MASSANISSÆ admodum adoleſcens eâ indole fuit, ut ſtatim appareret regnum ſuum opulentius facturum; Syphacen, *pro Carthaginenſibus* militans, magno prælio devicit. *ibid. c.49.* Sed & Romanos, bellum in Hiſpaniâ gerentes, ducibus *P. & Cn. Scipionibus* (quorum ille *Africani* majoris *pater*, hic *patruus* erat) egregiè vexavit; Pœnorum eorundem caſtra ſecutus. Dies noctesq; infeſtus aderat, ut non

vagos

vagos tantùm, procul à caſtris, lignatum pabulatumq; progreſſos, exciperet; ſed ipſis obequitaret caſtris, invectusq; in medias ſæpè ſtationes, omnia tumultibus impleret. *Idem Liv. lib. XXV. c. 34.* Sed pòſt *infeſtus Carthaginenſibus* redditus, operam navavit Romanis tàm ſtrenuam; ut nemo externus magis adnixè rem illorum adjuverit: Certè *ut Carthago frangeretur & extingueretur, hujus potiſſimùm operâ effectum eſt.* Cauſam odiorum fuſiùs exponit *Idem lib. XXIX. c. 29. 30. & ſeqq.* Romani virtutis ac fidei memores, tùm maximis honoribus affecerunt eum; tùm ampliſſimo *Syphacis regno* (quod in poteſtatem illorum venerat) *donârunt. Salluſtius in Jugurthino cap. 5. & Liv. lib. XX. c. 44.* Neque ob id beneficiarium ſuum eſſe volebant, ſed legem tulerunt; quâ Maſſaniſſæ ſolutam libertatem ab imperio ſuo tribuerunt. *Valer. lib. VII. c. 2.* ex. 6. Hujus tàm incluti muneris memoriam ad ultimum vitæ finem, longâ ſenectute donatus, conſtantiſſimâ fide perduxit: Romanos *in Hiſpanicis bellis*, quamvis ipſe domeſtico premeretur, quàm ſolicitè juvit. *Idem Valerius lib. IV. c. 2. ex. 13. ext.* Jamjam moriturus, uxori liberisq; præcepit, expectarent in dividendo regno ſuo *Scipionis Æmiliani arbitrium*; unum in terris populum Romanum, unam in populo Rom. Scipionis domum ſeſe noſſe. *ibid.* Ad centeſimum ferè annum pervenit. *ibid.* Regni ſpatium 60. annis emenſus. *Idem lib. VIII. c. 13. ex. 1. Plin. lib. VII. c. 48. Polyb. in Excerpt. Peir. p. 174.* Robore admirabilis, qui *nullo imbre, nullo frigore adduci potuit, ut caput tegeret:* Ubi ſtandum eſſet, *in eodem veſtigio*

totum diem perſtabat; non antè moto pede; quàm conſimili labore juvenes fatigâſſet: Ætatis anno 86. filium generavit. *Epitoma Liv. 50. Valer. & Polyb. d. l. Plin. lib. VII. c. 14.* Qui Methymannum, vel Mathumannum, ex correctione *Salmaſii ad Solini cap. 1.* Stembalem *Polybius*, Maſtanaban *Appianus in Lybico*, Maſtanaman *Zonaras*, Stemban *Suidas* vocat. Sed & præter hunc *quinquaginta quatuor filios* habuit. *Valerius lib. V. cap. 2. ex. 13.* Unde miratur *Idem lib. IX. cap. 13. ex. 1. ext.* Maſſaniſſam ſalutem ſuam *cuſtodiâ canum* vallâſſe: *Quo tàm latè patens*, ait, *imperium? quo tantum liberorum numerum? quo denique tam arcta benevolentia conſtrictam Romanam amicitiam; ſi ad hæc tuenda nihil canino latratu ac morſu valentius duxit?* E filiis memorantur Micipſa, Guluſſa, & Manaſtabal. *Salluſtius in Jugurth. cap. 5.* Masgaba, *Liv. lib.* XLV. *c. 13.* Miſagones, *Idem lib.* XLII. *c. 20. & c. 62. lib.* XLV. *c. 14.* Muſicanes, *Liv. lib.* V. *cap. 1. ex. 1.* Maſſugrada (è quo Dabar natus eſt, *Salluſt. in Jugurth. c. 103.*) filia, è quâ Asdrubalus, *Appianus in Punic. Epit. Liv. 50.*

MICIPSA, regni hæres, *Romanos juvit* in bello Numantino. *Salluſtius in Jugurth. c. 7.* Moriturus *Jugurtham*, Manaſtabalis fratris filium nothum, adoptavit; & teſtamento, cũ duobus filiis, Adherbale & Hiempſale, hæredem inſtituit. *ibid. c. 9.* Sed JUGURTHA poſt Micipſæ mortem agitatur regni cupiditate, utrumq;, quamvis patrueles & fratres adoptivos

optivos ſuos, interficit; nihil veritus populum Romanum, quorum in tutelâ regnum erat. *Hinc* ortum illud *bellum* celeberrimum, quod *Jugurthinum* dicitur. Sed *captus* denique *Jugurtha*, & in triumpho ductus eſt à *C. Mario*, A.M. 3846. ab V.C. 649. ipſis Calendis Januariis. Vide *Pighium in Annal. tom. III. p. 150.*

Sed tunc ſtirpi *Maſſaniſſæ* ablatum regnum non eſt: *Numidiæ* namq; Rex, poſt annos viginti reperitur HIARBAS, qui (quòd Cn. Domitium proſcriptum juvaret) à Cn. Pompejo, Sullæ juſſu, debellatus & interemtus eſt. *Epitom. Livii 89. Plut. in Pomp. p. 624. Auctor de Viris Illuſtribus c. 77. Eutrop. lib. V.* Regnum à Pompejo datum HIEMPSALI, quem *Sigonius ſcholiis ad epit. Liv. 89.* putat dicti *Hiarbæ filium* eſſe; ſed ei minimè ſubſcribimus. Malim tùm propter alia, tùm propter temporis rationem (quæ generationum intervalla diligenter attendere nos jubet) accedere *Valeſio ad Exc. Diod. Sic. p. 60*, qui putat *Micipſæ filium*, Micipſæ nepotem, Maſſaniſſæ pronepotem: Habuit enim Micipſa, Maſſaniſſæ filius, præter Adherbalem & Hiempſalem, à Jugurthâ interfectos, alium *cognominem natu minimum*; qui " omnium Numidiæ Regum clementiſſimus, accerſitis è Græciâ viris doctiſſimis, cùm omnibus diſciplinis, tùm maximè philoſophiæ operam in eorum contubernio impendit; atque ita in regno ac philoſophiâ conſenuit; ut eſt apud *Diod. Sicul. in Exc. Peir. p. 387.*

Ut autem à Micipsâ poſteriores hoſce Reges credam, facit locus *Strabonis, lib. XVII. p. 833.* ubi ait,

ditionem, Carthaginenſibus ſubditam, Romanos in provinciæ formam redegiſſe; niſi quòd Maſſaniſſæ partem tradiderunt, ejusq; poſteris, à Micipsâ genus ducentibus. Qui Micipſæ poſteri, niſi *Micipſa junior, Hiempſal* & ſucceſſores ejus? Hiempſalis verò præter *Plutarchum l. c.* meminit *Cic. in ſecundâ contra Rullum c. 22. & in eâ contra Vatinium c. 5. Appianus lib. I. Civ.* Adde *Plutarchum eundem in Mario p. 428, 429.*

Hiempſalem excepit JUBA filius, *Dio lib. XLI. p. 172.* Hic eſt, qui à partibus Pompejanis ſtetit, ac *victus eſt à Jul. Cæſare* Dictatore, ſingulari *cum Petrejo* certamine congreſſus eſt; ita, ut alter alterius manu caderet. *Seneca de Provid. c. 2. Dio lib. XLIII.* Sed *Appianus* auctor eſt, Petrejum interfectum eſſe à *Jubâ*, & hunc à ſervo. Incidit hæc Jubæ clades & mors in A. M. 3904. Tùm regnum ejus in *provinciæ formam* redactum eſt.

Sed Auguſtus Imperator JUBÆ filio regnum paternum reſtituit. *Dio lib. LI. p. 454.* Eidem *in matrimonium* data *Cleopatra*, Antonii & Cleopatræ filia. *Sueton. in Calig. c. 26.* Nihilominus idem Auguſtus pro reſtituto paterno regno, Getuliæ quædam, cum Bocchi Bogudisq; ditionibus, poſteà dedit, hoc eſt, A. M. 3925. A. V. 728. *Idem Dio lib. LIII. pag. 514.* Fuit hic Rex *hiſtoricus* longè *florentiſſimus*, cujus libri, paſſim laudati veteribus, cum magno literarum detrimento, perierunt.

Ex eo & Cleopatrâ natus PTOLEMÆUS, quem *C. Caligula*, nobiliſſimorum virorum carnifex, ob divitias, quas poſſidebat, interfecit; quamvis con-

ſobrinus

ſobrinus eſſet. *Dio lib. LIX. p. 659. Sueton. d. l. Seneca l. de Tranquillitate animi, c. 11.* Quiſquis vir erit, notabit hos perpetuos illuſtrium regnorum & Regum exitus; *ſerios mehercle ſapientiæ modeſtiæq; magiſtros!*

CAPUT XIV.

Reges & res populi Romani quàm breviſſimè recenſentur, usque ad tempora Monarchiæ.

ANtequam Cæſarum catalogum recenſemus, pauca quædam de ſtatu populi Romani altiùs repetenda ſunt; quod nî fiat, tyronem ἐν σκότῳ ῥέμβεσθαι, hoc eſt, in tenebris repere neceſſe eſt. Româ conditâ, quod notum, à Romulo & Remo (factum id A. M. 3198, regnante apud *Medos Articâ*) regius ſtatus populo placuit. *Dionyſ. lib. II. c. 4.* Ex quo loco *originem legis regiæ* nobis exſculpere volunt viri docti, ſucceſſu minùs felici.

Hinc ROMULUS SYLVIUS (cujus majores ſuprà dedimus) NUMA POMPILIUS, Pomponis Pompilii filius (*Liv. lib. XL. c. 29. Dion. lib. II. c. 59.*) TULLUS HOSTILIUS, Hoſti filius (*Macrob. lib. I. Saturn. c. 6.*) Hoſti & Herſiliæ nepos (*Macrob. d. l. Aurelius Victor in Romulo. Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. III. c. 1. Liv. lib. I. c. 22.*) ANCUS MARTIUS (quem Numæ Martii filium, Numæ Martii nepotem, M. Martii pronepotem voluit *Pighius, Sigonius, & Goltzius*; ſed quam aſſertionem alibi examinabimus) L. TARQUINIUS PRISCUS, Demarati filius, è Bacchiadarum, hoc eſt, ipſius Herculis poſteritate (*Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. III. c. 59. Liv. lib. I. cap. 34.*

Strab.

Strab. lib. V. p. 219. & lib. VIII. p. 338. Plin. lib. XXXV. c. 3. & 12. Tac. lib. XI. Ann. c. 14.) & SERVIUS TULLIUS, S. Tullii Corniculani & Ocriſiæ filius (*Dionyſ. Halic. lib. IV. c. 1. Liv. lib. I. c. 39. Valer. Max. lib. III. c. 4. Auctor de viris illuſtribus in Tullio, Plinius lib. XXXVI. c. 27.*) Hi *ſex*, inquam, regnârunt usq; *ad illud tempus, quo Cyrus Babylonicum imperium deſtruxit*; & ſub iſtis adeò crevit Roma, ut, cùm Servius Tullius *primum luſtrum* conderet, ſuprà *octoginta quatuor millia ſeptingentos* in Cenſoriis tabulis repertos ſcribat *Dionyſ. lib. IV. c. 26.* L. TARQUINII SUPERBI, qui regnum ſcelere invaſit, L. Tarquinii Priſci nepotis (vide notas *Flori lib. I. c. 7. §. 2.*) ultimi Romanorum Regis, initium incidit in A. M. 3417, cùm jam *Cyrus monarchiam* ſuam ſtabiliviſſet.

Eo cum liberis pulſo, L. JUNIUS BRUTUS populum in libertatem aſſeruit; ut deinceps, loco Regum, in ſingulos annos Coſſ. crearent. Quam poteſtatem mutationes quædam interruperunt; ſed non diu: Nam Dictaturæ ad tempus ſumebantur. Decemviri circa A. V. 302. A. M. 3500. (*regnante* apud Perſas *Artaxerxe Longimano*) legum ferendarum cauſa ſummâ cum poteſtate creati (cùm dominationem contra leges retinerent) *tertium intra annum* dejecti ſunt. Tribuni autem militum Conſulari poteſtate circa A. V. 309; A. M. 3507, primùm inſtituti, non proceſſerant ultra A. V. 386; quo *ultimi creati* ſunt. Et tamen intermedio quoque tempore ſæpiùs, & aliquando plures per annos *continua Conſulum comitia* habebantur.

Tempore

Tempore autem illò, quo *Perſæ* rerum in *Oriente* potiti ſunt, usque ad initium Alexandri M. Romanorum res bello geſtæ præcipuè fuerunt hæ: *Pulſi* in æternum *Tarquinii: Porſennæ obſidio* fortiter tolerata: *Latinorum* exercitus ad lacum *Regillum* cæſus: Suſceptum *cum Volſcis bellum*, & licet fortuna aliquoties nutâſſet, *cæſis* eo bello *306. Fabiis*; ad ultimum tamen penes Romanum confecti belli gloria ſtetit. Eâdem fortunâ fracti *Æqui* & *Sabini*: *Fidenæ* captæ: *Vejentum* urbs *decennali* bello expugnata; ſed mox ad *Alliam* afflictæ res, *occupata* urbs *à Gallis*. Nihilominus velut ex inferis emerſit populus Romanus, fortunâ ſeminante diſcordias inter victores. Tum rurſus arma proſperè ſumpta contra *Volſcos, Æquos, & Præneſtinos: Galli, Samnites*; & alii haud ſemel proſtrati. Breviter, à regifugio usque ad A. V. 419. A.M.3620. (quo *Darius Codomannus* interfectus eſt) populus Rom. *quater & quinquagies* de vicinis hoſtibus *triumphavit*. Imò reſp. tantarum virium tùm fuit, ut *Liv. lib. IX. c. 17. & ſeqq.* æſtimatâ *Romanorum* & *Alexandri Magni* potentiâ, tandem concludat; ſi Alexander in Italiam trajeciſſet, non tàm facilem victoriam de populo Romano futuram fuiſſe.

Poſt mortem Alexandri, quæ Romanis bella fuerint, *Beſoldus* explicavit *in Synopſi majore cap. 14.* Nec habeo, quod addam; imò contraham in pauca. E validiſſimis nationibus & populis (quos *intra Italiam* ſubegere) fuerunt *Samnites, Hetruſci, Lucani, Bruttii, Tarentini, Saſſinates, Picentes, Sallentini, Meſſapii.* Extra Italiam *Siculi, Corſi, Sardi, Illyrii, Pœni,* *Græci,*

Græci, Iſtri, Dalmatæ, Baleares, Thraces, Cilices, Galli & Hiſpani. Reges victi vel capti; *Pyrrhus*, quem Hannibal (nullâ mentione Alexandri M. factâ) præcipuè commendavit; & poſt iſtum *Hiero, Syphax, Philippus, Antiochus M., Perſes, Gentius; Betultus, Jugurtha, Mithridates, Tigranes*; quos jam ſuprà recenſuimus. *Triumphos* à temporibus *Alexandri M.* usque ad Dictaturam *Cæſaris* populus Rom. vidit *184*.

Ita cùm ad ſummum veniſſet Respublica, de ſtatu ſanctitatis & virtutis præceps data eſt. Nec opus, ut de re notiſſimâ verba faciam; Sciunt enim, qui *Salluſtium in Catil. Florum lib. III. c. 12.* & alios legerunt. Hinc ſeditiones & bella civilia: Nec aliud remedium diſcordiarũ fuit, quàm ſi ad unius flagra deducerentur omnes. Monarchiam autem ſicut *C. Julius Cæſar* metatus eſt, ita *Auguſtus* ſtabilivit, & adamantinam effecit. Quin ſub hoc ipſo *Ægyptus, quarta Monarchiæ Macedonicæ pars*, imperio Romano ceſſit: Ut multi Romanæ Monarchiæ initium hinc ordiantur; quod etiam nos fecimus in *Hiſtoriâ Imperii Romani, quam proximè continuaturi ſumus*: Sed aliis C. *Julium Cæſarem* in Imperatorem catalogum recipere placuit, quos Beſoldus ſequitur; neque hîc ab illo recedere nobis placet.

CAJUS JULIUS CÆSAR.

Caji Cæſaris genus. Dies *pugnæ* Pharſalicæ. *Cæſar contra vulgatas calumnias breviter defenditur. Iudicium viri maximi de eodem.*

Nobili-

Nobilitatem generis antiquam ſuprà jam oſtendimus: Continuam majorum ſeriem per monumentorum inopiam dare non poſſumus. Atavus *L. Julius*, quos magiſtratus geſſerit, incertum eſt; nomen è deſcriptione poſterorum Capitolinâ novimus. Abavus *Sextus Julius Cæſar*, Prætor A. V. 547. Siciliam ſortitus eſt. *Liv. lib. XXVII. cap. 23. 24.* Proavus *Sex. Julius Cæſar*, Conſulatum geſſit A. V. 596, collegâ L. Aurelio Oreſte. Avus *C. Julius Cæſar*, Martiam, ab Anco Martio Rege oriundam, uxorem habuit. Pater *C. Jul. Cæſar*, Piſis (dum manè calcearetur) nullis evidentibus cauſis, nulloq́; manifeſto morbo, exanimatus eſt. *Plin. lib. VII. c. 53.* Patruus *Sext. Julius Cæſar*, Conſul, A. V. 662, collegâ L. Martio Philippo. Reperiuntur & *L. Julius Cæſar*, & *C. Julius Cæſar Strabo* orator, L. Cæſaris filii; quorum ille Conſul A. V. 663, collegâ P. Rutilio Lupo: Uterque occiſus bello civili Mariano. Hi *Cajo Cæſari*, patri Dictatoris, *fratres patrueles* fuerunt. Nullos de hoc genere fumos nos vendidiſſe, ſciunt illi, qui tabulas Capitolinas & nummos Cæſarum apud *Goltzium in Faſtis*, *Urſinum in gente Juliâ* conſuluerunt.

Natus autem C. Julius Cæſar Dictator, A. M. 3850, A. V. 653, anno primo Olympiad. 170. *Phlegon apud Scalig. p. 339.* Diem fuiſſe tradunt quartum Iduum Quintilis. Conſulatum adeptus eſt A. V. 694, collegâ M. Bibulo. *Pompejum* A. V. 705, hoc eſt, A. M. 3902. ad Pharſalum *vicit*, a. d. 13. Calend. Sextiles; quem diem, *ob extinctam libertatem* populi Romani *valdè memorabilem*, ignoravit *Onuphrius*.

At

At nos hodiè ſcimus è Calendario veteri apud *Gruterum Operis Æterni p. 133.*

Poſt victoriam inſolentiorem factum, & tyrannica multa patrâſſe, ait *Beſoldus in Synopſi majore*, propter ea, quæ *Suetonius* refert *in Cæſare, c. 76. 77. 78.*
„ Imò propter multitudinem ita judicantium. Eſt
„ enim (pace tanti nominis dixerim) ex illo genere
„ Scriptorum; qui ſequiùs eunt; non quâ eundum
„ eſt; ſed quâ itur. Quod ſi conſidero Conſulum, Proconſulum, aliorumq; ſuperbiam & immanitatem; omnia Cæſaris, cum illis collata, ne apparere quidem videntur. De honoribus divinis, quos decerni ſibi paſſi ſunt, vide *Caſaub. ad Sueton. Auguſtum cap. 52.* De immanitate ac crudelitate illorum ipſorum, quos Cæſar adverſarios habuit, audite quæſo *Ciceronem lib. IV.* ep. 14: *Si ii viciſſent, ad quos acceſſeram* (hoc eſt Pompejani) *intelligebam tamen & iratorum hominum, & cupidorum & inſolentium, quàm crudelis eſſet futura victoria.* Et item *lib.* IX. ep. 6: *Crudeliter otioſis minabantur* (nota hîc diſſimilitudinem Cæſaris, qui, ut eſt apud *Suet. in Cæſ. c. 75.* medios & neutrius partis ſuorum ſibi numero futuros pronunciavit) *eratque iis & tua inviſa voluntas & mea oratio.* Denique *lib. VII.* ep. 3: *In bello rapaces, in oratione ita crudeles, ut ipſam victoriam horrerem &c.*

Valdè premere ſe putant Cæſarem, objiciendo ſcelus armorum in rempublicam. Quæſo vos, an per illum ſtetit quieſcere? pacem voluit, non impetravit. En rurſus *Cic.* Pompejanum *lib.* IV. ep. 1: *Incideram in hominum pugnandi cupidorum inſanias.* Et *lib.* IX. ep. 6:

ep. 6: *Vidi noſtros amicos cupere bellum.* Adde *lib. XVI. ep. 10. lib. VIII. ad Attic. ep. 11.* & intelliges alterius partis ſummam injuſtitiam. Et quid vocatis rempublicam? nulla reſpublica fuit, antequam Cæſar Pompejum vinceret. Nec abſurdum eſt, quòd in culpam trahitis illius dictum: *Nihil amplius eſſe rempublicam, appellationem modò ſine corpore ac ſpecie.* Totum locum conſiderate, nihil aliud voluiſſe dicetis Cæſarem; niſi *republicâ corruptâ, unicum remedium eſſe dominationem unius.* Hoc idem non ex adulatione, ſed ex animi ſententiâ, ſub Auguſto & poſt Auguſtum, pronunciârunt viri rerum civilium peritiſſimi. Videte *Tacit. lib. I. Hiſtor. c. 1. & 16. lib. I. Ann. cap. 9. Flor. lib. IV. c. 3.* ex emendatione *Freinshemii.* Imò nec alia mens ipſius *Ciceronis* fuit *lib. I. de naturâ Deorum, c. 4.* Fuſiùs hæc diduximus *lib. I. Obſervationum Pomponionarum, c. 12.* Ubi ſimul probavimus illud, rempublicam fuiſſe nullam ante prælium Pharſalicum. Hoc ipſum eſt, quod paſſim dicit Romanus ſapiens: nimirum, *rempublicam non fuiſſe ibi, ubi Pompejus ſteterit*; legenda *epiſt. 104. ſub finem.*

Ut me paucis abſolvam; veneror judicium *Jul. Cæſ. Scaligeri*; qui rogatus à Gallo, quid de Cæſare ſentiret? *Non reſpondebo,* inquit. Quamobrem? *Quia,* inquit, *nolles me reſpondiſſe. Hoc tibi volo gratificari: De viro enim illo non poſſe quicquam ferè dici, quin de omnium Imperatorum, gentium omnium; laude detrahatur; neque putare ſeſe, illum fuiſſe hominem, niſi eſſet mortuus.* Refert *Johannes Bergius*, Rutenus Medicus, ſub finem *Confutationis fabulæ Burdonianæ:*

pag.424.425. Unum illum non ſuprà gentiles tantùm, ſed quàm plures Chriſtianos (*quales hodiè quidem ſumus*) collocat, & ſideribus eum inſcribit, quòd *neminem acerrimorum hoſtium poſt commiſſum prælium occidit, omnes veniâ proſecutus eſt; honoribus & divitiis auxit:* Unde prorſus abominabiles, qui eum occiderunt. *Gravis erat liberis ipſa beneficiorum potentia,* inquit *Florus lib. IV. c.2. §.92.* ô pulcerrimam tanti facinoris rationem! beneficiorum magnitudine Cæſar mortem meruit! Nolo plura. Nam quæ huc faciunt, jam attulimus *in Prolegomenis Hiſtoriæ Romanæ, & ad Velleji lib. II. c. 72.* Reliqua verò Cæſaris petenda ſunt è *Plutarcho, Suetonio, Dione, Floro, Vellejo, Appiano, ipſo Cæſare, Sigonii & Pighii Annalibus.* Habeo prætereà *de præſtantiâ C. Julii Cæſaris libros tres,* conſcriptos à *Franciſco Florido Sabino,* editosque Baſileæ anno 1540.

TRIUMVIRATUS.

ILle ipſe ſanguis, è quo libertatem *Caſſius* & *Brutus* fluituram exiſtimabant, libertatem extinxit. Sublato, quem tyrannum dicebant, tyrannis longè immaniſſima emerſit; *& nihil quicquam Idibus Martiis profectum eſt.* Triumviros Reipublicæ conſtituendæ ſe fecerunt C. Julius. C. F. C. N. *Cæſar Octavianus,* M. Antonius, M. F. M. N. Marcus Æmilius, M. F. Q. N. *Lepidus.* Horum facinora ſi cognoſcere aves, explicabunt *Dio lib. XLVI. & Johannes Antiochenus,* Dionis compilator, *in Exc. Peireſc. p. 799.* Jungen-

Jungendus auctor *nobiliſſimus orationis*, cui titulus, *Tricipitina*; quæ *ad nummum quintum Octavii Stradæ* in univerſitate noſtrâ habita eſt.

IMPERATOR CÆSAR AUGUSTUS.

Octavianus quo tempore Pompejum *&* Antonium *vicerit?* Alexandriam *ceperit?* Auguſtus *appellatus ſit?* Triplex initium *Auguſti. Ianus ter clauſus, & quibus annis? Lipſii hallucinatio. Lacuna in Dione oſtenditur, non animadverſa* Caſaubono *&* Scaligero. *Quintilius Varus quo tempore cæſus?* Beſoldi *inadvertentia.* Virgilius *&* Horatius *quibus annis mortui?* Curtii *ætas incerta. De* Beſoldo *admonitiuncula*, cautè legendum in *hiſtoria* ſacrâ.

C. Octavius, C. F. C. N. C. PRON. C. ABN. (*Inſcriptio VII. p. 225.*) natus nono Calendarum Octobris (*Sueton. in Auguſt. c. 5. Inſcriptio IV. p. 175. & VIII. p. 228. & I. p. 229.*) poſt ſolem occaſum, ut contra Suetonium volunt viri docti, *Caſaub. ad Suet. Auguſt. cap. 5.* Poſt parentis mortem magnâ curâ educatus ab Atiâ matre & L. Marcio Philippo vitrico (*Nicol. Damaſc. in Exc. Peir. p. 472. & ſeqq.*) à C. Julio Cæſare, avunculo magno, *adoptatus*; & C. Julius Cæſar *Octavianus* dictus eſt. Interfectores parentis lege Pedia aggreditur A. V. 710. *Vellejus lib. II. c. 69.* Sextum Pompejum Cn. F. A. V. 717. M. An-

tonium ad Actium A.V.722. ante diem quartum Nonas Septembr. vincit. Altero anno, Calendis Sextilibus, Alexandriam cepit. *Welſerus lib. II. Rerum Auguſtæ Vindelicorum.*

A tempore *Antonii* ſublati *Monarchiam Auguſti* computat Beſoldus, cum quàm plurimis. Sed notabis *triplex* eſſe *initium Auguſti*, de quo *Lipſius ad Tac. lib. I. Ann. c. 9. Baronius* in apparatu *ad Annal. Eccleſiaſticos, n.104.105.* Quemadmodum ſcilicet *tria* ſunt initia *Cyri*, *duo Caroli M. Scal in Euſ. n. 1456.*

AUGUSTUS primùm cognominatus eſt Idibus Januariis, A.V.726. Ipſo ſeptimùm, M. Agrippâ tertiùm Coſſ. *Caſaub. ad Suet. Auguſt. cap. 7. Scal. ad Euſeb. n. 1988.* Janum cluſit ter, *primùm* A.V. 724. ſe quintùm, Sexto Apulejo Coſſ. *Dio* in rebus illius anni *lib. LI. p. 417.* Nummus inſcriptus: IMP. CÆS. DIVI F. COS. V. IMP. VI. S.P.Q.R. Quòd in alterâ parte *ſtatuam equeſtrem* Cæſaris *pacificatoris* habet, hinc explicandus eſt. *Secundò* A.V. 728. ſe nonùm, M. Junio Silano Coſſ. *Dio lib. LIII. p. 515.* Errat *Lipſius lib. I. Electorum c. 20.* qui hoc factum ſcribit in Conſulatu X. Sed fortaſſis correxit ſe in editionibus noviſſimis; mea enim prima eſt. *Tertiò* vult idem *Lipſius*, clauſum A.V.730. in Conſulatu Auguſti XI. ex *Inſcriptione II. pag. 149.* Diſſentit *Caſaub. ad Suet. Auguſtum, c. 22.* Lipſii graviſſimus lapſus eſt, qui *lapidem* exiſtimavit pertinere ad A. V. 730. cùm in eo legatur annus TRIBUNIT. POTEST. XII. Auguſtus enim in Conſulatu XI. nondum Tribunitiam poteſtatem acceperat: Mihi *ſaxum* illud *verè ſaxum* eſt;

eſt; nequicquam huc facit, ob inconſtantem incertamq; ſcripturam in linea ſecunda. *Caſaubono* planè aſſentior, *tertium* fuiſſe *clauſum circa tempus nativitatis Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*. Hoc è veteribus decerptum refert *Oroſ. lib. VI. c. 22.* Sed quòd ait *Caſaubonus*, Dionem hujus rei non meminiſſe in rebus illius anni explicandis, prorſus ineptum eſt. An enim quicquam ex hiſtoriâ Dionis ſupereſt de anno urbis 750. *quo Chriſtus natus* eſt? nihil omninò, & *triennii hiſtoria periit*, hoc eſt, anni *748*, quo Coſſ. C. Calviſius Sabinus & L. Paſſienus Criſpinus Ruffus; & *750*, quo *Chriſtum natum* eſſe, peritiſſimorum Hiſtoricorum & Chronologorum conſenſu traditum eſt; & quo Conſulatum geſſerunt L. Corn. Lentulus, M. Valerius Meſſallinus Cotta. Hoc cùm non obſervârint, *qui Dionem ediderunt*, in errores varios induxerunt maximos viros, *Caſaubonum* & *Scaligerum*; ſicut à nobis *in Hiſtoria Romani Imperii* demonſtratum eſt. Atq; hæc dicenda fuerunt, quòd Beſoldus hiſtoriam *Jani clauſi*, velut cognitu dignam, in medium protulerit.

Sequitur apud eundem *in majore Synopſi* error, Bavarico ſue pinguior. Meminit atrociſſimæ cladis, quam Auguſtus accepit in Germaniâ, cæſi ad internecionem tribus legionibus, cum duce Quintilio Varo. Accidit C. Poppæo Sabino, C. Sulpitio Camerino Coſſ. hoc eſt, A. V. 761. Quod de *Tac. lib. I. Annal. c. 62. §. 1.* manifeſtum; & nos è *Dione* ampliùs demonſtravimus *contra Baronium in Hiſt. Imperii Romani*. Baronius rejecerat in A. V. 762. Quo P. Corn.

Dolabella, C. Junius Silanus Coſſ. fuerunt. Sive Baronii, ſive noſtram ſententiam ſequi velis; tamen minimè admittere debes, quòd *Beſoldus* ait, *hujus Quintilii Vari morte adeò perturbatum fuiſſe Virgilium, ut Horatius carmine pulcerrimo conſolatus ſit, lib. I. oda 24.* Uterq; *Virgilius* & *Horatius*, diu *ante* cladem Quintilii Vari *mortales reliquere:* Nam Virgilius mortuus eſt A. V. 734. C. Sentio Saturnio, Q. Lucretio Veſpillone Coſſ. ante diem 10. Cal. Octobris. Auctor vitæ Virgilii *Donato* adſcribitur; idemq; tempus aſſignavit *Hieronymus n. 1997.* Nec aliud ſenſit *Phlegon apud Scal. p. 341*, qui Virgilium obiiſſe ſcribit anno ſecundo Olymp. 290. Horatii mors incidit in A. V. 745. & Conſulatum C. Marcii Cenſorini, C. Aſinii Galli quintùm, Calend. Decembris; ut nos docet *vita* illius *è vetuſto codice* deſcripta, & publicata tùm ab aliis, tùm à *Bersmanno* & *Heinſio*. Neſcio igitur, quò mens Beſoldo abierit, cùm hæc ſcriberet? Breviter: *de alio Quintilio* capiendus eſt *Horatius*. Sed & ad Auguſti ævum *Beſoldus* refert *Quintum Curtium* Hiſtoricū, quo nihil quicquam incertius eſt: Fuerunt quidem ſententiæ hujus *Angelus Rocha in Bibliotheca Vaticana, Joh. Jacob. Friſius in Biblioth. Chronologica, Joh. Georg. Herbartus, Joh. Maria Catanæus;* aliter judicârunt *Rutgerſius, Barthius, Pontanus*, ſed omnibus diligenter expenſis, tandem doctiſſimi viri pronunciârunt, incertum eſſe, quo tempore Curtius vixerit. Conſulendus *Freinshemius in proleg. ad Curtium c. 1.* ubi de Curtii nomine, ætate, conditione.

Multa poſthæc *Beſoldus* refert *de nativitate Salvatoris*

vatoris noſtri, quæ velim *cautè legas*; conſarcinata ſunt è variis, bonis & malis. Certè, quæ *de anno nativitatis* B. Virginis ex *Nicephoro* ſcribit, parum firma nituntur baſi; quod idem monuimus *in Hiſtoriâ Imp. Rom. in A. V. 736.* Sed hæc omnia Theologis relinquimus. Cætera, quæ de Auguſto dicenda ſunt, petet ex *eadem Hiſt. noſtra,* qui volet. *Nobis in hac Monarchia propoſitum eſt ſaltem ea explicare, quorum Beſoldus meminit.*

TIBERIUS CLAUDIUS NERO.

Tiberii laudabilia & vituperanda. De Tacito ſincerum judicium, Politicum *potiùs* bonum, *quàm Hiſtoricum eſſe.* Beſoldi furtum *è Baronio.*

HUnc Beſoldus *Claudium Tiberium Neronem* dicit, & nepotem & ejus è fratre *Cl. Tiberium Druſum*; perinde ac ſi *Beſoldum Chriſtophorum* dicerem, pro *Chriſtophoro Beſoldo.* Tiberius Claudius Nero dictus eſt adhuc privatus à patre, & multis majoribus (vide *Hiſt. Imp. Rom. in A. V. 729.*) at ab Auguſto *adoptatus*, frequentiùs deſcribitur *Tiberius Julius Cæſ.* vel *Tiberius, Divi Auguſti filius.* Nummos inſpice apud *Goltzium in Theſ. c. 4. p. 34. & 35.* Hujus Principis hiſtoriam qui legunt, obſervabunt ſummam benignitatem in juvandis illuſtribus familiis. *Tac. lib. I. Ann. c. 75. §. 2. lib. II. Ann. c. 37. §. 1. & c. 48. §. 1. lib. III. Annal. c. 8. §. 2. & c. 18. §. 2.* In reſtaurandis

civitatibus terræ motu collapſis. *Tac. lib. II. Annal. c. 47. §. 3. & lib. IV. Ann. c. 13. §. 2. Joh. Antiochenus in Exc. Peir. p. 80.* In reficiendâ fide & liberandis debitoribus. *Tac. lib. VI. Annal. c. 17. §. 6.* in annonæ caritate ſublevanda. *Tac. lib. II. Ann. c. 87. §. 1. & lib. IV. c. 6. §. 7.* in reſarciendis damnis, ex incendio acceptis. *Vellejus lib. II. c. 120. Tac. lib. IV. Annal. c. 64. §. 2. 3.* Ut facere injuriam videatur *Suetonius in Tiberio cap. 47.* De Hortalo ſcio, quæ ſcribit idem *Tac. lib. II. Ann. c. 37. §. 1.* Sed neſcio, an dignus ille fuerit liberalitate Tiberii; ſiquidem idem eſt cum illo Hortenſii nepote, cujus impudicitiam notavit *Val. Max. lib. III. c. 5. ex. 4.* Eundem eſſe putavit *Lipſius.*

Obſervabunt præterea Tiberii civilitatem intra privatum modum. *Suet. in Tiberio c. 26. Tac. lib. II. Ann. c. 34. §. 5.* Generoſitatem ſingularem in repudiandis nimiis honoribus. *Suet. d. l. Tac. lib. I. Ann. c. 72. §. 2. lib. II. Ann. c. 87. §. 2. lib. III. Annal. c. 59. §. 2. lib. IV. Annal. c. 37. §. 2.* Virtutem eandem in ſpernendis adulationibus. *Suet. in Tib. c. 77. Tac. lib. III. Ann. c. 44. §. 5. & c. 65. §. 3. & lib. IV. c. 6. §. 2.* Patientiam in ferendis calumniis. *Suet. c. 28. Tac. lib. I. Annal. c. 47. §. 1. lib. II. c. 50. §. 2. lib. III. c. 10. §. 4. & c. 44. §. 4. lib. IV. c. 34. §. 1.* ſingularem humanitatem in Senatum. *Suet. c. 29. 30.* Per quem multa maxima tractari voluit. *Tac. lib. I. Ann. c. 3. §. 9. c. 6. §. 7. & lib. III. Ann. c. 60. §. 1. lib. IV. c. 6. §. 2. & c. 15. §. 3.* Imò caſtigavit patres, quòd cuncta curarum ad Principem rejicerent. *Tac. lib. III. Annal. cap. 37. §. 1.*

Nec

Nec deerunt ipſis exempla Juſtitiæ contra præfectorum avaritiam. *Suet. cap. 30. & 32. Tac. lib. IV. Ann. c. 6. §. 7. & c. 15. §. 4. 5.* In cauſis propriis. *Tac. lib. III. Ann. c. 8. §. 2. & c. 12. §. 5. 6. & ſeqq. lib. IV. c. 7. §. 1.* In cauſis aliis. *Tac. lib. IV. Ann. c. 22. §. 2.* Æquitatis in moderandis atrociſſimis Senatorum ſententiis. *Tac. lib. III. Ann. c. 51. §. 2. & c. 69. §. 1. & c. 70. §. 2. lib. IV. Ann. c. 30. §. 1.*

Habebunt ſtudium utilitatis publicæ. *Suet. c. 33. Tac. lib. IV. Ann. c. 13. §. 1.* Et frugalitatis. *Suet. c. 34. Tac. lib. 3. Ann. c. 52. §. 2.* Abſtinentiæ ab alienis opibus. *Tac. lib. III. Ann. c. 76. §. 2.* Etiam cùm hæres nominatus eſſet. *Tac. lib. II. Ann. c. 48. §. 1. 2.* Candoris in promovendis dignioribus. *Tac. lib. IV. Ann. c. 6. §. 3.* Conſtantiæ in perferendis calamitatibus *Tac. lib. III. Ann. c. 44. §. 4.* Sanctitatis erga hoſtem acerrimum, quem veneno tollere noluit. *Tac. lib. II. Ann. c. 88. §. 1.*

Hæc & alia quamplura ſcio *Tacitum* referre ad ſimulationem; ſed eſt *Senatoriæ factionis Scriptor*; quem ut egregium politicum eſſe confiteor, ſic *bonum Hiſtoricum eſſe, ferè dubito.* Num enim Hiſtorico ſic licet judicare, ac ſecundum ſuſpiciones detorquere utilia facta in pejus; facere denique id, quod araneus ſolet in roſa? Fatetur *Dio lib. LVII. p. 62,* dixiſſe Tiberium: *Principis animum nemini cognitum eſſe debere.* Et *Tacitus* non ſemel in Tiberio notat, *quòd nemini patuerit.* Vide *lib. I. Ann. c. 11. §. 5. & c. 33. §. 4. & c. 16. §. 2. lib. IV. c. 1. §. 4.* Quomodo igitur *Tacitus* poſt tot annos Tiberii ſenſus ſecretiores

cognitos habuit, ut ſciret omnes ſimulatæ modeſtiæ cauſas, omnes arcanos metus, omnem occultam invi-
„ diam, & omnia alia? *Non eſt homo ſcriptor hic, ſed*
„ *Deus; cui ſoli animorum noſtrorum ſecreta recluſa*
„ *ſunt: Vel certè Pythagoricâ quadam metempſychoſi*
„ *in Tacitum migravit Tiberii animus.* Non ad Scriptores ſuperioris ſeculi confugere poteſt, quos ſcit eſſe corruptiſſimos, *lib. I. Ann. c. 1. §. 5.*

Nobis, qui ſimpliciores ſumus, longè videretur in publicum utilius, facta Principum, ſi tolerabilia ſint, nullâ interpretatione triſtiori additâ, memorari; quòd neceſſe ſit, Principis viros, hâc judicandi licentiâ perſpecta, omnium factorum ſuorum ſiniſtras explicationes metuere; atque ex deſperatione in atrociſſima quæq; prolabi. Quis enim *Tiberium munificum* ac moderatum imitabitur, ſi ne ſic quidem tutum cognoverit à tàm rigeroſo examine Hiſtoricorum?

De ſequioribus factis aliter judico; hæc enim exaggerare præſtat, ut ex poſteritate & infamia metus ſit. Idem *Tac. lib. III. Ann. c. 65. §. 1.* qualia ſunt *Tiberii* nimius *favor erga Sejanum*, & libidines inauditæ, & permiſſa accuſandi rabies; quæ qui excuſare velit, non homo, ſed beſtia videri meritò poteſt.

Hoc unum addo de Tiberio, videri Romanos *contumacia* ſua *crudeliorem* aliquantò effeciſſe. Vide *Tac. lib. I. Ann. c. 6. §. 6. & c. 72. §. 6.* De *Agrippina*, cujus domum afflixit, res certa eſt, ferociſſimam contra Principem fœminam fuiſſe. *Tac. lib. I. Ann. c. 33. §. 5. lib. II. c. 72. §. 1. lib. IV. c. 52. §. 3.* At tum locum habet, quòd Alexander M. apud *Curt. lib. VIII.*

cap. 8.

cap. 8. §. 8. ait: *Regum ducumq́; clementia, non in ipſorum modò, ſed etiam in illorum, qui parent, ingenuis ſita eſt; obſequio mitigantur imperia, ubi verò reverentia exceſſit animis, & ſumma imis confundimus; vi opus eſt, ut vim repellamus.*

Atque hæc hactenus libertate indubiè majore, quàm nonnulli vellent; *qui veritatem volunt eſſe, quicquid amor partium ſuadet.* Longè aliter judicarent, ſi penitiùs introſpicerent mores Senatorum, mentiendi libidinem, totius imperii ſtatum; æternùm ſanè futurum, ſi ad illud gubernandum *Tiberii prudentiam* attuliſſent omnes. Imò ſi cogitare vellent, quàm juſtas haberent cauſas recedendi à Scriptoribus *Senatoriæ factionis*, verè impiis atque blaſphemis. *Tiberius de* recipienda *Chriſtiana religione cogitârat*, & ad Senatum retulerat; ſed reſtiterunt omnes animo ſceleratiſſimo; quod Scriptores è Chriſtianis fide digniſſimi referunt. Faveat ergo Senatui, qui volet. *Tacitum Chriſtiani nominis deterrimum hoſtem*, religioſè colat; nos liberè pronunciamus, aurum mentiri potiùs, quàm aureum eſſe; & animum non tàm Tiberianum nobis depingere, quàm ſuum.

Cætera Tiberii exſequor *in Hiſt. Imp. Rom.* De *Beſoldo* notabis hoc, *hiſtoriam Sejani* in Synopſi majore non ſuis *verbis* referre, ſed *Baronii*; quem exſcripſit in *A. C. 33. n. 47*, ut & alibi ſæpiùs. Et quamvis aliquando nominare ſoleat, tamen id tàm ſubdolè facit, ut neſcias, quæ *Baronii*, quæ *Beſoldi* ſunt. Qui laudare poteſt *aliena ſpolia ſub ſuo titulo* dedicantes, is æquo animo feret hanc *apem* noſtram, *an fucum?*

CALI-

CALIGULA.

Caligulæ parentes & avi. Tempus, quo imperium accepit, & occiſus eſt. De eodem Senecæ *judicium.*

C. CÆSAR AUG. GERMANICUS ſemper hic dicitur in nummis & inſcriptionibus, *nunquam Caligula*; quem in caſtris ſic appellaverant. *Tac. lib. I. Ann. c. 41. §. 4.* Pater Germanicus Cæſar, notiſſimus heros. Avus primus Nero Claudius, Druſus Germanicus, frater Tiberii. Avia paterna Antonia Auguſta, ut appellat *Inſcr. IX. p. 236.* M. Antonii Triumviri filia; vide *Lipſ. ad Tac. lib. III. Ann. c. 3.* Mater Julia Agrippina, *Inſcr. VII. & VIII. p. 238.* Avus maternus M. Vipſanius Agrippa; avia materna Julia, Auguſti filia; *Inſcr. IV. p. 237. vid. Lipſ. in Stemmate Auguſtæo.*

Succeſſit A. V. 789. Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigrano Coſſ. Occiſus eſt A. V. 793. Q. Pomponio II. iterùm, Cn. Sentio Saturnino Coſſ. ante diem 9. Calend. Febr. Verè de hoc *Seneca Conſolatione ad Polyb.* c. 36: *Excerpendum hunc è Cæſarum numero, ut qui in exitium opprobriumq; humani generis editus ſit.*

CLAUDIUS.

Claudius fatuus *Princeps.* Barthii *varius conatus. Ioh. Antiocheni locus è Dione. Claudii*

bellum

bellum Britannicum, *& mors in quos annos incidant?*

HIc Caligulæ patruus, in nummis & inſcriptionibus TI. CL. DRUSI F. CÆS. AUG. GERMANICUS, plerumq; deſcribitur. *Non malè* de eo *Beſoldus*, ambiguum eſſe *crudelitate* ne an *ſtultitiâ* magis fuerit dedecoratus. At *Barthius lib. VII. Adverſ. c. 1. & lib. LIV. c. 13*, ſapientibus Principibus annumerat è *Joh. Sariſberienſis Policratico lib. VIII. c. 10.* Quod *artificium è ſtultis faciendi ſapientes*, meritò riſit *Cl. Reineſius* noſter; qui docuit ex *Agellii lib. I. c. 10.* Sariſberienſem loqui de *C. Jul. Cæſare.* An fortaſſis pro Barthio facit illud *Joh. Antiocheni in Exc. Petr.* pag. 805: *Claudius, Romanorum Imperator, animi bonis non deſtituebatur.* Quod ſurreptum eſſe *Dioni*, patet è *lib. LX. p. 665.* edit. Leuncl. At ſi pergere volet lector, animadvertet, *fatuum eſſe laborem pro fatuo.*

Annus, quo *Claudius in Britanniam* trajecit, nulli tentatus *poſt Jul. Cæſarem* (errant, qui aliter ſentiunt, *Caſaub. in Suet. Claud. c. 17.*) fuit ab V.C. 795. Quo Conſulatum inierunt ipſe Claudius tertiùm & L. Vellejus. De hac expeditione præcipuè videndus *Camdenus in Britannia p. 321. 342. & ſeqq.* Et poſt hunc *Scal. ad Euſ. n. 260.* Mortuus eſt Claudius A. V. 807. ante diem 3. Idus Octobris, M. Aſinio Marcello, Marco Aciolo Aviola Coſſ. *Caſaub. ad Suet. Claud. c. 45.*

NERO.

Neronis falſa ὀνοματοθεσία in Beſoldo. Quomodo

modo is nomina mutârit ? Ejus genus. Memorabiliora ſuis annis notata. Nummus Richterianus. *Neronis mors.*

DOMITIUS NERO à Beſoldo dicitur; quod & alii faciunt, ſed perperam; nam cùm *Nero* diceretur, deſiit vocari *Domitius.* Ægerrimè tulit (cùm adoptione in familiam *Claudiam* & nomen *Neronis* tranſiiſſet) *Domitium* ſeſe ſalutatum à Britannico. *Tac. lib. XII. Ann. c. 41. §. 5.* Sic igitur res habet: Ante adoptionem dictus eſt L. Domitius Ahenobarbus. Idem *lib. XI. c. 11. §. 4.* à majoribus ſcilicet; nam parentem habuit *Cn. Domitium Ahenobarbum,* quem commendat *Vellejus lib. II. c. 72.* Vituperat *Suet. in Nerone, c. 5.* Avum *L. Domitium Ahenobarbum,* de quo *Tac. lib. IV. Ann. c. 44. §. 1. Suet. c. 4.* Proavum *Cn. Domitium Ahenobarbum,* de quo *Tac. ibid. §. 2. Vell. d. l. Suet. c. 3.* Abavum *L. Domitium Ahenobarbum,* C. Jul. Cæſaris Dictatoris acerrimum hoſtem; qui Porciam, Catonis ſororem, in matrimonio habuit. *Plut. in Cato. min. Suet. c. 2. Cic. lib. XIII. ad Atticum ep. 36. & 47. Nicol. Damaſc. in Exc. Peir. p. 476.* Atavum *Cn. Domitium Ahenobarbum,* Pontificem maximum, Coſ. A. V. 657. De quo *Valer. lib. IX. c. 1. Suet. in Nerone c. 2.* Tritavum *Cn. Domitium Ahenobarbum,* Coſ. A. V. 631, qui Allobrogas vicit. Vide ibi *Faſtorum interpretes.*

At adoptatus, NERO CLAUDIUS DRUSUS GERMANICUS dictus eſt, ut patet ex *Inſcr. IX. & XI. p. 236.* Imperator deniq; factus NERO CL. CÆS. AUG. GERMANICUS dici voluit,

ut

ut è quàm plurimis nummis, & inſcriptionibus manifeſtum eſt. Eidem mater *Julia Agrippina*, Germanici Cæſaris & Juliæ Agrippinæ filia, Caligulæ ſoror, *Inſcr.* IX. *p. 236.* Adde *Lipſ. in Auguſtæo Stemmate.*

• Ex ſceleribus ſuis & *parricidio* notior Imperator hic eſt, quàm ut memorari debeat. Janum terrâ mariq; clauſit A. V. 810. Se tertiùm, Val. Meſſalâ Coſſ. *Lipſ. lib.* II. *Antiq. Lect. c.* 8. Matrem interfecit A. V. 811. C. Vipſanio Aproniano, C. Fontejo Capitone Coſſ. *Scal. ad Euſeb. n. 274.*

Quinquennale ludicrum inſtituit ad morem Græci certaminis A. V. 812. Se quartùm, Coſſo Lentulo Coſſ. *Tac. lib. XIV. Ann. c. 2. §. 1.* Meminit *nummus æreus*, quem poſſideo dono *Magnifici Viri Dn. Georgii Richteri, Univerſitatis hujus Procancellarii benè merentiſſimi*; in cujus alterâ parte *Neronis imago*, cùm inſcriptione: IMP. NERO. CÆS. AUG. In alterâ conſpicitur *menſa, ejusq́, impoſita corona & lebes*, cùm inſcriptione: CERT. QUINQUE. ROM. CO. S. C. Hoc eſt: *Certamen quinquennale Romæ conſtitutum Senatusconſulto.*

Britannos ingenti prælio vicit, duce *Suetonio Paullino*, A. V. 813. C. Cæſonio Pæto, C. Petronio Sabino Turpiliano Coſſ. *Camdenus in Brit. pag. 347.* Romam *inflammâſſe* dicitur A. V. 815. L. Virginio Ruffo, C. Memmio Regulo Coſſ. *Baronius in A. C. 66. Caſaub. ad Suet. Neronem c. 38.* Et in hunc annum incidit *atrociſſima perſecutio* Chriſtianorum. *Scal. ad Euſeb. n. 284.* Simonem *Magum in amicitiam* recipit A. V. 818. C. Lucio Teleſino, C. Suetonio Paul-

lino

lino Coſſ. *Baronius in A. C. 68, n. 14.* Eodem anno *Iſthmum perfodere* conatus eſt, *ibid. n. 33.* & bellum *Judaicum* exarſit, *ibid.* & *Corbulo occiſus* eſt, ut refert *Xiphilinus.* A Senatu hoſtis judicatus ſemetipſum interficit, quanquam ægrè, A. V. 820. C. Silio Italico, M. Galerio Trachalo Coſſ. ante d. 8. Idus Jun. *Caſaub. ad Suet. Neronem, c. 59.*

SERVIUS SULPITIUS GALBA.

Beſoldi *negligentia in nominando Galbâ. Rejecta* Urſini *conjectura.* Plutarchi *error. Item* Caſauboni. *Galbæ & Piſonis mores.*

S*Ergium Sulpitium Galbam* Beſoldus dicit corruptiſſimè, quaſi fuerit è *Sergiis*, Trojanâ gente; cui *dedecus* indelebile *Catilina* inuſſit. Parum intereſſe putant multi, quo quisq; nomine appelletur; ſed hos ego mitto ad *Reineſium lib. I. Var. c. 25.* Privatus adhuc L. SULPITIUS GALBA vocatus eſt; ut ait *Suet. in Galba, c. 4.* & hinc explicanda eburnea teſſera, in qua legimus: L. SULP. L. SULLA, ſcilicet Coſſ. quam *Urſinus ad Tac. lib. VI. Annal. c. 15.* non ſatis intellexit, credidítq;, Galbam noſtrum *duobus prænominibus* ſimul uſum; quod de aliis Sulpitiis verum eſt, de noſtro falſum. Nam cùm *Lucius* diceretur, *Servii* prænomen non uſurpavit; & cùm imperio Romano accepto, SERV. SULPITIUS GALBA dici vellet, prænomine *Lucii* abſtinuit; ut apertè docet *Suet.* Fuit autem *Servii* prænomen *Sulpitiis omnibus*

tàm

tàm familiare, ut *Galbam è Serviorum gente* oriundum ſcripſerit *Plut. in ejus vita.* De antiquâ Sulpitiorum nobilitate dicam in *Hiſt. Imperii Romani.*

Noſter Imperium accepit A. V. 820, & annò ſeq. ante d. 4. Idus Jan. (*Tac. lib. I. Hiſt. c. 18. §. 1.*) adoptavit L. Calpurnium Piſonem Licinianum (*Dio lib. LXIV. p. 730.*) filium M. Licinii Craſſi Frugi è Scriboniâ. Quem Craſſum Frugi *Lipſius ad Tac. lib. I. Ann. c. 14.* malè confundit cum M. Craſſo Coſſ. A. V. 816. Ille namque cum uxore *occiſus* eſt à Claudio. *Sen. in Apocolocyntoſi,* cujus locum idem *Lipſius add. l. c. 48.* peſſimè accepit: Hic à Nerone interfectus eſt, ſuperioris filius, Piſonis Liciani frater. *Tac. lib. I. Hiſt. c. 48. §. 2.* Ita Scriptores conciliandi, quamvis turbet *Plutarchus*; qui Piſonem Licinianum, filium Craſſi & Scriboniæ facit, à Nerone occiſorum. Id falſum eſſe non diffitebitur; qui *Senecam* teſtem potiorem & σύγχρονον audiet. Cæterùm de hoc Piſone loquitur *Spartianus in Peſcennio Nigro* p. 77: *Inde quòd latet VINDEX, quòd Piſo neſcitur.* Caſaubonus ad illum locum, *p. 15.* capit de *C. Piſone*, qui in conjuratione adverſus Neronem deprehenſus interiit; quod abſurdum eſt. Sermo Scriptori de iis, qui Cæſares vel Imperatores deſignati, dignitati ſuæ non diu ſuperfuerunt. Hoc de Piſone Liciniano verum eſt: Nam adoptatus à Galbâ, Cæſaris dignitatem accepit; quod de C. Piſone dici non poteſt; quem neque Princeps, neque Senatus, neque miles vel Cæſarem vel Imperatorem fecit; quamvis eò conſilia ſua direxiſſet, ut fieri poſſet.

Occiſus eſt autem Galba cum Piſone ſuo, dicto A. V. 821. a. d. 18. Calend. Febr. Vide præter *Faſtos Onuphrii & Goltzii Caſaub. ad Suet. Galbam cap. 33.* Judicium de Galba reperies apud *Tacitum d. lib. I. Hiſtor. c. 49. De Piſone c. 14. §. 4. c. 15. §. 2. & 4. c. 17. §. 1. c. 48. §. 1. & 2.* Breviter: Galba nobilis & dives *modeſtiâ* & *juſtitiâ* in adminiſtrandis provinciis, ac *laude militari* clarus, major privato videbatur, dum privatus fuit; & omnium conſenſu capax imperii, niſi imperâſſet.

Piſo nobilis, gravis, fortunæ adverſitatibus in virtute magis magisq; confirmatus, cùm adoptaretur, nullum præ ſe mutati vultus, animiq; tulit ſignum; quod imperare poſſet magis quam vellet. Uno verbo, μεγαλόψυχος.

OTHO.

Beſoldi *lapſus ſuperiori ſimilis. Othonis genus. Splendidi Equites.* Tacitus *&* Suetonius *conciliantur.* Eutropii *oſcitantia. Othonis mores & interitus, à veteribus laudatus.*

HUnc quoque *Silvium Othonem* in utrâq; Synopſi malè deſcribit *Beſoldus*; cùm debuiſſet *M. Salvium Othonem.* Numi Græci Μ. ΣΑΛ. ΟΘΩΝ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Ut taceam Scriptores quàm plurimos.

Quod ait Beſoldus, ſplendidis majoribus ortum, ſcire debes è *Tac. lib. II. Hiſt. c. 50. §. 1. & Suet. in Othone c. 1.* Patrem, *L. Salvium Othonem,* Conſularem,

larem, & inter Patricios allectum; avum *M. Salvium Othonem* Prætorium fuiſſe.

Sed de materno genere Scriptoribus non ſatis convenire videtur. *Tacitus* maternum genus *impar* vocat; ſed *Suetonius* matrem Othonis, Albiam Terentiam, *ſplendidiſſimam fœminam* appellat. Abeſt quidem epitheton iſtud in quibusdam editionibus, in aliis ut ſuſpectum aſteriſco notatur: Me tamen nihil offendit. Et puto utrumq; verbum dicere *Tacitum* & *Suetonium*, Albia Terentia indubiè ſplendido equite nata eſt: Fuerunt enim, qui *ſplendidi, illuſtres, & inſignes* dicerentur, habentes cenſum & ſpem ſenatoriæ dignitatis. *Lipſ. ad Tac. lib. XI. Ann. c. 4.* Hujusmodi patre nata, quidni vocaretur *ſplendida*, vel *ſplendidiſſima, ſplendidè nata*; ut ex *ſplendido genere* oriunda. *Salmaſ. ad Gronov. in Elencho Antidiatribes Mercurii Frondatoris*, ſub quo nomine latere voluit *Emericus Crucerus.* Ita quamvis Othonis mater *ſplendida* eſſet, tamen primum genus longè dignius, quòd pater *Conſularis*, avus *Prætorius* eſſet. *Conſulares* enim & *Prætorii* ſupra *ſplendidos Equites* cenſentur; de quo nemo dubitat. Atque ita Otho *materno genere impar*, juxta *Tacitum.*

Sed hîc *Eutropius lib. VII.* contrariuś eſt: *Otho*, inquiens, *materno genere nobilior, quàm paterno.* An, *Tacito* relicto, ad *Eutropium* ire licet? aut non benè cepit *Suetonium*, vel alium quendam? aut ſcripſit: *Paterno genere nobilior quam materno?* Prius tamen credere malim, propter metaphraſtem *Pæanium.*

Verum denique de Othonis moribus *Beſoldi* ju-

dicium eſt. Præter alios *Plutarchus* in Galba: *Luxu & voluptatum ſtudio ab ineunte ætate præditus, ut infamiâ pari vix quiſquam Romanorum laborârit.* Adde *Suet. c. 2. Tac. lib. I. Hiſt. c. 13. §. 4.* Unam mortem ejus commendant, quibus αὐτοχειρία egregium facinus eſt, *Tac. lib. II. Hiſt. c. 50. §. 2. Dio lib. LXIV. pag. 733. Plutarch. in Othone ſub finem.* Et ex horum mente *Auſonius* in Cæſaribus:

Fine tamen laudandus erit, qui morte decorâ
Hoc ſolum fecit nobile, quòd periit.

Periit A. V. 821. ante diem 12. Cal. Majas. Præter *Goltzium & Onuphrium* conſulendus *Caſaub. ad Suet. Othonem, c. 11.*

VITELLIUS.

Corruptela prænominis *in Beſoldo. Vitellii pater* adulator. *Vitellii* torpor, *& luxus. Ejusdem quædam* laudabilia, *& mors.*

A. VITELLIUS GERMANICUS IMP. AUG. deſcribitur in numis; nec aliter appellant, quicunq; veterum illius meminêre, non corrupti. Quamobrem *peſſimè* Beſoldus, cui *Aurelius Vitellius* dicitur. Othone interfecto cuncta, longis aliorum principatibus compoſita, ſtatim ei decreta ſunt. *Tac. lib. II. Hiſt. c. 55. §. 3.* Decreta ſunt, inquam, ſed non omnia recepta; ut *alibi hæc explicabo.*

Pater *L. Vitellius*, vir miri in adulando ingenii, qui, cùm *Caligula* rogâſſet: *Ecquid cum Lunâ congredientem ſe vidiſſet?* periculum ſatis intelligens, ſive

ſive negaret, ſive affirmaret; abjectis in terram oculis: *Vobis Diis, Domine*, inquit, *ſolis inter vos licet videre!* ut ſcribit *Dio lib. LIX.*

Hujus autem Principis ea vita fuit, ut pro *Vitellio Vitulum* appellare meritò poſſis. Impar curis gravioribus, brevi auditu, quamvis magna, tranſibat. *Tac. lib. II. Hiſt. c. 59. §. 3.* Fortunam principatus inerti luxu ac prodigis epulis præſumebat, medio diei *temulentus* & *ſaginâ* gravis. *Idem lib. I. Hiſt. cap. 62. §. 3.* Ventre & aulâ *ſibi inhoſtus*, id eſt, *inimicus*; ut è MSS. legit *Salmaſius* apud eundem *lib. II. Hiſt. cap. 31. §. 2.* Cui cùm jam hoſtis exortus eſſet *Veſpaſianus*, ac, duce *Antonio Primo*, præliis aliquot victoriam reportâſſet; tantus nihilominus torpor fuit, ut ſi Principem eum fuiſſe, cæteri non meminiſſent, ipſi obliviſceretur. *Tac. lib. III. Hiſt. c. 63. §. 6.* Sed *rarum eſt* (ut inquit Poëta) *monſtrum nulla virtute redemptum*, hoc eſt (ut explicat *Grut. ad Vell. lib. II. c. 74.*) aliquem vitiis omnimodis infamem eſſe, neque ullo commendabilem meritò.

Bonum Principem egit Vitellius, qui *Cæcilio Simplici* Conſulatum pecuniâ, & cum exitio Marii Celſi quærenti, reſtitit; deditq; eum honorem Simplici innoxium & inemptum. *Tac. lib. II. Hiſt. c. 60. §. 6.* Laudabile eſt, quòd omnium, qui *acie Othonianâ* ceciderant, *teſtamenta rata* eſſe juſſit; cùm aliàs perduellionis crimine damnatis omnes facultates eriperentur. *ibid. c. 62. §. 1.* Denique cùm vinctis poſt tergum manibus, laniatâ veſte fœdū ſpectaculum duceretur; coactus erigere os, & offerre cõtumeliis, nunc caden-

tes ſtatuas ſuas contueri (quod factum *a.d. 9. Cal. Jan. A. V 821. Caſaub. ad Suet. Vitellium c. 17.*) multum inter alios *inſultante Tribuno*, non degeneris animi vox excepta eſt: *Se tamen imperatorem ejus fuiſſe! Idem lib. III. Hiſt. c. 85. §. 7.*

VESPASIANUS.

Vaticinium Michæ *gentilibus per nebulam viſum.* Hieroſolymorum *excidium.* Titi *modeſtum* judicium *de cauſa victoriæ Iudaicæ. Veſpaſiani obitus & mores.*

IMP. TITUM FL. SABINUM VESPASIANUM AUG. Græcorum numi; IMP. CÆS. VESP. AUG. Latini deſcribunt. Imperator ſalutatus eſt Cal. Jul. A. V. 821. *Tac. lib. II. Hiſt. c. 79. §. 2. Suet. in Veſp. c. 6.* De hoc gentiles interpretati veterem & conſtantem opinionem, quæ Oriente toto percrebuerat: *eſſe in fatis, ut illis temporibus Iudæâ profecti rerum potirentur. Suet. in Veſp. c. 4. Tac. lib. V. Hiſt. c. 13, §. 3. Joſ. lib. VI. de Bell. Jud. cap. 44. Hegeſippus lib. V. c. 44.* Sed nemini non apparet, cujus vaticinii fama ad eos pervenerit. Scriptum erat *Michæ V. §. 1.* Ἐκ σοῦ (ſcilicet Bethlehemo, *è terrâ Judâ*) ἐξελεύσεται ἡγούμενος. Hoc eſt: *Ex te proditurus eſt DUX. Baronius in Apparatu, n. 24. Caſaub. ad d. Suet. Veſp. c. 4.* De reſtitutis *oculis* per Veſpaſianum, quod *Beſoldus* refert in Synopſi majore, vide *Caſaub. ad Suet. Veſp. c. 7.* Memini & ad *Valerium* de hâc diaboli κακοζηλίᾳ diſſerere.

Cæterùm,

Cæterùm, quamvis *Vitellino bello* Veſpaſianus implicaretur, *Judaicum* non omiſit; *relicto* ad obſidionem Hieroſolymorum *filio* Tito. Capta urbs & exciſa A. V. 822. Veſpaſiano patre ſecundùm, Tito F. Coſſ. *Welſ. lib. VI. Rerum Aug. Vindel. p. 125. Baronius in A. C. 72. Scal. ad Euſeb. n. 2086.* ut alios innumeros ſileam. Percuſſi multi numi, in quibus *Judeæ captivæ* typus, humi deſidentis ad trophæum, cũ inſcriptione: JUDÆA CAPTA. Et horũ unum æreum ipſe poſſideo. Altero anno pater & filius magnâ gloriâ triumphavit Cal. Jul. de quo triumpho *Baronius* in A. C. 73.

Memorabile eſt, quod ſcribit *Philoſtratus lib. VI. de vitâ Apollinii p. 305:* Cùm Titum *ob victoriam Judaicam* finitimæ gentes *coronare* vellent, reſtitiſſe; non enim ſe eſſe tantorum operum auctorem, ſed *DEUM Judeis iratum.* De regionibus, à Veſpaſiano in provinciæ formam redactis, adeundi *Scal. ad Euſ. n. 2089. & Onuphr. in l. de Imp. Rom. p. 837.*

Moritur in Conſulatu IX. A. V. 831. a. d. 9. Cal. Jul. ut habent, teſte *Caſaubono*, libri MSS. *Suetonii* omnes; cum quibus tamen non concilio verba *Tabulæ areæ primæ apud Grut. p. 164.* Qualis miles fuerit, *Tac. lib. II. Hiſt. c. 5. §. 1.* docet: *Acer militiæ, inquiens, anteire agmen, locum caſtris capere, noctu diuq́; conſilio, ac ſi res poſceret, manu hoſtibus obniti; cibo fortuito, veſte habituq́; vix à gregario milite diſcrepans; prorſus (ſi avaritia abeſſet) antiquis ducibus par.* Qualis Princeps, paucis *Idem lib. I. Hiſt. c. 50.* indicat: *Solus omnium, ante ſe Principum, in melius mutatus eſt.* Cætera è Suetonio pete.

TITUS.

Incendium Veſuvii. *Iudæorum* mendacium *de Titi genere. Mores in adoleſcentiâ corrupti, ſed in principatu meliores.* Taciti ὑποκορισμὸς. *Communis ſententia, quam Beſoldus ſequitur, de* Titi elogio, *in dubium vocata à* Berneggero. *Ab eo diſſenſum in loco* Suidæ. *Titi mors aliter narrata Græcis quàm Latinis. De eodem* figmentum *Iudæorum.*

TITUS CÆSAR VESPASIANUS AUG. (ita nominandus è numis & lapidibus) Veſpaſiani ſuperioris filius, è Flaviâ Domitillâ, ſucceſſit patri; quo ipſo tempore, immenſum velut caſuri mundi prodigium, ſtupenda *flammarum eruptio è monte Veſuvio* facta eſt. *Dio lib. LXVI. Epiſtolæ Plinii junioris binæ ad Corn. Tac. lib. VI. Euſeb. n. 2095. ibiq́; Scaliger.*

Hunc *Titum* Judæi, tàm vetuſtiores, quàm recentiores *Idumæum, impium, filium impii, nepotem Eſavi* faciunt. Vid. *Buxtorf. in Lex. Talmud. Rabbin. voce EDOM, p. 31.* Sed quis non explodat has nugas cum *Scaligero ad Euſ. n. 2152.*

Adoleſcens in ſævitiam, luxuriam & libidinem pronus erat; & ob id *Nero* pro palàm *vocabatur. Suet. in Tito c. 7.* At *Tacitus* (cujus dignitas à Tito aucta erat *lib. I. Hiſt. c. 1. §. 5.*) flagitium artificiosè mitigans, *lætam egiſſe* ſcribit *(lib. II. Hiſt. c. 2. §. 2.) voluptati-*

ptatibus adoleſcentiam. Imperator autem factus (quod corvo albo ſimile exemplum eſt) frænum impoſuit affectibus; & tàm benè vixit, ut *amor ac delitiæ humani gneris* vulgò vocaretur, ut ait Beſoldus noſter cum multis.

At *Bernegg. in Suet. Tit. c. 1.* negat hoc elogium, Tito publicè & à Senatu populoque Romano tributum: *Victorem, Eutropium, Suidam,* & alios *ſequioris ævi*, hauſta è Suetonio verba in aliam mentem traxiſſe. Huic ſententiæ ſolidum quid non poſſum opponere: Saltem in eo diſſentio, quod *Suidam* accepiſſe ſua putat *à Suetonio*, quæ revera hauſit *ex Joh. Antiocheno*; cujus verba in *Exc. Peir. p. 817.* hæc ſunt: Ἀνὴρ ἦν πάσης ἀρετῆς συνειληφὼς γένος, ὡς πρὸς ἁπάντων ἔρως τε μὴν τρυφὴ τοῦ θνητοῦ προσαγορευθῆναι γένους. Hoc eſt, interprete Valeſio: *Vir omnium virtutum genere mirabilis erat, adeò ut amor ac deliciæ humani generis diceretur.* Hæc iisdem verbis leges apud *Suidam in* Τίτος. At *Joh. Antiochenus* ſuum accepit ex *Eutropii lib. VII*, ut proinde *verbis Eutropianis* eum reddiderit *Valeſius*. Idem porrò ſcripſiſſe *Drepanium* obſervavi in *paneg. XII.* ibi: *Cùm me Nerva Tranquillus, amor generis humani Titus, pietate memorabilis Antonius teneret.* Sed hic Eutropio poſterior eſt. Supereſt *Inſcriptio III. p. 155.* Emeritæ reperta; in qua legitur: IMP. TITUS. CÆS. VESP. AUG. PON. M. TRIB. P. V. COS. VIII. P. P. GENERIS. HUMANI. AMOR. EST. ET. DESIDERIUM. ETIAM. VIVENS. Sed qui *nugatoris manum* hîc non agnoſcit, in antiquitatis ſtudio ne γρῦ quidem

novit: Inprimis nemo jam ignorat, quantum *ſpuriarum* Inſcriptionum dederit *Hiſpania*. Iterum dico, nullum mihi ſolidum argumentum, quo convellam *Berneggerianam ſententiam*; quæ eſt: *Suetonii privatum fuiſſe judicium de Tito*, amorem ac delicias generis humani eſſe; *non publicum S.P.Q.R.*

Extinctus eſt hic Imp. A.V. 833. Silvano & Vero Pollione Coſſ. Idibus Septembr. Quo mortis genere, non dicit *Suetonius*: Morbo volunt *Eutropius & Euſebius*. At Græci nonnulli ſpirantem adhuc Titum à fratre *in arcam ligneam nivis plenam*, per cauſam *faciendæ medicinæ*, conjectum, ibiq; extinctum ſcribunt. *Caſaub. in Suet. Domit. c. 2.* Judæi *muſcam in ejus cerebrum ingreſſam* prohibent, unde contabuerit, perieritque. *Scal. & Euſeb. n. 296.*

DOMITIANUS.

Pliniana Inſcriptio corrigitur. Becichemi *error. Domitianus* caſtrationes *&* adulteria *vetat.* Delatores *punit. DEUS haberi vult.* Infantulum *conſecrat. Numus corrigitur. Nobilium & ſuorum pernicies. Chriſtianorum perſecutor.* Juvenalis *explicatur.* Victor *emendatur,* Cluverii *lapſus. Naſamonum excidium.* Dionyſii *ætas.* Valeſii *temeritas. Reliqua Domitiani, & cædes.*

T. FLAVIUS DOMITIANUS CÆSAR appellatur in numo Græco, vivo adhuc patre cuſo. Item: CÆSAR AUG. F. DOMITIANUS, PRINCEPS, JUVENTUTIS. At Principis titulus

titulus hic fuit: IMP. CÆS. D. VESPASIANI F. DOMITIANUS AUG. Item: IMP. CÆS. DOMITIANUS AUG. GERMANICUS. *Nuſquam* Veſpaſianum *dictum legas.*

Unde jure vapulavit *Marinus Becichemus præfat. in Plin. à Perotto*, qui Plinii *Naturalem Hiſtoriam, Domitiano inſcriptam*, voluit, quæ fuit *Tito*. Sic autem cõſtituenda eſt: *C. Plinius Secundus Tito Veſp. ſuo.* Tam enim *prænomen* hujus omiſſum nõ eſt, ut apud Scriptores frequentius *ſolùm* ponatur. Nullã certè Inſcriptionẽ, nullum numum dare poteris, in quo non appareat.

Domitianus virtutes quasdam ſub initium promicare voluit, ſed quas immanibus factis rurſus abſcondidit, & obliteravit. *Caſtrari mares* vetuit. *Suet. in Domit. c. 7. Philoſtratus lib. VI. de Vita Apollonii c. 17. Dio. lib. LXVII. p. 259. Euſeb. n. 1099. Amm. Marcell. lib. XVIII. p. 120 Martial. epigr. 9. lib. VI.* Legem Juliam *de adulteriis* reſtituit, & alia id genus multa præclarè fecit. *Suet. c. 8.* Dicere ſolebat: *Princeps, qui delatores non caſtigat, irritat! ibid.* Quod fecit, præſtitit, & Judæos, qui *Joſephum Hiſtoricum detulerunt*, decapitari juſſit. *Joſeph. in Vitâ ſuâ ſub finem.* In exſtruendis templis & aliis publicis ædificiis omnes ferè Principes magnificentiâ vicit. *Suet. c. 5.* Addendus è recentioribus *Alexander Donatus lib. 1. de Urbe Româ, c. 26. Scal. ad Euſeb. n. 2105.*

Sed *vi dominationis convulſus & mutatus* (ut loquitur *Tac. lib. VI. Annal. cap. 48.*) in monſtrum degeneravit. *Dominum DEUMq;* ſe appellari voluit. *Suet. in Dom. cap. 13. Mart. lib. V. epigr. 8.*

Eutrop.

Eutrop. lib. VII. ſub finem. Euſeb. num. 2102. Exc. Gr. Scal. p. 333.

Infantulum in Deorum numerum retulit. Numus apud *Octav. Stradam* 74. DIVUS. CÆSAR. IMP. DOMITIAN. F. Ita legendus eſt ex altero *Occonis p. 186.* Conſpicitur in eo *infantulus globo inter ſtellas inſidens.*

Idem multos nobiliſſimos viros ex leviſſima cauſa vel occidit, vel in exilium miſit; uſus *delatoribus* Aquilio Regulo, Metio Caro, Bebio Maſſâ, & omnium bipedum nequiſſimo, Catullo Meſſalino. *Tac. in Agric. c. 45. §. 1. & ſeqq. Plin. lib. I. epiſt. 5. lib. VII. ep. 19. Juven. ſat. IV. Euſeb. n. 2104. & 2109. Joh. Antiochenus in Exc. Petr. p. 819.* Nec à proximis quidem crudelitatem abſtinuit, interfectis T. Flavio Sabino, T. Flavio Clemente, patruelibus; Juliâ, Titi fratris filiâ, eademque pellice ſuâ. *Suet. cap. 10. & 15. Philoſtr. lib. VII. c. 3. Plin. lib. IV. ep. 11. Dio lib. LXVII. p. 766.* Relegatâ quoque Flaviâ Domitillâ, *Philoſtr. & Dio dd. ll.* propter *confeſſionem nominis Chriſti. Scal. ad Euſ. n. 2112. Baron. in A. C. 98.*

Fuit certè Chriſtianorum hoſtis acerrimus. Vide, quæ ex *Baronio* attulit *Beſoldus.* Nec verò aliorſum trahas *Juvenalis verſus* Sat. IV.

Sed periit, poſtquam cerdonibus eſſe timendus
Cœperat, hoc nocuit, Lamiarum cæde madenti.

Per *Lamias* intellige *nobiles* (nam L. Ælius *Lamia* Æmilianus, quem Domitianus interfecit, à *Lamo*, Neptuni filio, Læſtrigonum Rege, genus ſuum derivabat) ut *ſat. VI.* fœminam illuſtrem deſcribens: *quædam,* inquit,

inquit, *de numero Lamiarum ac nominis alti.* Per *cerdones* intelligit *Chriſtianos*; ut quorum *plerique* tunc temporis *opifices* erant, ac *ſellularias* artes exercebant. Vid. *Joh. Wovverius ad illa Minutii* Felicis: *Expertes artium, niſi ſordidarum.*

Bellica Domitiani quod attinet, *Britannos* per multos annos fregit, duce Cn. Julio Agricolâ, *Taciti ſocero*; à quo belli hujus deſcriptionem petes. Repertæ ſunt in Britanniâ *maſſæ plumbeæ*, ſic inſcriptæ: IMP. DOMIT. AUG. GER. DE. CEANG. E quibus patet, victoriam de *Cangis* retuliſſe. L. Antonium Saturnium, ducibus L. Appio Maximo & Norbano, in Germania vicit. *Suet. in Domit. c. 6. Dio lib. LXVII. p. 764. & in Exc. Peir. p. 708. Inſcriptio V. Operis Gruteriani p. 359. Martial. lib. IX. epigr. 86. Lamprid. in Alex. Severo p. 114. Sextus Aurelius Victor in Epitome. Cluverus* duces illos, Norbanum Appium & L. Maximum nominat; non benè: *Victor* enim emendandus hoc modo: *Norbanum & L. Appium.* Naſamonas idem Domitianus internecione delevit, duce Flacco. *Zonaras tomo II. p. 197. Ariſtid. in Smyrnaico. Euſ. Græc. lib. priore p. 66. Latinus lib. poſter. n. 2102.* Meminit & *Dionyſius Periegeta, verſ. 208. 209. 210.*

Ex quo loco conſtat de inſigni temeritate *Valeſii ad Amm. lib. XXIII. p. 268. 269.* qui *Scaligerum* magni *erroris* accuſat, quòd *Dionyſium* ſub *Auguſto* vixiſſe negârit. Rectè negâſſe, vel hic locus oſtenderit: An enim Naſamonas ad internecionem delevit Auguſtus? πῦ κεῖται, ubi ſcriptum eſt? Crepat *Valeſius.*

Plin.

Plin. lib. VI. c. 27. & Dionyſ. verſ. 1050. 1051. Illum quod attinet, quis nobis affirmabit, *unum* fuiſſe *Dionyſium*, qui orbis terrarum ſitum deſcripſerit? At Dionyſii verſus lego, relego; nec video, quomodo de Auguſto ſolo explicari poſſint. Tamen aſſentior *Salmaſio ad Spartian. p. 138*, qui *Dionyſium* vixiſſe putat temporibus divorum fratrum.

Bellum denique contra *Dacos*, & quosdam Germaniæ populos; *Quados, Maromannos*, & *Chattos* Domitianus geſſit, à quibus licet magnas clades accepiſſet, tamen per vanitatem triumphavit. *Scal. ad Euſeb. n. 2107. Lipſ. ad Plin. paneg. c. 12.* Sed de his alibi fuſiùs.

Occiſus eſt Domitianus A.V. 848. a. d. 14. Calend. Octobr. Admonitusque *eo menſe* fragilitatis humanæ, *cujus nomen* (ut ſcribit *Suet. c. 15.*) animo ſuperbiſſimo *immutare conatus* erat. De hac cæde vide *Baron. in A. C. 98. Caſaub. ad Suet. Domit. c. 17. Scal. ad Euſeb. n. 2112.*

NERVA.

Nerva an advena *fuerit, ut Beſoldus* è Victore *ſtatuit? Nervæ mores & mors.*

M. COCCEJUS NERVA dicebatur adhuc privatus: At Princeps factus, IMP. NERVA CÆSAR AUG. vel, IMP. NERVA CÆSAR AUG. GERMANICUS, in numis deſcribitur. Primum *ex advenis* Imperatorem factum ſcribit *Beſoldus.* Quod quidem hauſtum eſt è *Sexto*

Aurelio

Aurelio Victore, qui & *advenam* & *Cretenſem* facit *in libello* de *Cæſaribus*. At *in Epitoma* oppido *Narnienſi* (hoc eſt in *Umbriâ*) genitum ſcribit.

Sed res indiget examine: Nam *Coccejorum Nervarum* domus jam à *temporibus Triumvirorum* floruit in reſp. Proavum Imp. Nervæ *M. Coccejum M. G. Nervam*, Coſ. fuiſſe A. V. 717, collegâ L. Gellio Poplicolâ. Avum *M. Coccejum Nervam*, Coſ. A. V. 775, collegâ C. Vibio Rufino, docui *ad Pompon. lib. III. c. ult. ſect. 2.*

Quo igitur modo advena, cujus majores *per ſeſquiſeculum* reperiuntur *in Faſtis Conſularibus* Romanis. An quòd *ulteriores non* fuerunt antiquitùs Romani? At hoc modo pauci Romanorum nobiles eſſent advenæ. An quòd ipſe *alibi* quàm Romæ *natus* eſt? Ita *Claudius* Imperator non erit Romanus, ſed *Gallus*; quia *Lugduni* natus eſt. *Suet. in Claud. c. 2.* At non fuit Romæ conſuetudinis, civium filios in Germaniâ, Hiſpaniâ, Galliâ & alibi terrarum natos, Germanos, Hiſpanos, Gallos & alienigenas dicere. Fuerunt Romani non minus, quàm Romæ nati. Vide *Caſaub. ad Spart. Hadrianum, & ep. 262. ad Hug. Grotium.* Nec aliud apud Judæos obtinuit, fuerint licet ex illis in peregrinis oris nati; tamen majorum ſedem, ſuam quisq; propriam dicebant: Ita *Salvator noſter*, quamvis *Bethlehemi natus*, tamen ob parentum ſedem *Nazarenus*, *Matth. II. §. 23. Marc. X. §. 47. Act. IV. §. 10.* Suum igitur, & quorundam vulgarium, judicium *Victor* hîc ſecutus eſt; non commune omnium.

Rurſus

Rurſus quomodo conciliamus hæc? quem *Cretenſem* dixerat, eundem ait *Narmienſi* oppido genitum. Quòd ſi alter locus nec vitioſus, nec falſus eſt, dixerim vel *abavum* vel *atavum* è *Cretâ* fuiſſe; ipſum autem natum in *Umbriâ*. Hoc ipſum ſenſit *Valerius ad Ammiani Marc. lib. XXIX. p. 308. 379.* Ubi exemplum ſimile proponit de *Theodoro*, quem & *Gallum* & *Siculum* dicebat.

Nervæ mores quod attinet, dicam breviter, *meliorem virum* fuiſſe, quàm qui *Romuli fæcem* regeret. *Auſonius* tetraſtichis in Cæſares:

Nerva ſenex, Princeps nomine, mente parens.

Mortuus eſt a. d. 6. Calend. Febr. A. V. 850. cùm anno ſuperiore *Trajanum* adoptâſſet.

TRAJANUS.

Vitium in Synopſi corrigitur. Trajanus optimus, *quia Senatum coluit, populo placere ſtuduit. Vitia ejus, & mors.*

MULPIUM TRAJANUM ante adoptionem dictum, è numo Græco apud *Goltz. in Theſ. c. 4. p. 63*, & è notiſſimis Scriptoribus manifeſtum eſt. Tamen in hac Synopſi minore *Ulpianus Trajanus* eſſe debuit. Imperator ſic deſcribitur: IMP. CÆS. DIVI. NERVÆ. F. NERVA TRAJANUS.

Amavit Senatum ardentiùs, quàm aliorum Principum ullus; nec ſine magno fructu: Tantum enim perennantis amoris ei refuſum eſt, ut à Scripto-

ribus

ribus *ſenatoriæ factionis* ferè contra omnes, OPTIMI cognomento, ceu proprio, celebretur. Secutâ magna recentiorum turba, *monachos* etiam traxit in partes; ut crederent *animam ipſius precibus S. Gregorii ab infernis liberatam*. Comis, liberalis & magnificus, populum ſibi devinxit.

Bella geſſit in remotiſſimis terris, ſed quibus nihil effectum eſt; deficientibus à tergo nationibus, imperio Romano antiquitùs ſubditis; dum ambitio ad ulteriora præcipitem illum agit. Militum præterea ſtupendis cladibus ducis ſtultitia caſtigata eſt.

Idem παιδεραστὴς, vinoſus; & acerrimus perſecutor Chriſtianorum. Legendus præter *Baron. in Annal. Eccleſ. Dio lib. LXVIII. Phlegon apud Scalig. p. 345. & Anonymus apud Eund. p. 393. 394.*

Moritur A. V. 869. a. d. 3. Id. Aug. Nigro & Aproniano Coſſ. Cætera executi ſumus in *particulâ faſtorum*, hoc ipſo anno *publicatâ*.

HADRIANUS.

Hadriani nomina, pater, vitia. Antinoi *interitus.* Euſebius *contra Scaligerum defenſus. Hadriani multa quàm præclara, ſtudiorum amor, liberalitas inaudita, cura in omnes imperii Romani provincias. Cultus pacis in ſumma rei militaris peritia.* Bellum Judaicum. *Beſoldi duplex aſſertio rejecta de exſtructa* Æliâ, *& templis* Chriſto erectis *ab Adriano. Hujusdem mors.*

PUBLIUM ÆLIUM HADRIANUM adhuc privatum nuncupatum ſcimus è *Dionis lib. LXVIII. p.786.* Imperator in numis & lapidibus deſcribitur: IMP. CÆS. DIVI. TRAJANI. PARTHICI. F. DIVI. NERVÆ. N. TRAJANUS. HADR. AUG. Patrem habuit *Ælium Hadrianum*, cognomento *Afrum* (non enim Afer natione fuit. *Caſaub. & Salmaſ. ad Spart. Hadrianum, ille p. 3. hic 2. Valeſ. ad Exc. Peir. p. 101.*) Aviam paternam *Ulpiam*, Imp. Trajani amitam.

Senatus populiq; gratiâ minus floruit, quòd è corpore Senatus nobiliores quosdam ſuſtuliſſet; præſtantiſſimis quibusq; in arte aliquâ invideret, divinationibus & magicis artibus uteretur.

Immolâſſe quin etiam dicebatur *Antinoum*, ut extiſpicio puerilis victimæ futura exploraret; quem *Xiphilini*, vel *Dionis* ſenſum eſſe, *Salmaſ. ad Spart. p. 38.* docet contra *Caſaub.* qui ad *eundem p. 28.* immolatum aſſerit ex eodem *Dione*; ut Adriani facta proferrentur. Fuiſſe namq; veteribus perſuaſionem, posſe alicujus produci facta, ſi ejus vicem ſubiret alter; velut *hoſtia* quædam *ſuccedanea.* Non hoc vult *Xiphilinus*, ſed *Spartianus p. 7.* cùm ait: *Aliis eum devotum pro Hadriano aſſerentibus.* Hadrianus ipſe ſcripſit, dum ludicri cauſa *in Nilo* navigaret *cum Antinoo*, puerum in flumen delapſum periiſſe. *Scal. ad Euſeb. n. 2145.*

Cave tamen, maximo viro credas in explicando *Epiphanii* loco, de quo audiri malim *Valeſ. ad Exc. Peir. p. 101.* Quicquid ſit, Antinous ob eximiam formam

miam in deliciis habitus eſt; & exhibet *Caſaubonus* è muſæo *Thuani* imaginem ephebi illius, quam nemo aſpicit, quin vultum habitumq; catami ſtatim agnoſcat. Mortuum muliebriter flevit Hadrianus; quem ut Græculi ſolarentur, puerum in ſynodum & collegium Deorum cooptârunt. Videndi modo laudati *Caſaub. Scal. Salmaſ.*

Unum de Scaligero adjicio, reprehendere illum immeritò Euſebium, qui Antinoi mortem refert *n. 2145.* Reſpondet huic A. V. 881, quo Coſſ. fuerũt Publ. Invencius Celſus ſecundùm, & Quintus Julius Balbus. Euſebium omnino confirmat *Phlegon*, Hadriani libertus, in *Fragmentis deſcriptionis Olympiadum apud Scal. eund. p. 345.* qui rejicit in annum primum Olympiadis 227. At hic ipſe ſignatus eſt Romæ Celſo ſecundùm & Balbo Coſſ.

Nec quicquam obſtat epiſtola Hadriani ad Severianum, ſed nos confirmat potiùs; Severianus enim hoc ipſo anno Conſul ſuffectus, ut ex *l. 20. §. præter hæc. ff. de hæred. pet.* ſatis perſpicuum eſt. *Scaliger* referendam cenſebat ad ſecundum Severiani Conſulatum, ſine ſufficienti cauſa. Illud tamen hic minimè diſſimulo, *editionem* Vopiſci *Salmaſianam, pag. 245.* Conſulem, ad quem Hadrianus ſcripſit, *Servianum* appellare, non *Severianum*. Nec aliter *Sylburgius* in ſuâ *editione*. Utram lectionem probem, alibi demonſtrandi locus erit. Dico nunc brevibus, legendum videri in dicta lege: *Ennius Sergianus*, vel *Servianus*; & ſic appellatum Conſulem ſuffectum, ad quem Hadrianus ſcripſit.

Quæ verò de hoc Principe diximus, non ita premunt illum, ut non multis modis ſuperior videatur Trajano, ſummo (ut rebantur) Principum. Quid dicam de literarum ſtudiis, præſertim *Græcorum*; quorum amore ſic flagrabat, ut apud imperitos *Græculus* audiret (*Spart. in Hadrian. p.1.*) Gymnaſia & Athenæa conderet (*Aurelius Victor in Hadrian.*) Quid de prudentia in eligendis amicis? ſaltem enim optimos quosque de Senatu, & juris peritiſſimos in contubernium imperatoriæ majeſtatis adſcivit (*Spart. in Hadr. p. 4. 5. 9.*) De JCtis, quorum Beſoldus meminit, dixi ad *Pomponium*.

Quid de ſtupenda liberalitate, cùm Provincialibus ſeſtertiûm novies millies debitum fiſco remitteret, ut habet *Inſcriptio VI. p. 10.* Hoc eſt, XXII. milliones, & præterea ſummæ excurrentis aureorum ſolatorum quingenta millia; ut computat, qui lapidem emendatiorem exhibuit (quàm *Scaliger* & *Gruterus*) *Salmaſius ad Spart. p. 17.* Meminerunt tanti muneris, præter lapidem, *Spart. p. 4. Euſeb. n. 2134.* Numus apud *Sambucum p. 235. Dio lib. LXIX. p. 791. Phlegon apud Scalig. p. 345,* in anno primo Olymp. 224. qui reſpondet A. V. 870. Quod de *Tiberio* ſcribit *Tacit. lib. IV. Annal. c. 64. §. 3.* idem ille fecit; & non rogantes munificentiâ juvit. *Dio ibid. p. 790.* In nummo apud *Occonem p. 225.* dicitur LOCUPLETATOR ORBIS TERRARUM, in aliis, HERCULES ROMANUS, in aliis, HERCULES SERVATOR, vel AVERRUNCUS; quoniam omnes imperii Romani provincias peragravit, providitq;, ne vel

vel ab irruptionibus barbarorum, vel ab avaritiâ præſidum detrimenti quid caperent. *Spartian. p. 7:* Cum quo uno facto ſi compares omnia Trajani, ne umbra quidem egregiè factorum videbuntur.

Rem militarem quod attinet, lapſam diſciplinam in curiâ ſuperiorum Principum reſtituit. *Spart. p. 5.* Ipſe ἐκτικώτατος, & *Tactica* ſcripſit; quæ temporibus *Anaſtaſii*, in lucem revocavit *Urbicius*, Vir Conſularis. *Salmaſ. ad Spart. p. 21.* Militibus exemplo præerat, & in conſuetudinem vitæ militaris eos inducebat, *ibid. p. 20.* Gregarii militis habitu incedebat, veſtis humilis, hoc eſt, ſine purpurâ, fibula ſine gemmis, baltheum ſine auro, ſpatha vix capulo eburneo clauſa. *Spart. ibid.* Tamen *expeditiones* ſub eo ferè *nullæ* fuerunt: Bella ſilentio transacta, *ibid. p. 10.* Hinc meritò illum *Victor Schotti* cum *Numâ Pompilio* comparat, quo quid glorioſius?

Excipiendum tamen *graviſſimum bellum*, quod *cum Judæis* geſſit; ſed *ſub Trajano* primùm *excitatum.* Ceciderunt in eo propè 600000. hoſtium; Romanorum verò clades tanta, ut obſervet *Dio*, Hadrianum (cùm ad Senatum ſcriberet) ſolenni formulâ abſtinuiſſe: *Si vos liberiq; veſtri valetis, benè eſt &c. Ego exercitusq; valemus.* Vide de hoc bello *Euſeb. lib. IV. c. 6. Scal. ad Euſeb. n. 2147.* Ducibus uſus eſt Julio Severo, de quo *Dio in Exc. Peir. p. 215.* & Marcio Turbone. *Spartian. in Hadriano p. 3.* Hunc Q. MARCIUM TURBONEM FRONTONEM PUBLICIUM SEVERUM vocat *Inſcript. I. p. 437.* Cauſa belli, quod *Ælia Capitolina* in ſolo Hieroſoly-

 morum

morum ab Hadriano condita; & in monte, ubi Deo Opt. Max. *templum* fuerat, *Jovis Capitolini* excitata eſſet. *Scal. d. l.* At *Baronius*, Euſebium ſecutus, in A. C. 137, Baronium *Beſoldus* noſter, poſt bellum Æliam cum templo conditam fuiſſe *falsò* ſcribunt. Quod enim Scaliger ait, confirmant *Fragmenta Phlegontis*, in quibus *Ælia Capitolina* condita legitur; antequam Judæi arma corriperent. Alterum refert anno quarto Olymp. 227; cujus *pars* apud Romanos *Augurino* & *Severiano* ſecundùm Coſſ. *pars* Tiberio Alexandro (ita legit *Reineſ. lib. III. Var. c. 16. p. 615.*) & Siſennâ Coſſ. ſignata eſt. Alterum anno primo Olymp. 228. cujus *partem* apud eosdem Romanos Tiberius & Siſenna, *partem* Severianus tertiùm & Vibius Varus Coſſ. ſibi vindicant. Conſentit *Xiphilinus lib. LXIX. p. 793.*

Adjicit idem *Beſoldus* è *Lampridii* Severo, *Hadrianum in Chriſtianorum uſum templa poni juſſiſſe.* Sed cùm (notante *ad Lampridium Caſaub. p. 170.*) tàm nobilem hiſtoriam, tot fidei Chriſtianæ propugnatores acerrimi, viri undecunque doctiſſimi, & quorum intererat hanc memorare, conſtantes ſileant; ut fabulam meritò explodimus. Fons autem conceptæ opinionis (ut *Idem* opinatur) hic eſt: Juſſerat Hadrianus templa fieri in omnibus civitatibus, ſuo nomine ſine dubio conſecranda; ſed Hadriano mortuo, priusquam abſolverentur, manſêre pleraq; imperfecta; & ex iis unum (quod Tiberiade magnificè inchoatum erat) tandem *in uſum balnearum* à civitatibus deſtinatum eſt. Ignari cùm viderent hæc, *nec ullum*

ullum ſimulacrum reperirent, velut in imperfectis; ſtatim concluſerunt, *Chriſto* fuiſſe *exſtructa*. Chriſtiani enim veteres per 300. annos ferè nullum ſimulacrum habebant in ſuis Κυριακοῖς & Oratoriis; quo ad idololatriam abduci poſſent.

Felicior an cautior fuit *Beſoldus*, quòd omiſit tertiam ejusdem *Baronii* obſervationem? Hic enim ex *Euſebio* docens, *ſuper portam*, quâ ibatur Bethlehemum, *porcum* in marmore ſculpi voluiſſe Hadrianum, cauſam exponit, quia id animalium genus *Judæis* viſu *exſecrandum*. Quod quidem verum eſt; ſed addit: Ex hac ipsâ causâ Judæorum Principes *Vitellii* tranſitum *in Arabiam* per regionem ſuam deprecatos, ne iſthæc *ſigna militaria* viſerentur *in Judæâ*. Putat vir illuſtris, *porcorum imagines* fuiſſe *in ſignis Romanorum*. Et vel in animo habebat locum *Plinii lib. XX. c. 4.* vel ſimilem *Feſti*, vel utrumque; unde novimus, *porci* effigiem *inter militaria ſigna* quintum locum obtinuiſſe. Sed diſtinguenda fuerunt tempora: *Olim ſic erat, cùm adhuc carnem ſuillam ructarent, glandes & rapa loquerentur, ut hodie vicini noſtri Arcades: At poſtea C. Marius ea* (ſc. animalia, lupum, minotaurum, equum, porcum) *in totum abdicavit*; ut *ibidem* ſcribit *Plinius*. Nec Vitellii temporibus ullum ſignum inter Romana fuit, in quo conſpiceretur lepidum illud animalculum. Scire verò debes, qui *Joſephum* intelligere cupis, Judæos *abominatos* ipſam *aquilam*; quoniam inſtar numinis colebatur. *Tac. lib. II. Ann. c. 17.* ſcribit: *Sequerentur Romanas aves, propria legionum numina.* Vide *ibi Lipſ.* Sed & ſi nummos veteres in-

V iiij ſpexiſti,

ſpexiſti, non potuiſti non animadvertere, in ſignis cohortium *orbiculos* quosdam, vel *clypeolos*, infra crucem haſtæ annexos. Quid fuerunt? ex argento vel auro imagines Deorum primò, deinde & Imperatorum; ut rectè docet *Lipſ. lib. IV. de Milit. Rom. dial. 5.* *Manilius* hoc illuſtrat *lib. I:*

- - Venerisq; ab origine proles
Julia deſcendit cœlo, cœlumq; replevit,
Quod regit: Auguſtus ſocio per ſigna tonante
Cernit & in cœtus divum magnumq; Quirinum.

Ita diſtinguendi verſus illi. Mens Poëtæ. Jul. Cæſ. cœlo oriundum per Venerem in cœlum, & inter ſuperos Deos receptum eſſe, Auguſtum verò videre patrem unà cum Jove & Romulo *in cœtu*, hoc eſt, in urbe & extra urbem, *in ſignis militaribus* coli. *Barthius lib. XI. Variarum cap. 10*, hunc Poëtæ ſenſum non potuit aſſequi. Et hinc ſatis clarum, cur Judæi deprecati ſint Romanorum tranſitum.

Vopiſci locum in *Saturnino* de Chriſtianis Ægyptiis, ad quem Beſoldus te ducit. vide, ut rectè intelligas: Nam offendit in eo explicando vir ſummus *Iſaacus Caſaub. p. 249.* Verum ſenſum dat *Salmaſius p. 453:* Primùm Ægyptios dicit ventoſos, furibundos, jactantes, injurioſos, vanos, liberos; & novarum rerum cupidos: Dein artes profeſſionesq; recenſet, quibus plurimum dediti eſſent; nimirum verſificatores, epigrammatarios, mathematicos, aruſpices, & medicos. Poſtremò verba facit de religione, partim *Samaritas*, partim *Chriſtianos* fuiſſe; omnes tamen *Sarapin* adoràſſe. Hucusque *Salmaſius* rectè. Sed quæ mox

ſubjicit

ſubjicit *p. 456.* ipſum illum *Patriarcham Chriſtianorum*, ſi quando in Ægyptum veniret, *coactum Sarapin adorare*; ea in dubium vocat *Seldenus comment. in Origines Eutychii p. 10. & 11.* Certè propter illa: *ab aliis adorare cogitur Chriſtum*, valdè ambiguum eſt, annon de *Judæorum Patriarchâ* potiùs, quàm Chriſtianorum loquatur Hadrianus.

Cætera de hoc Principe admodum memorabilia legenda ſunt apud *Spartianum & Xiphilinum*. Mortuus eſt a. d. 6. Id. Jul. A. V. 890, ut vult Onuphrius; à quo diſſentit *Scaliger in Euſeb. n. 2153.*

ANTONINUS PIUS.

Ælius Verus ab Hadriano adoptatus ante Pium. Onuphrii *&* Goltzii *ſententia rejicitur. Item* Caſauboni *κρίσις in loco Spartiani. Verus an* primus *fuerit* Cæſar? *Nominis hujus ſignificatus.* Caſauboni *lapſus. Diſſenſum à* Salmaſio. Cæſares *jam ante Trajanum creati. Origo inſtituti. Antoninus Pius quo anno adoptatus?* Chryſerotis *elogium. Antonini virtutes & mors.*

L. Cejonium Commodum Verum Hadrianus in ſpem imperii adoptârat, ac ſtatim *Prætorem* fecerat. *Spart. in Ælio Vero* pag. 14: *Adoptatus ſtatimq; Prætor factus, & Pannoniis dux ac rector impoſitus; mox Conſul creatus. Et quia erat deputatus imperio, iterum Conſul deſignatus eſt.* Ex quibus verbis conſtat, adoptatum fuiſſe eo anno, quo

Prætor fuit; ſed Præturam geſſit ante Conſulatum ordinarium. Quomodo enim Prætor & Conſul ordinarius ſimul eſſet uno anno? Ergo & *ante Conſulatum adoptatus*. Hic cùm incidat in A.V.888. fit conſequens, adoptionem referendam ad annum 887; quo Conſulatũ geſſerũt Lupercus & Atticus Acilianus.

Quod contra *Onuphrium* & *Goltzium* dicere volui, qui Commodi hujus adoptionem & Conſulatum *in unum annum* referunt. Putavit quidem *Caſaub. ad Verum Capitolini, p. 81.* legendum eſſe: *Statimq́, Proconſul factus*; quæ correctio licet nil juvet Onuphrium (niſi quis Verum ſtatuere velit & adoptatum, & Proconſulem, & Pannoniarum rectorem, & Conſulem ordinarium, uno pænè momento factum) tamen nullum planè fundamentum habet. Non ſufficit dicere: *Non puto futurum quenquam hiſtoriæ hujus peritum, qui emendationem iſtam non apprebaturus ſit.* Non, inquam, ſufficit. Sumus rationum audiendarum avidi; nec tam facilè linguam nobis ligant id genus terriculamenta. Quomodo hæc cohærent: *Proconſul factus, & Pannoniis dux ac rector impoſitus?* Proconſules non mittebantur in provincias Cæſaris, quales Pannoniæ erant: Sed *Legati* pro *Prætoribus*. Malim igitur *Prætorem* retinere.

Et quàm reſiſtit *Caſaubono* idem *Spartianus*, eadem ſcribens; & quidem lucidiùs *in Hadriano* pag. 11: *Adoptavit ergò Cejonium Commodum Verum*, inquit, *quem Præturâ honoravit, ac ſtatim Pannoniis impoſuit; decreto Conſulatu cum ſumptibus. Eundem Commodum ſecundùm Conſulem deſignavit.* Sic igitur res habet.

habet: Adoptatur L. Commodus Verus A. V. 887. & Prætor factus & Legatus pro Prætore in utramque Pannoniam miſſus: Sed anno 888. primum Conſulatum iniit; & ſequente alterum.

Eſt & alius *Caſauboni* gravis error, *p. 43.* quòd L. Commodum Verum *primum Cæſarem* tantùm, *non Imperatorem* ſimul fuiſſe credit ex illis Spartiani: *Nihil habet in ſuâ vitâ memorabile, niſi quòd* primò *tantùm Cæſar eſt appellatus.* Ita reperit in codice regio. Ipſe malebat, *primus.* Ut intelligas, quid velit, attendere debes *diſcrimen* illud *inter Principem*, ſive *Auguſtum*, & *Cæſarem*; quod tantum eſt, quantum *inter Imperatorem & Regem Romanorum* hodiè. Ille rerum potiebatur, hic candidatus imperii & principatus hæres erat: Imò in modum *apparitoris* Auguſto morem gerebat. *Frid. Lindenbrogius ad Ammian. lib. XIV. p. 1. & p. 273.* & velut *apparitor* annonam & ſalarium accipiebat ab Auguſto. *Valeſ. ad d. lib. XIV. Amm. p. 34.* Tamen imperatoriis inſignibus utebatur, ut *pallio coccineo* & *purpurâ*; ſed *ſine auro. Salmaſ. ad Spart. p. 138.*

Hoc honoris genus *primùm* vult *Caſaubonus* introductum *ab Hadriano*; & *primum* eo ſignificatu *Cæſarem* appellatum L. Cejonium Commodum Verum. Et hinc *Aurelio Victori* ſeſe opponit, qui *Trajanum primum Cæſarem* fuiſſe dictum ait. At *Salmaſ. p. 61. 62.* tùm emendationem *Caſauboni* exagitat è melioribus codicibus; tùm *Aurelii Victoris* defenſionem ſuſcipit: In altero facilè aſſentior; in altero dubito. Probo codicum lectionem, qui habent: *Niſi quòd tantùm*

tantùm Cæſar eſt appellatus. Sed in dubium voco, quòd *Victori* ſubſcribere voluit, hîc profectò non Victori. Mihi neque Trajanus neque Hadrianus *primus Cæſar* dictus videtur: Et *nugatus* eſt *Aurelius Victor,* qui aliter judicavit; nam ante utrumque à Galba *L. Calpurnius Piſo Licinianus* adoptatus in ſpem imperii, & *Cæſar* appellatus; non aliter, quàm Trajanus & Hadrianus. *Cæſarem* ſe dictum, ipſe *Piſo* apud *Tacitum lib. I. Hiſt. c. 29. §. 4.* ait: *Sextus dies agitur, ex quo ignarus futuri; & ſive optandum hoc nomen, ſive timendum erat,* Cæſar *adſcitus ſum.* Et *cap. 30. §. 4.* reperit: *Me Galba, conſentientibus vobis,* Cæſarem *dixit.*

Nec alia ſignificatio vocabuli dari poteſt: *Succeſſor* enim *hoc* ipſo *deſignatus* eſt. Quod colligas *dicto lib. I. c. 2. §. 1.* ex illis: *Quatuor Principes ferro interempti.* Ubi cùm *Galbam, Othonem, Vitellium* & *Domitianum* intelligat, *excluſo Piſone*; ſatis apparet, *Cæſarem* eum fuiſſe hoc ipſo ſignificatu, id eſt, *ſucceſſorem,* & *hæredem imperii;* non Imperatorem, vel Principem. Satis ſe etiam explicat Galba in *Orat. d. l. c. 15.* Sed cumprimis *§. 3.* notanda illa: *Auguſtus in domo ſucceſſorem quæſivit; ego in republ.* Nam hæc pulchrè nobis explicant, qualis Cæſar fuerit Piſo, hoc eſt, *ſucceſſor imperii;* & ſimul totius rei veram docent originem.

Ab *Auguſto,* inquam, inſtitutum eſt, qui *ſubſidia dominationi quærens* (ut loquitur *Tacitus lib. I. Annal. c. 3. §. 1.*) è ſua domo nonnullos adoptavit; & *Cæſares* dixit in ſpem imperii. Sic *Agrippæ filii,* ſic

poſt

poſt iſtorum obitum *Tiberius Claudius Nero* adoptatus, & *Tiberius Julius Cæſar* dictus eſt; adjectumq; ab Auguſto: *Hoc reip. causâ facio! Vell. lib. II. c. 104.*

Poſſem hæc oſtendere pluribus, ſed vel è paucis iſtís rem ſatis claram puto; & nunc ad *Antoninum Pium* progrediendum eſt. Hic cùm fatis conceſſiſſet, *L. Cejonius Commodus Verus*, ſive *L. Ælius Cæſar* (nam ita poſt adoptionem dictus eſt) ab Hadriano adoptatus eſt; & cùm priùs *Titus Aurelius Fulvus Bojonius Antoninus* dictus (*Salmaſ. ad Capitol. p. 67.*) eſſet, *Titus Ælius Cæſar Hadrianus Antoninus* appellari cœpit. Additum cognomentum *Pii* à Senatu.

Initium ejus collocant Faſtorum conditores a. d. 6. Id. Jul. A. V. 890. Sed quid de hac aſſertione judicandum ſit, patebit è ſubjecta collatione inter *Chryſerotem*, apud *Scal. in Exc. Græc. p. 400. Dionem*, *Spartianum*, & alios inſtituta. *Chryſeros* ſervi *calatoris officio* aliquando apud Imperatorem Marcum Verum functus eſt; idque elogium illi tribuit *Theophilus Antiochenus lib. III. ad Autolycum*, ut dicat, *manifeſtè & exactè annotâſſe cùm nomina, tùm tempora.*

Res eſt admodum neceſſaria (quòd absque chronologiæ luce Principum iſtorum hiſtoria cimmeriis tenebris obſcurior ſit) at non minus intricata; quàm ut extricemus, adferemus, quam poſſumus, operam; ſi prius *Antonini* noſtri *mores* inſpexerimus. Hi tàm fuerunt emendati, tàm ſancti, & à ſuorum temporum vitiis puri; ut ne calumnia quidem hîc habeat, quod calumnietur. Sanè quem huic præponam, non reperio inter omnes paganos Principes: *Totus Capitolini*

tolini Pius optimi Principis ſpeculum eſt; pleraq; omnia, quæ fecit, præclara & inſignia.

Ita verò potiſſima contraxit *Suidas* è Dione: *Nulli acerbus, nec gravis; cunctis benignus, & mitis erat. In re militari juſtitiam, non gloriam ſpectabat; magis incolumes ſervandos, quàm amplificandos imperii fines ſtatuebat; quantum ejus fieri poterat, viros æquitatis ſtudioſos reip. præficiebat; benè gerentibus honorem habens, improbos ſine acerbitate removens. Ad eum extranei controverſias & lites ſuas deferebant. Opes immenſas, quas privatus poſſidebat, in ſtipendia militum & amicorum neceſſitates impendit; ærarium opulentum reliquit.* Mortuus eſt ſecundùm ſuperiorem calculum A. V. 913. Imperavit, ut vult *Chryſeros*, annis 22. menſes 7. dies 6. Sed locum non carere mendo clarum erit ex ſequentibus.

COLLATIO

Chryſerotis, Dionis, Spartiani, Capitolini, Onuphrii, Goltzii, & aliorum, in annis Imperatorum, *NERVÆ, TRAIANI, HADRIANI & ANTONINI PII.*

NERVÆ Imperatori *Chryſeros* tribuit annum imperii unum, menſes 4. dies 10. Uno die minus dicit *Epitomator Dionis lib. LXVIII. p. 771.* imperâſſe namq; ſcribit annum unum, menſes 4 dies 9. *Euſeb. n. 2112.* in anno & menſibus conſentit, dies omittit. Idem facit *Eutropius lib. VIII.* Sed *Oroſius lib. VII. cap. 11.* etiam menſes notare inſuper habuit.

Juxta

Juxta *Chryſerotem* mortuus eſt a. d. 4. Cal. Febr. A. V. 848, quo die Imperator Domitianus occiſus eſt. *Aurelius Victor* eo die, quo Nerva mortuus, *eclipſin Solis* accidiſſe ſcribit; ſed hallucinatum eſſe notavit *Calviſ. in A. M. 4047.*

TRAJANI initium a. d. 4. Cal. Febr. ſecundùm *Chryſerotem*, a. d. 5. Cal. Febr. ſecundùm *Dionem*. At *Onuphrius* & *Goltzius* initium ejus conſtituunt a. d. 6. Cal. Febr. Imperavit annos 19. menſes 9. dies 16, ut vult *Chryſeros*; juxta cujus ſupputationem ſtatuenda eſſet Trajani mors a. d. 18. Cal. Decemb. A. V. 869. At quin vitium irrepſerit, ferè nullus dubito, propter conſenſum *Dionis* & *Spartiani*; qui Trajani mortem in Sextilem ſatis manifeſtè rejiciunt. Unde legerim apud *Chryſerotem*: Τραϊανὸς ἔτη ιθ, μῆνας ϛ ἡμέρας ιϛ. Hoc eſt: *Trajanus imperavit annos 19. menſes 6. dies 16.* Quod ſi dies rectè ſignificati ſunt; mortuus eſt Trajanus ex hujus ſententiâ, poſtrid. Id. Sextil. vel a. d. 19. Cal. Sept. A. V. 896. At ſecundùm *Dionem* pridie Id. Sextil. Utram ſententiam amplecti velimus, dicendum erit, *hallucinatum Spartianum* eſſe; qui *pag. 3.* ſcribit: tertio Iduum Sextil. *Hadriano* exceſſum *Trajani* nunciatum eſſe. Demus hoc die mortuum, quod *Onuphrius* & (qui vitulâ hujus aravit) *Goltzius* exiſtimârunt; quomodo *Hadrianus* eodem adhuc ſcire potuit? Hadrianus erat *Antiochiæ* in Syriâ: *Trajanus* fato functus eſt *Selinunte* in Ciliciâ; & ut eſt apud *Dionem*, à quo ſtat *auctor Carminum Sibyllinorum lib. V.* Sunt, qui *Seleuciæ* dicant; ſed prioribus fidem habere mavult *Caſaub. ad Spart. p. 10.* Næ aſſentior

tior eidem doctiſſimo viro, cùm ait: *Longiore intervallo* Selinus & Antiochia *ſejunctæ ſunt, quàm ut vel rapidiſſimi veredi, vel incitatiſſimus myoparo pauculis horis tantum iter emetirentur.* Quamobrem nihil hîc turbare nos debet *Spartianus*, ſphalmatis manifeſtus.

HADRIANI initium ſecundùm *Chryſerotem* à nobis correctum poſtridie Id. Sextil. A. V. 869. At ſecundùm *Dionem* prid. Id. Sextil. Imperavit annos 20. menſes 10. dies 28; ut ſcribit *Chryſeros*. *Dio* aſſignat annos 20. menſes 11. ſolidos; ſusq; deq; habens dies illos pauculos, qui deficiebant. Nos è ſupputatione *Chryſerotis* initia & exitus conſtituemus, velut ab accuratiſſimâ: Mortuus eſt igitur a. d. 4. Id. Jul. ſive ſecundùm computationem, è *Dione* ſuprà deductam, a. d. 6. Id. Jul. A. V. 890. Cùm verò natus ſit a. d. 9. Cal. Octobr. A. V. 828. Veſpaſiano ſeptimùm, Tito quintùm Coſſ. (*Spart. in Hadrian. p. 1.*) è *Chryſerote* certum eſt, vixiſſe annos 62. menſes 5. dies 19. Hîc exactè numeri *Dionis* quadrant *lib. LX. p. 797*; ut *Caſaub. ad Spart. p. 41.* malè ſuſpicatus ſit, aliter fortaſſe ſcripſiſſe *Dionem.* Ego hoc profiteor, nihil periculoſius, quàm ſecundùm calculum Onuphrianum emendare numeros in Scriptoribus. *Spartianus p. 12.* annos 72. menſes 5. dies 17. vixiſſe, auctor eſt; quem ob MSS. & editorum conſenſum è *Chryſerote* & *Dione* mutare nefas. Error ipſius eſt, cui aſſidet alius auctoris *Faſtorum Siculorum*, qui tribuit annos 77.

ANTONINI PII initium eſt a. d. 4. Id. Jul. A. V. 890. ſecundùm *Chryſerotem*; a. d. 6. Id. Jul. ſecundùm *Dionem.* Poſteriori calculo acceſſit *Onuphrius.*

phrius. Adoptatus fuit a. d. 5. Cal. Mart. A. V. 890. *Capitolinus in ejus vitâ p. 18.* Imperavit annos 22. menſes 7. dies 6. ut ait *Chryſeros.* Ergò mortuus eſſet juxta calculum iſtum a. d. 14. Cal. Mart. A. V. 913. vel ſecundùm computationem è *Dione* deductam, a. d. 16. Cal. Mart. ſive poſtrid. Id. Mart. Vixiſſet è ſupputatione *Chryſerotis* annos 74. menſes 4. d. 27. Cùm teſte *Capitolino p. 17.* natus ſit a. d. Cal. Octobr. A. V. 838. Imperatore Domitiano duodecimùm, Servio Cornelio Dolabellâ Coſſ. Cæterùm hic potior videtur *Onuphrius* in A. V. 914. qui diem, quo Pius obiit, putat eſſe Nonas Martias; & ad eum abire nos jubet *Caſaub. ad Capitolin. p. 54.* Sanè *Chryſerotis* lectio validè oppugnatur ex *Inſcript. VI. p. 256. & Inſcript. IV. p. 257.* Et è numis apud *Occonem p. 266.* in quibus Pium ad annum Tribunitiæ poteſtatis 24. perveniſſe legimus. Quam ipſam ob cauſam *Joh. Gazenſis* Pium 24. annos regnâſſe ſcribit apud *Salmaſ. notis in Capitolin. p. 74.* Admiſsâ computatione ſuperiore, ad hunc numerum non pervenit: Primùm Tribunitiam poteſtatem acceperat, teſte *Spartiano* a. d. 5. Cal. Mart. A. V. 890. Ex quo manifeſtum eſt; annum 24. initium habiturum fuiſſe cum 5. Cal. Mart. A. V. 913. Sed in eum uſque diem non vixit Antoninus, ut hactenus è *Chryſerote* diximus. Quid ſtatuemus? Hoc unum: Videri mihi, ſcribam apud *Chryſerotem* numerum omiſiſſe. Lego: Ἀντωνῖνος ἔτη κβ. μῆνας ζ. ἡμέρας κϛ. Hoc eſt: *Antoninus imperavit annos 22. menſes 7. dies 26.* Hoc modo deceſſit Nonis Martiis, & ſimul 24. Tribunitiæ poteſtatis annum attigit. Firmat

hanc emendationem *Dio* ſcriptor *Chryſeroti* noſtro parum adverſus, qui *lib. LXXI. p. 815.* ait: *Marcum, Pii ſucceſſorem, imperâſſe annos 19. dies 11.* At obiit idem a. d. 16. Cal. April. ut conſtat ex *eodem lib. p. 814.* Quod ſi regrediamur, apparebit dies, quo Pius obiit; hoc eſt, *Nonæ Martiæ.* Quod ipſum Onuphrio quoque in mentem venit. Idem planè vitium irrepſit in *Theophilum Antiochenum*, ut notat Baronius ad A.C. 163. Atque ita *Antoninus Pius* vixit annos 74. menſes 5. dies 19. *Scal. ad Euſeb. n. 2170.* vult natum, *Euſebiano numero 2109.* & denatum *n. 2178.* Adeoq; 76. annos abſolutos tribuit. Quod ut probari poſſit, hactenus non vidi. Sic alii non minus improvidi, è veteribus videndi, quos citat *Caſaub. ad Capitolin. p. 54. Salmaſ. ad eund. p. 74.* qui tamen vir maximus *bis* in notâ ſuâ maximè *hallucinatur*: Alterum errorem notavit *Reineſius lib. II. Var. c. 17. p. 277.* Alter hic eſt, quòd annum, quo Coſſ. Bradua & Varus, Pio emortualem tradit è *Faſtis Siculis*; cùm revera ſit mortuus M. Aurelio Antonino Cæſare tertiùm, L. Aurelio Vero iterum Coſſ.

MARCUS.

Marcus an fuerit Philoſophus *cognominatus? Marci nomina ante imperium. Caſauboni lapſus. L. Verus particeps imperii, atq; adeò* duo *Auguſti* ſimul. *Bella utriusq; Principis, mores, & fata.*

Antonino

ANtonino Pio, inquit Beſoldus, *filius adoptivus*, M. AURELIUS ANTONINUS *cognomento* PHILOSOPHUS, *ſucceſſit*. At hîc notabis, omnes antiquas hiſtorias hoc cognomen ignorare, omnes ſaxorum inſcriptiones, omnes numos.

Qui Philoſophum appellârunt, ἐπιθέτως non ἐπωνύμως locuti ſunt. Recentiores, qui neſcivêre diſcrimen facere inter *cognomina* Principum, & *epitheta* (quæ à privatis honoris aut probri causâ tribuuntur) Imperatorem populi Romani, novo & olim inaudito cognomine donârunt; ut pluribus docet *Caſaub. ad Capit. p. 56.* Sed nec veteres Capitolini codices in inſcriptione hoc agnoſcunt, ut *Salmaſius* docet *ad eund. p. 76.* Die luſtrico *Catilius Severus* à nomine *proavi materni* appellatus eſt, *Capitol.* pag. 22: *Principio ævi ſui nomen habuit Catilii Severi materni proavi.* Ita partim è codice Palatino, & *Xiphilino*; partim è conjectura reſtituit *Salmaſius* locum, quem *Caſaub. p. 56.* parum feliciter tractavit.

Fallor, an *primo nomine*, quamvis jam Imperatorem factum appellare voluit *Galenus*; in quo multum ſudat *Erycius Puteanus ferc. VII. epiſt. 72?* non reſiſtam tamen Σεβῆρον mutanti in Οὐῆρον. Severi enim nomen tàm diu ſpretum & abjectum ab Antonino, cur Galenus reduceret? Nimirum quòd eſſet veritatis amantiſſimus, tenaciſſimus; ut è *Xiphilino* explicat *Caſaubonus*. Cur autem ab Hadriano? ſubjicit mox *Capitolinus* p. 23: *Educatus erat in Hadriani gremio.* Lege ibidem mox cum Salmaſio: *Et qui ei honorem equi publici ſexenni detulit.* Honor hic *equi*

publici olim per ſe magnus fuit, & cò hîc major, quòd *ſexenni* delatus. *Lipſ. lib. II. Epiſt. Quæſt. 15. & Caſaub. ad Capitolin. p. 59.* multùm deſudârunt in hoc loco; &, ut exiſtimo, profecerunt nihil.

Tertiò & quidem poſt virilem togam dictus eſt M. Annius Verus, ut idem *Capitolinus* nos docet. *Caſaubonus* tùm rediiſſe dicit ad *primum nomen*; ſed fallitur. Nunquam ante hoc tempus *Annius Verus* dictus erat, & primum nomen, ut diximus, *Catilius Severus* fuit. Error profluxit ex emendatione parum proſperâ. Hoc verò ipſo nomine pater, avus, proavus, paterni dicti ſunt, viri nobiles, à *Numa Pompilio* oriundi; ut *Eutropius*, & è Mario Maximo *Capitolinus* aſſerunt.

Maternum Principis hujus genus ad *Malennium* (ita habet codex Palatinus) *Daſummi* filium, Regem *Seletinorum* ſive Japygiæ relatum eſt. Conſulendi, quos laudavimus, *Eutropius* & *Capitolinus*. Adoptatus eſt, juſſu Hadriani, ab Antonino Pio, *hac lege*, ut & ipſe adoptaret *L. Cejonii Commodi Veri, ſive, L. Ælii Cæſaris filium L. Commodum. Capitolin. p. 24.* Tùm abolito *Annii* nomine, *Aurelii* nomen adſcivit, & deſcriptus eſt: M. AURELIUS, T. ÆLII HADRIANI ANTONINI AUGUSTI PII FILIUS VERUS CÆSAR. *Ibid. & Inſcript. X. p. 258. Operis Æterni.* Mortuo Antonino Pio, etiam *Veri* nomen ſuſtulit. *Antonini* accepit, *ibid. p. 25.* Non benè *Lamprid. in Antonino Diadumeno pag. 99.* Veriſſimum nomen tùm ſublatum & abolitum ſcribit; imò Veri: Nam illud, antequam Imperator fieret, adſcribere ſibi deſiit.

Fratrem

Fratrem participem imperii deſignavit; & cùm is L. COMMODUS prius diceretur, tùm L. Aurelium Verum appellavit. *Capitol. ibid.* Errat *Caſaubonus p. 63.* qui Commodum iſtum *ante* adoptionem Verum appellatum aſſerit. Vide *Salmaſ. è Galeno* egregiè diſputantem contrà *p. 82.* Hoc igitur tempore Romanum Imperium *primùm duos Auguſtos* habere cœpit, ut loquitur *Capitolinus*; ſive ut *Eutropius: Tùm primùm Romana reſp. duobus æquo jure imperium adminiſtrantibus paruit.* Hi DIVI FRATRES celebratiſſimi per libros juris, conjunguntur in numis Græcis & Latinis apud *Eryc. Putean. d. epiſt.* Seorſim alter ſemper deſcribitur: M. AURELIUS ANTONINUS. Alter, L. AURELIUS VERUS. Vide numos apud *Goltz. in Theſ. p. 76. & ſeqq.* Scriptores Græci Verum & Lucium contra veram Latinorum nomenclaturam appellant. *Valeſ. ad Ammian. lib. XXVII. p. 339.* Hoc ipſum apud *Chryſerotem* obſervavi.

Hactenus de nominibus: Jam de rebus geſtis Non diu poſt imperium acceptum *Britanni rebellârunt*, contra quos miſſus Calpurnius Agricola. *Capitolin. in Marco p. 25.* Ad hunc ducem refert *Caſaub. p. 64. Inſcr. VII. p. 86. Operis Gruter.* repertam in Northumbria propè vallum Severi. Bellum etiam movit *Vologeſus*, Parthorum Rex; & provincias Romanas graviter afflixit: *Severianum* ducem cum legionibus internecione delevit, A. V. 915. Æliano & Paſtore Coſſ. *Euſeb. n. 2179. Dio lib. LXXI. p. 802.*

Sed mox res proſperè geſtæ per *tres* nobiliſſi-

 mos

mos *duces*, M. Statium Priſcum (ita vocat *Inſcr. XIII. p. 40.*) Avidium Caſſium, & Marcium Verum. *Capitol. in Vero p. 37.* M. Statius Priſcus *Artaxada*, regiam *Armeniorum* cœpit; exin utrique Principum delatum *Armeniaci* cognomentum, *Capitol. in Antonino p. 26. & in Vero p. 37.* Sed Antoninus aliquandiu *per verecundiam* recuſavit, poſteà tamen recepit. Quo anno? 18. Tribunitiæ poteſtatis, ut nos docent numi apud *Occon. p. 283.* cujus initium incidit in 5. Calend. Mart. A. V. 916. quo Coſſ. fuerant Macrinus & Celſus. Nam Tribunitiam poteſtatem primùm acceperat a. d. 5. Cal. Mart. A. V. 899.

Vivo adhuc Pio, eodem anno 916. *Seleucia* cum 300000. hominum *capta*, ut *Euſebius* ſcribit *n. 2118.* qui reſpondet A. V. 916. *Eutropius* ait, cùm 400000. hominum; quod ipſum reperimus apud *Oroſ. lib. VII. c. 13. Dio lib. LXXI. p. 802.* captam vult duce Avidio Caſſio. Obſcurè *Suidas* in ζεῦγμα. *Ammian. Marcell. lib. XXIII. p. 241.* Expugnatam ſcribit, *per Veri duces*. Nec figuratè locutum arbitror.

Magna etiam opera in hoc bello extitit Marici Veri, qui dux conſilio manuq; promptus, eloquentiâ non minus quàm armis validus, ut è *Dione Suidas* eum deprædicat. Hic certè *M. Aurelium Soæmum*, Achemenidis Regis filium, Arſacidis nepotem, à Vologæſo, Parthorum Rege pulſum, & *Romæ in ſenatorium ordinem relatum*, ubi *Conſulatum* geſſit (*Jamblichus Syrus in Biblioth. Photii Cod. XCIV.*) in regnum *majoris Armeniæ* reſtituit. *Suidas in Marcius Verus.* Factum id vel iisdem Macrino & Celſo Coſſ.

vel

vel anno ſeq. 917. M. Gavio Orfito, L. Arrio Pudente Coſſ. Numus apud *Occonem p. 304:* L. VERUS. AUG. ARMENIACUS. TR. P. IV. IMP. II. COS. II. REX. ARMEN. DAT. Quod alius *ibidem* explicat; REX ARMENIIS DATUS. Quartus annus Tribunitiæ poteſtatis, qui Veri fuit, reſpondet A. V. 916. & 917; partem enim hujus, partem illius complectitur.

Cæterùm hoc anno 917. ulteriùs in *Parthiam* itum, & bello finis impoſitus eſt. Uterque Imperator *Parthici* cognomentum tulit. *Capitol. in Marco* pag. 26: *Profligato bello* (i. e. confecto) *uterque Parthicus appellatus eſt; ſed hoc quoque nomen repudiavit, quod poſtea recepit.* Numus apud *Occon. p. 283:* M. AUREL. ANTONINUS. AUG. ARM. PARTH. MAX. P. M. TR. P. XIX. IMP. III. COS. III. Hic annus, qui in numero notatus eſt, partem A. V. 917. partem A. 918. complectitur.

Quoniam *Capitolinus* ait, *Parthici cognomen non ſtatim receptum fuiſſe* in Marco, referam numum ad A. V. 918. quo ipſo, hoc eſt, Servilio Pudente, L. Fufidio Pollione Coſſ. de Parthis, Medis & Rege Vologæſo *Pii fratres* triumphârunt. Ait enim *Capitolinus in Vero p. 37*, bellum Parthicum *per quadriennium* fuiſſe geſtum. Primus annus, hoc eſt, A. V. 914. itu, reditu, belli apparatione vel ordinatione provinciæ inſumptus eſt. A. V. 915. abiit Verus, ſed dum ille indulget voluptatibus, provincias impunè vaſtat Vologæſus. *Capit. p. 37. Euſeb. n. 2179.* Sed mox correctæ clades à ducibus. Hinc apparet illud *quadriennium.*

Sed ait *Capitolinus* in *Marco p. 28*, fratrem poſt *quinquennium* reverſum. Non igitur rectè *Onuphrius* & *Goltzius* in A. V. 917. collocant triumphum Principum; quem ex verbis *Capitolini* debebant ſeriùs, hoc eſt, A. V. 918. Cui ſententeniæ propinquus etiam fuit *Caſaub. ad Capitol. p. 68.*

Finito bello *Parthico* natum eſt atrociſſimum illud, quod *Marcomannicum* dicitur: Inflictæ rei Romanæ clades immenſæ, urbes captæ & direptæ, cæſi exercitus. Hoc *Ammianus* dixit *lib. XXXI. p. 445.* Sed locus hodiè corruptiſſimus eſt, quem reſtituere conatos *Caſaubonum* & *Salmaſium* ſpe ſuâ falli judicat *Valeſ. ad Ammian. p. 422.* Ambo Imperatores contra hoſtes profecti ſunt, Victualis (ita *Palatinus* Codex vocat) & Marcomannis cuncta turbantibus. Sed cùm *Aquilejam* usque veniſſent, ibi hybernârunt, ut ſtatim ineunte vere in *Marcomannos* proficiſcerentur; quod è *Galeno* probat *Salmaſius p. 86.* Hinc Reges pleriq; ſe retraxerunt, & legatos miſerunt, defectionis veniam poſtulantes; quod cùm fieret, *Lucius* redeundum eſſe cenſebat: *Marcus* autem ulterius tendendum, quòd ſimulatè illa fieri à barbaris crederet; ne mole belli premerentur. *Capitolin. p. 28.* Igitur tranſcenſis Alpibus longiùs proceſſerunt, compoſuerùntque omnia, quæ ad munimen Italiæ atque Illyrici pertinebant.

Sed non multò pòſt Lucius Verus, dum regrederetur, inter *Altinum* & *Concordiam*, impetu ruentis ſanguinis, & vitales vias obſtruentis, momento ereptus & ſuffocatus eſt. Apoplexiam Medici appellant.

Vide

Vide *Eutrop.* & *Capitolinum.* Alii veneno ſublatum volunt: Præter *Capitolinum*, *Victorem*, *Herodianum*, *Dionem*, *Philoſtratus in vitâ Herodis.* Mortem ejus conjiciunt Faſtorum conditores in A. V. 921. Q. Soſio Priſco, P. Cœlio Apollinare Coſſ. A quibus diſſentit *Scal. ad Euſeb. n. 2185*, qui 11. annos illi tribuit. Sed illos confirmant numi, quos de anno Tribunitiæ poteſtatis decimo vel undecimo habemus nonnullos. Et in hac ſententia fuiſſe alios veterum, teſtatur *Euſebius.*

Marcus reliquias Lucii Romam devexit, iisque conditis, & *Vero Divo* appellato (huc pertinet numus: DIVUS VERUS. PARTHICUS. Et ab altera facie: CONSECRATIO S. C.) expeditionem adverſus *Marcomannos* reſumpſit; quod factum eſt intra exiguum tempus, ut adverſus *Caſaub.* docet *Salmaſ. p. 91.* In hac autem expeditione, præter ſpem omnium, diu manſit, ut *Galenus* ait.

Præcipua belli hujus *gloria* penes *Chriſtianos* fuit, quorum *precibus* divinitùs *impetratâ tempeſtate*, in Romanos ſecunda, hoſtibus exitiabili; *Quadi*, qui poſtremi reſtiterant, ſummo prælio magnâ acceptâ clade ſuperati ſunt. *Dio lib. LXXI. p. 805.* Marcum pluviam *artibus magicis* elicuiſſe ſcribit, cujus *mendacium* non admiſit *Claudianus in ſexto Conſul.* Honorii:

- - *Seu, quod reor, omne* Tonantis
Obſequium *Marci mores potuêre mereri.*

Capitol. p. 32. de Marco eodem: *Fulmen de cœlo precibus ſuis, contra hoſtium machinamentum, extorſit; ſuis pluviâ impetratâ, cùm ſiti laborarent.* Ubi *machinamentum* appellat verſutum conſilium hoſtium de

X v Roma-

Romanis concludendis, & æſtu ſitiq; conficiendis. Sed noſtri *Chriſtianorum precibus* tàm inopinatam liberationem impetratam ſcribunt. Vide *Euſ. n. 2189. Tertullianum in Apologet. c. 5. & ad Scapulam cap. 4.* Et è recentioribus *Baron. in A. C. 176. Onuphr. in A. V. 927.* Sed *Epiſtola Marci*, quam ibi totam deſcripſit, *genuina non eſt*; ut judicant viri doctiſſimi. *Scal. ad Euſeb. p. 203. & Salm. ad Capitol. p. 95.*

Sed & quæ de legione fulminatrice referunt, falſis mixta ſunt; ut cenſet idem *Scal.* Quin fulminatricis legionis nomen jam *Trajani temporibus* fuit, ut manifeſtum eſt ex *Inſcr. III. p. 193.* Ipſe *Onuphrius in lib. de Imperio Romano p. 817.* legionem iſtam *fulminatricem ab Auguſto inſtitutam* vult; quæ fortaſſis ſic appellata eſt, quòd fulminis more hoſtes percuteret; vel quòd omnes ejus legionis milites *in ſcutis* haberent *fulmina picta.* Habeo ſanè inter alia venerandæ antiquitatis monumenta quatuor tabulas, in quibus expreſſa ſunt totius legionis officia: Sed *in* omnium militum *ſcutis fulmen* conſpicere eſt.

Conjiciunt verò belli hujus finem in A. V. 926. quo Coſſ. fuerunt Gallus & Flaccus Cornelianus. Poſt hæc bellum civile movit *Avidius Pudens Caſſius,* Heliodori F. (ita deſcribendus eſt, *Valeſ. ad Ex. Peir. p. 103.*) ſed victoria penes Marcum ſtetit; quâ moderatiſſimè uſus eſt. Extat numus, cum inſcriptione: M. ANTONINUS. AUG. GERM. SARM. TR. P. XXXI. IMP. VIII. COS. III. P. P. conſpiciturq; figura *ſtans cum face ardente*, comburens epiſtolas *ad Caſſium contra Marcum* ſcriptas. De qua ipſa re *Dio in Exc. Peir. p. 715.* Tùm

Tùm in Germaniam reverſus, cum *Marcomannis*, & *Hermunduris*, & *Sarmatis*, & *Quadis*, tertium bellum geſſit; quod de provincia prius animo agitaverat, tunc proximè perfecturus fuiſſe creditus; niſi ingentibus conatibus mors interceſſiſſet. Quæ incidit in A. V. 932. a. d. 16. Cal. April. cùm illo anno Coſſ. fuiſſent Bruttius Præſens iterum, S. Quinctilius Gordianus.

Uti frater ejus *Verus* luxuriæ & ignaviæ vitiis infamis eſt, ſic in hoc Scriptores conſentiunt, fuiſſe virum optimum. Corporis vires minùs ſuppetebant, tamen illud ipſum ex infirmiſſimo laborum tolerantisſimum reddidit. Liberalitate (ita verto εὐεργεσίαν ex numis, in quibus *Liberalitas* frequens. Valeſius, *beneficentia*) plurimum delectabatur; cui ædem in Capitolio extruxit. Ipſe à vitiis ſibi cavens, aliorum tamen peccata leniter tolerabat; dum nec inveſtigaret ea curioſiùs, nec puniret; bonos proſequebatur laude, ſecus geſta diſſimulatione transmittebat. Calumniatores ejus ὑπόκρισιν dicebant, ſed cùm illa facilè transluceat, hic per tot annos ſimilis ſui extitit.

Adjumento fuerunt *ſtudia literarum*, oratoria & philoſophica; quibus ſupra omnes Imperatores excelluit. Sed accedebat *naturæ dexteritas*, in virtutem adeò propenſa; ut adhuc *puer ab omnibus diligeretur*, æſtimaretur. Hæc & plura *Dio in Exc. Peir. p. 721.* cum quo conferendus *Capitol. in ejus vita.*

COMMODUS.

Commodi ſuperbia, crudelitas, libido & impudicitia.

citia. Stratagema lurconis *in convivio.* *Commodi mors, & nomenclatura.*

LAudavimus Marcum, & *ferè pœnitet.* Quid ita? genuit Commodum non patriæ patrem, ſed vitricum, ſed hoſtem & parricidam; eòq; veſaniæ progreſſum, ut Herculem Romanum, Jovis filium, ſe dici juſſerit, depoſito cultu Romano, *leonis exuviis*, vice ſtragulæ veſtis, uſus ſit; & *clavam* geſtârit. *Joh. Antiochenus in Exc. Peir. 822.* Teſtis eſt *Camdenus in Britan. p. 593.* erutam fuiſſe in colle, quem à Burgo *Burgh* dicunt, Cõmodi *ſtatuam, Herculis habitu*; quo ipſo conſpicitur in numo CV. *Octavii Stradæ.* Idem omnium *menſium nomina* mutavit. Vide *Salmaſ. ad Lampr. Commod. p. 119*, ex quo conſtabit, Idus Commodas in *Inſcript. III. pag. 330*, eſſe Idus Sextiles. Coloſſi *Rhodii capite* ſublato *ſuum* impoſuit. *Scal. ad Euſeb. n. 2205.*

Plures nobilium occidit, quàm quiſquam alius; & ex his *Quinctilios* à Trojanis oriundos, cum totâ domo extinxit. *Pinguem* hominem *medio* ventre *diſſecuit*, ut ejus inteſtina ſubitò effunderentur. *Monopodicos* & *Luſcinios* (quibus aut alterum pedem fregiſſet, aut oculum eruiſſet) appellabat.

Acceſſerunt libidines deteſtandæ: *Trecentas* enim *concubinas* in palatio aluit, quas ſub oculis ſuis ſtuprari jubebat; in juvenes irruebat, & ab iiſdem toto corpore polluebatur: Irridentes ſe feris objiciebat. Valdè amabat homines, appellatos nominibus pudendorum utriuſq; ſexus: Sic & chariſſimus extitit

quidam

quidam μονοβελὴς; quod verbum cujus ſignificationis ſit, docet *Salmaſ. ad Lampr. p. 182. Majoris peculii* virum interpretatur *Caſaub. p. 546.* Malim, loquantur alii, quàm ego; qui vereor, ut talia omnia narrando Muſas minùs propitias habeam: In harum enim ædibus docendum eſt, non ad Marſyæ ſtatuam; vel coram hortorum DEO. Dicam paucis: hircoſus, putidiorq́; omnibus cloacis, Princeps hic fuit.

Addam hoc unum, ut intelligas, orbem illum idololatricum quantum punierit Deus: Cùm convivium celebraret, ſæpè pretioſiſſimis *cibis* humana *ſtercora* miſcuit, nec abſtinuit guſtu; aliis irriſis homo furioſus putabat magnum facere, cùm ſuos cõvivas ab eſu ciborum (quibus ille delectaretur) hac ſpurcitiâ averteret. Honeſtius adhuc ſtratagema fuit *lurconis* illius *apud Athenæum lib. I. p. 5.* qui, quò minùs cibos attingerent vicini, os & fauces aſſuevit, ne calidiſſimis offenderentur; coquos deinde rogavit, ut calidiſſima menſis inferrent; quo facto, reliquis, ne urerentur, cunctantibus, ipſe ſolus ventrem ſuum cibis egregiè ſaburravit.

Natus erat Commodus, vel Incommodus potiùs, patre patruoq́; Coſſ. prid. Calend. Septembr. *illo ipſo die, quem* Caligula *primitus aſpexit*; ut è *Suet. Calig. cap. 8.* diſcimus. Occiſus eſt A. V. 944. pridie Cal. Jan. Se ſeptimùm, Pub. Helvio Pertinace Coſſ. In numis & lapidibus modò *L. Aurelius Commodus*, modò *M. Commodus Antoninus* dicitur; modò *L. Ælius Aurelius Commodus*, modò *M. Ælius Aurelius Commodus Antoninus.* Vide *Goltz. in Theſ. c. 4. p. 81.*

p. 81. & 82. & de cæde ejus *Lampridium*, doctiſſimosq; interpretes, *Caſaub. & Salmaſ. Baron. in A. C. 194. Scal. ad Euſeb. n. 2208.*

PERTINAX.

Sphalma in Beſoldo. Pertinacis natale ſolum. Ætas. Profeſſio *ante imperium. Honores ſtatim recepti. Mors. Laudabiliter geſta.*

CORruptiſſimis libris uſus Beſoldus, ÆLIUM PERTINACEM vocat, ſed P. HELVIUS PERTINAX tùm ab auctoribus lectionis fidelioris, tùm in numis Græcis & Latinis deſcribitur. Etiam *P. Helvius Pertinax*, iterùm Conſul, & adhuc privatus appellatur, *Inſcript. IV. p. 56.* è quâ ſimul convellitur id, quod ajunt, *Pertinacem* fuiſſe dictum; quòd imperium *pertinaciter* recuſâſſet.

Dio Ligurem Domo Albâ, *Capitolinus* natum in Apennino villâ Martis. *Aurelius Victor* in Agro Squalido Lollii Gentiani (ita corrigo) apud Ligures auctor eſt. Imperium accepit *ſeptuagenario major*, ut vult *Euſeb. n. 2209.* à quo diſſentiunt alii. Vide *Scal. add. num.* Ante imperium *Grammaticen profeſſum* eſſe verùm eſt, quod ſcribit Beſoldus. Accepit hoc à *Capitolino*, qui conſulendus *in Pertinacis vitâ, p. 54.*

Primus omnium eâ die, quâ Auguſtus eſt appellatus, etiam *patris patriæ* nomen recepit; nec non imperium *proconſulare*, cum jure quartæ relationis; quod *ominis loco* illi fuit. Nam alii non niſi ſerò hæc recipiebant. Occiſus eſt A. V. 946. a. d. 5. Cal. April. Q. Soſio Falcone, C. Jul. Fructo Claro Coſſ.

Senatui

Senatui favit, *delatores* punivit, *annonæ* diligentiſſimè providit; *ſcurras* illos Commodi, de quibus dixi, *turpiſſimorum nominum*, proſcripſit ac vendidit: Multa deniq; præclarè geſſit in repub. Hujusdem digniſſima illa vox eſt, quæ aureis literis ſcribatur in omnibus curiis ac palatiis: *Sanctius eſt, P. C. inopem rempub. obtinere, quàm ad divitiarum cumulum, per diſcrimina atq; dedecoris veſtigia pervenire.* Capitol. *in ejus vitâ, p. 56.* Erat in animo, quod Plinius *ſub Trajano* pronunciârat: *Fiſci mala cauſa nunquam, niſi ſub bono Principe.* Atq; hâc in parte æquavit laudem *Marci*, de quo *Capitolinus* pag. 27: *Fiſco nunquam favit.* Similis poſteà extitit *Conſtantii Chlori* virtus, de quo *Libanius in βασιλικῷ*: *Præſtantiſſimus Princeps tutius ærarium ducebat ipſas privatorum domus. Cùm autem ſumptuum neceſſitas incidisſet, ſufficiebat, neceſſitatem ærarii edixiſſe; ſtatimq; omnia pecuniis redundârunt, ſponte conferentibus provincialibus.* Extat ejus rei exemplum inſigne apud *Euſeb. lib. 1. de Vitâ Conſtantini, cap. 10.* Adde *Joh. Antioch. in Exc. Peir. p. 837.* Ab eadem virtute *Julianum* commendat *Ammianus lib. XXV. p. 294. Vid. ibid. Valeſ. p. 302.*

DIDIUS JULIANUS.

Iuliani ſtirps. Inſcriptio de honoribus & magiſtratibus ejusdem. Græculorum nugæ in nomine Didii. *Frugalitatis* exempla dúo. *Iuliani præcipua facta*, & mors.

Impe-

Imperatoris hujus genus è lapidibus, *Reineſ. lib. III. Variarum c. 2. p. 342. 343.* oſtendit hunc in modum: *Petronius Didius Severus. Avus paternus Didius Severus. Proavus paternus Didius Severus Inſuber Mediolanenſis. Mater Vibia Salvia Vara*, Spartiano *Æmilia Clara. Avunculus Salvius Julianus occiſus à Commodo, Avus maternus C. Vibius Juvencius Varus Coſ. A. V. 886. Avia materna* ſive *Salvia*, ſive alio nomine appellata, *Salvii Juliani J Cti filia.* Quem *J Ctum* cum Imperatore perperam confundunt, non tàm multi è recentioribus, quàm Græci aliquot Scriptores; Νομοθέτην appellantes Principem, & *Aurelius Victor*, & *Euſeb.* Dixi hac de re *ad Pomponium.*

Quos magiſtratus ante imperium geſſerit, docet egregium antiquitatis Romanæ monumentum, nondum publici juris factum; ſed cùm ei nocuerit tempus edax rerum, ùt ſuppleretur, egregiam operam attulit idem *Reineſ. lib. XXIX.* Proinde ſupplementum cum verbis inſcriptionis, ut eam ſuâ manu deſcriptam *Romæ, in hortis Marchionis Juſtiniani; ad portam Flaminiam*, ad nos miſit *Pet. Servius Vir Cl.* Sed *minuſculis* à monumento *diſtinctum* hîc ſubjiciam:

*P. Did. Sev*ERO. JULIANO.
Coſ. Procoſ. AFRICÆ. LEG. AUG.
Pro pr. PONTI. ET. BITHYNIÆ.
*Pro pr. Gala*TIÆ. DALMATIÆ. BELGICÆ. GERM. AFRICÆ. ET. ACHAIÆ. PRÆTORI.
*Tute*LARI. CONSULUM. TRIB. LEG.

XXII. *Primi.*

XXII. *Prim. Anton.* XV. V. *Stl.* . . :
*Jud*ICANTIS. SODALI. ANTONIANO.
Optimo PRÆSIDI. PATRONO.
*Indul*G. BISICA. LUCANA. EX AFRICA.

Secutus eſt in lineâ priore *Caſaub. ad Spart. p.110.* verùm ſubdubitare cogor, an Petronii nomen locum habeat? *Salvium Julianum* dicit *Lapis II. pag. 459.* Petronii nomen vix reperio; niſi de eo interpretari velimus *Inſcr. II. p: 302.* Patrem ita appellatum ſcio ex *Spartiano*; ſed *prænominis loco* poſitum, vix gentilitium videtur; & poſito gentilitium eſſe, nemo ignorat, illis temporibus filios *diverſiſſimam nomenclaturam* habere cœpiſſe *à parentibus*: Sic enim *Juliani fratres* Petronii nomen tuliſſe videntur, quorum alter *Numius Albinus*, alter *L. Roſcius Julianus Proculus* deſcribitur; idemq; *Didius Proculus* Spartiano. *Didius* indubiè *gentilitium ſolum* eſt: Hinc Juliani Imperatoris filia *Didia Clara* apud *Spart.* & in argenteo numo apud *Occonem p. 338.* M. DIDIUS. SEVERUS. JULIANUS. AUG. deſcribitur, in numis. Et hanc deſcriptionem locum habituram ſpero in lapide noſtro.

Mirè nugantur *Geörgius Monachus* & *Cedrenus*; qui *Didium* παρὰ τῦ διδόναι nuncupatum ſcribunt; quòd *magna pecunia vi imperium eſſet mercatus*. Poſteà milites adjecerunt *Commodi* cognomen, *Dio lib. LXXIII. p. 835.* Hinc apud *Goltzium* numus hic eſt: IMP. CÆS. M. DID. COMM. SEVER. JULIANUS. AUG. P. M. TR. P. COS.

Tanta Principis hujus fuit parſimonia, ut per

triduum *porcellum*, per triduum *leporem* diviſerit, ſi quis ei fortè miſiſſet: Sæpè autem nullâ exiſtente religione (nota hîc obiter, etiam veteres paganos, ad morem hodiernorum Pontificiorum, religionis cauſâ, *abſtinuiſſe carnibus; & oleribus ſe leguminibusq; oblectâſſe*; ut è *Porphyrio* docet *Caſaub. p. 111.*) oleribus leguminibusq; contentus, ſine carne cœnaverit. *Spart. p. 61.* Idem ferè lego apud *Aur. Victor.* de matre Alexandri Severi *Mammæa*; quæ *inteſtina*, quamvis permodica (ſi menſæ prandio ſupereſſent) filio appoſuerit *in convivio altero.* Idem mitiſſimus fuit in ferendis injuriis. Hæc è *Spartiano* diſces: At *Dio in Exc. Petr. p. 731.* notat à moribus perditiſſimis, inexplebili avaritiâ, ſimulq; luxuriâ & rerum novarum cupiditate. Hoc de illo certum; *imperium malè quæſitum, malè perdidiſſe.* Occiſus eſt eod. anno 945. quo imperium rapuit, Cal. Juniis.

SEPTIMIUS SEVERUS.

Severi patria & genus. Imperatorum vanitas *in affectandâ* nobilitate. *Pertinacis mores & obitus.*

L. SEPTIMIUS SEVERUS Africâ oriundus oppido Lepti, *Spart. in Severo p. 64. Euſeb. n. 2209. Eutrop. & Aurel. Victor*, qui ex emendatione *Salmaſii* dicit, *ortum medìè humilem*, hoc eſt, *ortum non valdè humili loco*, ſed mediocriter humili. *Morell. in Stat. p. 129 & Baron. in A. C. 195.* Septimii Severi Leptitani, ad quem extat lyricum *Statii lib. IV. Sylv.*

Sylv. pronepotem arbitrantur. Quibus ſubſcribit *Voſſius lib. I. Inſt. Orat. c. 5. ſect. 11. p. 58.* Ipſe ex ambitione, ſive ut validius domui ſuæ redderet imperium, DIVI MARCI ANTONINI PII. GERM. SARMATICI FILIUM, DIVI COMMODI FRATREM ſe vocat in *Lapide II. p. 264. & I. p. 265. & V. p. ead.* Quod ipſum *Dio* & *Spartianus* notant.

Imitati ſunt hoc exemplum, quicunq; obſcuro genere nati, ad imperii usque faſtigium conſcenderunt. Sic poſteà *Macrinus in nomen Severi* ſe inſulſit; cùm illius nullâ cognatione tangeretur. *Capit. in Macrin. p. 95. ex emendatione Salmaſ. p. 170. Alexander Severus*, quia pudebat eum *Syrum* dici, originem è *Metellorum* gente præ ſe ferebat. *Lampr. in Alex. p. 123. 129.* Claudius originem *Trojanam* ementiebatur: *Treb. Pollio in Claud. p. 206. Salmaſ. ad Treb. pag. 345.* Ajunt alii *Gordianum*, cùm hic adoleſcens uxorem ducturus, more nequiſſimorum temporum, *à muliere, in Veneris palaſtrâ* ſatis exercitâ, *inſtitueretur* ad ludum nuptialem; tyrocinium ſuum poſuiſſe ſub artifice magiſtrâ, *parente Claudii*; atque hinc iſtum pro *Gordiani* filio habitum. Sic deniquè *Juſtinianus* Imperator, Juſtiniani Imperatoris pater adoptivus, *Anitiis* inſeri voluit. *Aleman. apud Procop. p. 13. & 14.*

Sed ad Severum: Is Imperator factus, PERTINACIS nomen adſcivit, quod præter *Spartianum* & *Dionem* numi & Græci cum lapidibus teſtantur; in quibus L. SEPTIMIUS SEVERUS PERTINAX deſcribitur. Initium autem imperii incidit in Id. Sext. A. V. 945. *Spart. p. 65.* Sed notat *Caſ. p. 113.*

non poſſe verum eſſe de hoc menſe, niſi ſit error in numeris temporum; quibus imperârunt *Pertinax* & *Julianus*: Nec dubium eſſe, quin *Majo* & *Junio* mota ſit mentio in exercitu de creando Severo. *Goltzius* & *Onuphrius* initium conſtituunt Id. Maj. anno altero imperii, hoc eſt, A. V. 946. Seipſo iterum, & Albino iterum Coſſ.

Æmilianum, *Peſcennium Nigrum*, *Arabes*, *Parthos* & *Adiabenos* vicit, *Spart. p. 67.* Numus argenteus: L. SEPT. SEV. PERT. AUG. IMP. V. PARTH. ARAB. COS. II. P. P. Eadem obſervabis *Inſcript. VI. p. 266.* Diſciplinæ militaris cuſtos acerrimus, vini avidus, cibi parcus; rei Venereæ, niſi ad creandos liberos, prorſus ignarus. Deniq; ut compendio dicam, vir domi foriq; conſpicuus, ſed *Imperator infelix*. In numis Græcis & Latinis: IMP. CÆSAR. CAJUS. PESCENNIUS. NIGER. JUSTUS deſcribitur.

Nigro interfecto, bellum civile movit *Clodius Albinus*, quem in numis integrè appellatum legimus: D. CLODIUM. SEPTIMIUM. ALBINUM. Imperatorem exercitus in Galliâ fecerat; nequaquam cum Peſcennio comparandum, guloſum, injuſtum, atrocem; qui nulli delicto pepercerit: Veſtibus prætereà nimis ſtudioſum, in convivio ſordidum, & ſoli ſtudentem copiæ, depingit *Spart.* Hoc tamen in eo laudandum, quòd averſæ Veneris ſemper fuerit ignarus. Cœſum Faſtorum conditores volunt, a. d. II. Cal. Mart. A. V. 949. Appio Claudio Laterano, M. Mario Titio Ruffino Coſſ.

Eodem

Eodem tempore motum & confectum bellum *Judaicum* & *Samariticum*. *Euſeb. num. 2213.* Unde, *Spartiano* teſte, triumphus Judaicus S.C. decretus eſt. Bellum nusquam reperire ſe poſuiſſe ſcribit *Caſaubonus*; at meminit *Euſebius* loco, quo dixi.

Anno ſequente, hoc eſt, A.V. 950. Ti. Saturnino. C. Gallo Coſſ. prid. Id. Majas, Severi filius, natu major M. AURELIUS ANTONINUS (*Baſſiani Caracallæ* nomine vulgò notior) IMP. CÆS. appellatus eſt, & Tribunitiam poteſtatem accepit. *Baron. in A.C. 197.* Huc pertinet *Inſcr. II. p. 1020*: IMP. CÆSAR. L. SEPTIMIUS. SEV. PIUS. PERTINAX. PONT. MAX. TRIB. POT. VI. IMP. CÆS. M. AURELIUS. ANTONINUS. AUG. IMP. SEVERI. AUG. FIL. TRIB. POT. PROCOS. Ex quâ cùm conſtet, ſexto Tribunitiæ poteſtatis anno abſoluto, *primùm Caracallæ* numerari cœpiſſe; ſimul illud manifeſtum eſt, quod de initio Caracallæ ſcripſerunt annalium inſtauratores; conſtituendum eſſe in A. V. 950.

Hinc etiam *Salmaſius* figmentum eſſe putat, quòd apud *Spartianum* & *Victorem* legimus: Cùm *Severus* pedibus æger bellum *Parthicum* moraretur, idq́; milites anxiè ferrent; ejusq́; filium *Baſſianum*, qui unà erat, Auguſtum feciſſent, tolli ſe, & in tribunal ferri juſſiſſe; adeſſe deinde tribunos, centuriones, duces & cohortes, quibus auctoribus id acciderat: Siſti deinde filium, qui Auguſti nomen accepiſſet. Tùm in auctores ſupplicium imperantem, milites humi proſtratos rogâſſe omnes, & Principi ſupplicatos eſſe.

 Quo

Quo viſo, manu caput contingentem dixiſſe: Tandem ſentitis, caput hoc imperare, non pedes! *Hæc*, inquam, *omnia fabuloſa* videntur doctiſſimo viro: Nam ante bellum Parthicum jam pater filium Aug. & Imperatorem dixerat. Eodem verò anno 950, immani virorum illuſtrium cæde Severus filiis ſuis imperium ſtabilire voluit; iisq; perpetratis, expeditionem contra Parthos ſuſcepit; de quâ *Scal. ad Euſeb. n. 2215*. Sed hunc dum legis, memorem te volumus illius, quod ſuprà diximus; *Dionyſii verſus* non eſſe capiendos de Severo & Caracalla, ſed de *divis fratribus*. Cteſiphontem usque, pulſo Parthorum Rege, pervenit, idq; bellum duravit usque ad A. V. 954. Nam illo anno in Syria Conſulatum tertium cum filio iniit.

Imperatorem appellatum *P. Septimium Getam* A. V. 953. L. Annio Fabiano, M. Nonio Mutiano Coſſ. vult *Inſcr. II. p. 157.* de cujus ſcripturâ ne dubites, confer *Inſcr. V. VII. & VIII. p. ejusd.* Attulerunt eandem *Scal. ad Euſeb. & Salmaſ. ad Spart.* Accedit *Caſaubonus*, cùm ait: *Getam Auguſtum nuncupavit Severus, octavum annum imperans, vel ad ſummum nonum*. Sed qui Faſtos concinnârunt, P. SEPTIMIUM GETAM AUGUSTUM appellatum, & Tribunitiam poteſtatem accepiſſe volunt A. V. 960. Caracallâ tertiùm, Getâ iterum Coſſ. pro quibus faciunt numi. Apud *Spartianum* invenio Getam Cæſarem à militibus appellatum *poſt victoriam Parthicam*, anno ante Conſulatum tertium patris; unde ſuſpicer, qui inſcriptionem illam propoſuit, per errorem *Imperatorem* dixiſſe, quem *Cæſarem* debuerat. Ulti-

Ultimum opus Severi memoratu dignum fuit, *expeditio Britannica*, & *vallum* illud *à mari ad mare*; cujus reliquias hodieq; conſpicere eſt. *Scal. ad Euſ. n. 2222.* Mortuus eſt Severus *Eboraci* in Britannia, prid. Non. Febr. A. V. 963. Lolliano Baſſiano & Gentiano Coſſ. natus annos 66 Ultima verba exhalantis animam fuerunt: *Turbatam remp ubiq; accepi, pacatam, etiam Britannis, relinquo!* Idem quaſi teſtis vitæ mortalium: *Cuncta*, inquit, *fui*; *conducit nihil.* Quibus verbis, ait *Caſaubonus*, complexus eſt integri libelli ejus (finem ſolum excipimus) ſummam; qui à ſapientiſſimo Regum Salomone ſuper humanarum rerum vanitate, planè divinitùs eſt compoſitus. *Adde Lipſ. lib. II. Monit. & Exempl. polit. 14.* Corpus militari more à militibus elatum, impoſitumq; in rogum honeſtatum militum & filiorum *decurſione*, in loco, quem *Sivers* à Severo dictum ait *Camdenus in Britan. p. 569.*

Fuit imperator cibi parciſſimus, leguminis patrii avidus, vini aliquando cupidus, carnis frequenter ignarus; utilis Reip. ſi quisquam alius, ſed ob multas cædes Patribus Conſcriptis formidabilis.

ADDITAMENTUM.

Beſoldus in Synopſi majore recenſet viros doctos, qui ſub Severo floruerunt: Iis velim adjicias *C. J. Solinum Polyhiſtorem*, Plinii compilatorem; qui Senatusconſultum, quod *de non occidendis Senatoribus* Severus ab initio fieri juſſerat, perſcripſit; ſed mox ab eodem occiſus eſt. *Valeſ. ad Exc. Peir. p. 105.*

CARACALLA.

Erratum in Synopſi noſtra corrigitur. Caracallæ nomen. *Iulia, Caracallæ mater.* Lapis, *ad quem offenderunt viri docti,* examinatur. *Non rarò in Faſtis Conſulum* paria eorundem cognominum *diverſis temporibus. Caracallæ mores & cædes.*

MOrtuo Severo, CARACALLA & GETA imperium acceperunt. Immane peccatum eſt in Synopſi minore, quæ poſt Severum nominat *Antoninum Baſſianum, Caracallæ filium.* Corrige: *Antoninus Baſſianus Caracalla, filius*, ſcil. Severi. Ob genus veſtimenti demiſſi usque ad thalos, quod populo dederat, *Caracallæ* nomen tulit. *Euſeb. n. 2229.* ubi *Scaliger* conſulendus eſt. Adde doctiſſimos interpretes Spartiani, *Caſaub. & Salmaſ.* Græcis ſemper Καρακαλλος. In numis & lapidibus M. AURELIUS ANTONINUS deſcribitur.

Mater utriusq; Caracallæ & Getæ, *Julia Syra*, ſtudiis philoſophiæ tàm exercita, ut Φιλόσοφος dicatur à *Philoſtrato*, (*Reineſ. lib. II. Var. cap. 12. Salmaſ. ad Spart. p. 140.*) In numis JULIA DOMNA (hoc eſt, Domina) ΙΟΥΛΙΑ ΔΟΜΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, JULIA AUGUSTA, ΔΟΜΝΑ ΙΟΥΛΙΑ ΣΕΥΕΡΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, JULIA PIA AUGUSTA. Hoc verò è *Dione, Philoſtrato, Oppiano & Herodiano* fuſè probat *Salmaſius* contra *Spartianum*; qui ſcripſerat, *Baſſianum è priore matrimonio ſuſceptum, & Getam*

ex

ex Julia. In quo errore *Euſebium* quoque hæſitâſſe patet è *n. 2232.*

Difficultatem majorem peperit *Inſcr. VI. p. 6.* quæ dedicata I. O. M. ET. JUNONI. REGINÆ. PRO. SALUTE. IMP. M. AURELII. ANTONINI. PII. AUG. ET. JULIÆ. AUGUSTÆ. MATRIS. AUGUSTI. Non poſſe alium M. Aurelium Antoninum intelligi, niſi Caracallam, nec aliam Juliam Auguſtam, niſi Juliam Severi, *Scaliger* & *Salmaſius* profitentur; & tamen illa ipſa inſcriptio Conſules ſubſcriptos habet FALCONEM & CLARUM; qui, ut viri laudati volunt, Conſulatum geſſerunt A.V. 945. Quo tempore Caracalla *quatuor annorum* puerulus, nec dum Imperator. *Reineſ. lib. I. Variar. c. 21. p. 87.* pollicitus eſt, ſe in *Examine inſcriptionum veterum* daturum inſcriptionis explicationem tàm planam, ut omnes eam intelligant: Nec quin hoc ipſum præſtiturus ſit, ulli dubitamus. Sed valdè cupientibus tàm diuturna mora nimis moleſta eſt, ἔξεχ' ὦ φίλ' ἥλιε!

Interim, dum id fiat, promam hîc, quod mihi videtur. Aliam *Juliam* reperire non poſſum: Sed cum *Salmaſio* & *Scaligero* lapidem interpretor de *Julia Severi*, matre Caracallæ. Subſcriptionem quod attinet, per *Falconem* & *Clarum* non intelligo *Q. Soſium Falconem, Cajum Jul. Fructum Clarum*, Coſſ. ordinarios A. V. 945. ſed par aliquot ſuffectorum, poſt mortem Severi; quod annumeramus centum paribus, quæ in Faſtis non extant hodiè.

Stupes ad hanc reſponſionem meam? non eſt

Y v Meduſæ

Meduſæ caput. Legiſti enim Faſtos liberæ reip. nec obſervâſti A. V. 268. Vibulanum & Maluginenſem Coſſ. Et A. V. 294. Conſulum par *eorundem cognominum?* Sic Albinum & Piſonem Coſſ. habes A. V. 573, & rurſus *eorundem cognominum*, ſed diverſos à ſuperioribus A. V. 605. Sic A. V. 535. conſpiciuntur Tiberius Sempronius Longus, P. Cornelius Scipio Coſſ. Et rurſus Tiberius Sempronius Longus, Pub. Cornelius Scipio, diverſi à ſuperioribus, A. V. 559. Sic Lentulum & Craſſum legis in A. V. 656. & Lentulum & Craſſum diu pòſt reperis in A. V. 739. Sic L. Piſonem & M. Druſum Conſulatum geſſiſſe vides A. V. 641. & eundem honorem adeptos L. Piſonem M. Druſum A. V. 738. Quid igitur tergiverſaris, ſi poſt Q. Soſium Falconem & C. Julium Fructum Clarum tibi damus alios ab his diverſos; ſed ejusdem cognominis.

Et ex iſtis Falconem habeo pro filio Q. Soſii Falconis, de quo *Capitolinus* in Pertinace: *Falconi, qui Pertinaci inſidias ſtruxerat, ille ipſe pepercit; & à Senatu impunitatem ejus petiit. Deniq. Falco in rebus ſuis ſecurus vixit, &* HÆREDE FILIO *periit.* Hæredem, inquam, filium, Falconem hunc poſteriorem eſſe ſuſpicor, ſub Caracallâ Coſ. Reſponſum aliud in præſentiarum nunc moneta mea non ſuggerit.

Nunc de CARACALLA: Is fratrem ſuum PUB. SEPTIMIUM GETAM, participem imperii, altero anno poſt patris mortem, hoc eſt, A. V. 964. duobus Aſpris Coſſ. (ita nominantur *Inſcr. I. p. 132.*)

p. 132.) Juliani Aſpri filiis *(Valeſ. ad Exc. Peir. p. 106. 107.)* nefariâ fraude interfecit a. d. 5. Cal. Mart. Vide *Spart. in Caracalla & Geta. Herodotum lib. IV. Dion. lib. LXXVII.* qui fuſè res ejus deſcribunt. Adde inſignia *Fragmenta Peir. à pag. 742. usque ad 761.* Ex his breviter tibi *hominem* deſcribo, *furioſum, ad omnia præcipitem, virtutis, & illuſtrium virorum hoſtem; bonis exitioſum, cædibus aſſiduè ſævientem; prodigum in milites,* φίλαυτον, *rapacem nec à fraternis manibus abſtinentem; vitiis ſuis gloriantem, omnibus denique terribilem; niſi Germanis & aliis hoſtibus, qui ſtultum ridebant, pecuniâ emungebant, vel cladibus mulctabant.* Cùm aliquando *virgini Veſtali* vim feciſſet, ſtatim *omnis eum* Venerea *vis deſtituit.* De cæde *Papiniani* (cujus Beſoldus meminit) adeundus *Spart. in Severo p. 72. Inſcr. VIII. p. 348.* Æmilium Paulum Papinianum, patrem Hoſtilium Papinianum, matrem Eugeniam Gracilem vocat. Ipſe verò Caracalla inter Edeſſam & Carras rurſus occiſus eſt a. d. 6. Id. Apr. A. V. 969. C. Brutio Præſente, T. Meſſio Extricato Coſſ. *Baron. in A. C. 219. Scal. ad Euſ. n. 2232.* De ætate ejus prolixè diſputat *Caſaub. ad Spart. p. 133.*

MACRINUS.

Macrinus alieno genere ſe inſerit. Vitium Beſoldianæ Synopſeos. Macrini & Diadumeniani interitus.

HIc obſcuro loco natus apud *Mauros* in colonia Julia Cæſarea, *Jubæ* quondam *regia.* Præfectus prætorio A. V. 968. *Capitol. in Macrin.* *Spart.*

Spart. in Carac. Dio in Exc. Peir. p. 759. Occiſo Caracallâ imperium à militibus accepit, & ſe in *nomen Severi*, quo majorem benevolentiam aſſequeretur, inſulſit. *Capitol. in ejus vitâ p. 95. ex emendatione Salmaſ. p. 170.* Hinc in numis deſcribitur: M. OPILIUS. SEVERUS. MACRINUS. Lego etiam in alio: IMP. CÆS. M. OPILII. AURELII. SEVERI. MACRINI. AUG. Cæterùm ſatis hinc apparet, quàm malè vocatus ſit in Synopſi noſtra minore Popilius Macrinus.

Altero anno, qui fuit ab V. C. 970, filium *M. Opilium Macrinum Diadumenianum* (quem è Nonia Celſa ſtupro antè cognita quàm ducta genuit) Conſulem illo anno, collegâ Ecdiciano Advento, Imperatorem Auguſtum appellavit. Sed uterq; paulò pòſt, hoc eſt, a. d. 7. Id. Jun. commiſſo contra *Heliogabalum* prælio, in finibus Phœnices & Syriæ, victus & in fugâ interfectus eſt. De loco cædis vid. *Caſaub. ad Macrinum p. 139.*

Pater timidus & impudens fuit, qui *pacem emit à Parthis*; honores dedit indignis. Sed nec in filio quicquam, præter pulchritudinem, memorabile. In numis: M OPILIUS MACRINUS DIADUMENIANUS. Item. M. OPILIUS ANTONINUS DIADUMENIANUS. Et: IMP. CÆSAR. ANTONINUS. PIUS. DIADUMENIANUS. deſcribitur. Plura petenda ſunt ex *Herodiano & Dione.*

HELIO-

HELIOGABALUS.

Heliogabali genus. Nomen unde? Beſoldi ſententia rejicitur. Helagabali nomenclatura, *vanitas & cædes.*

FLagitioſiſſimi hominis iſtius genus hoc fuit: Baſſianus, *Phœniciâ* oriundus, filias habuit *Juliam Domnam Auguſtam*, Caracallæ matrem, & *Juliam Mæſam.* Hæc *Julium Avitum* Conſularem Virum maritum habuit; & ex illo *Juliam Sohæmiadem* & *Jul. Mammæam.* Sohæmias Vario Marcello, ſenatorii ordinis viro, nupta peperit *Avitum*; qui & *Baſſianus* dictus eſt; ex avi & proavi materni nomine; ex paterno autem nomine *Varius.* Conſulendus *Valeſ. ad Exc. Peir. p. 111. 112.*

Et hic notiſſimus ex ſceleribus & flagitiis HELIOGABALUS eſt, de quo nomine multa *Scal. ad Euſ. n. 2234. Baron. ad A. C. 220. Fullerus lib. I. Miſcellan. Sacr. cap. 14.* & poſt hos *Caſaub. & Salmaſ. ad Lamprid. Voſſ. lib. II. de Idol. c. 5.* Dicam paucis: Derivant primam partem ab *Elah*, ſive Arabicè *Alah*; quæ vox DEUM ſignificat. Sed in alterâ parte diſſentiunt: *Scaligerum* ſequitur *Beſoldus*, qui *Alagabalum* vult eſſe Deum Gabalitarum; nos *Voſſii* & *Salmaſii* opinionem: *Gebel* Arabibus montem ſignificat; & *Elagabalus* ſive *Alagabalus* nihil aliud, quàm *Deus mons.* Huc nos ducit *Herodianus*, è quo colligimus, Emiſenos *Solem* coluiſſe *in montis effigie*; quem montem cœlo delapſum credebant. Hinc *Alagabalus* appellatus, quaſi *Deus mons*, vel *in montis figuram* effigia-

effigiatus. In numis frequenter deſcriptus eſt: IMP. CÆSAR. M. AURELIUS. ANTONINUS. PIUS. FELIX. AUG. SACERDOS. DEI. SOLIS. ELAGABALI.

Haberi voluit pro Caracallæ filio, Severi nepote; ut tùm ex aliis, tùm ex *Inſcr. III. p. 158.* & *Inſcr. VII. p. 1058.* manifeſtum eſt. Rectè verò de hoc Beſoldus: *Adeò turpis fuit, ut ejus facta abſque rubore nequeat referre.* Abſtinemus igitur etiam nos, & aures præbemus illi *Plinii* dicto: *Parum abeſſe à docente eum, qui narret.* Quamvis aliàs tueri me poſſem ex *Athen. lib. I. p. 14. Diod. Sic. in Exc. Peir. p. 266. Frehero lib. II. de Exiſtimatione c. 1. §. 5. Freinshem. ad Curt. lib. IV. c. 10. §. 23.* Occiditur cum matre A. V. 974. a. d. 6. Id. Mart. *Baron. in A. C. 224.*

ALEXANDER MAMMÆÆ.

Alexander Princeps laudatus. Bellator infelix. Narratio Beſoldiana è Lampridio & aliis rejicitur. Alexandri cædes.

MAter hujus Principis (qui ex numis integrè appellandus eſt, M. AURELIUS SEVERUS ALEXANDER) *Julia Mammæa*; de qua jam in Heliogabalo. At quis pater fuerit, dici non poteſt. Vide *Valeſ. l. c.* Cæſar ab Heliogabalo dictus eſt a. d. 7. Id. Jun. A. V. 973. & anno ſequenti, poſt illius mortem Imperator, magno S.P.Q.R. conſenſu.

Habet inter laudatos Principes locum, utpote cujus *imperium incruentum* ferè fuit. Sanè *à Marci princi-*

principatu illud ipſum quaſi *ſecundo loco* celebrabatur. *Joh. Ant. Exc. Peir. p. 830. Pighius in Hercule Prodic. p. 250.* Sed bello non perinde fœlix fuit: Quod enim Beſoldus è *Lampridio, Eutropio,* & *Euſebio* refert, *Artaxerxem*, Perſarum Regem, ingenti prælio viciſſe, & *Meſopotamiam* ab Heliogabalo deperditam *recuperâſſe*; ex Orientalium libris & *Herodiano* ſatis confutavimus alibi: Nam ex illis conſtat, tot ſtragibus affectum eſſe, ut Perſis cederet *Suſianâ, Cœleſyriâ, Chaldæâ, Palæſtinâ & Græciæ parte.* Adde *Caſaub. ad Lamprid. p. 173.* Occiſus eſt *Moguntiaci*, in Germaniâ, tumultu militari, inſidiis *Maximini* A. V. 987. L. Catilio Severo, L. Ragonio Urinatio Tuſcenio Quinctiano Coſſ. a. d. 15. Calend. April. Vide *Scal. ad Euſeb, n. 2250.*

MAXIMINUS & MAXIMUS.

Maximini genus, & crudelitas. Maximi filii pulchritudo. Utriusq; cædes.

C. JULIUS MAXIMINUS THRAX, patre *Miccâ*, matre *Hababâ* (ita legit Palatinus codex Capitolini) poſt occupatum imperium C. *I. Verum Maximum* filium a. d. 4. Id. Octobr. Cæſarem appellat. Vir fuit & roboris & *voracitatis ſtupendæ*, ferini prorſus animi; qui ex molli manſuetoq; imperio ad tyrannidem vertere omnia contendebat. Hoſtis etiam Chriſtianorum acerrimus. *Joh. Antiochen. in Exc. Peir. p. 830.* Bellator alioquin ſtrenuus, *Germanos* graviter afflixit. Filius ob *pulchritudinem*

dinem celebris, quæ tanta fuit, ut *caput mortui*, & ſi jam nigrum & deformatum, videretur eſſe caput umbræ pulcerrimæ. Ita *Capitolinum* explicat *Salmaſ. p. 256.* Occiſus eſt uterq; A. V. 989.

GORDIANI, PATER ET FILIUS.

Gordiani parentes. Cum filio quamdiu regnârit. Utriusq; mores & mors.

M. ANTONINUS GORDIANUS AFRICANUS (ita in numis deſcribitur) Procaſ. Africæ, natus ex patre *Metio Marullo*; matre *Ulpiâ Gordianâ*; origine paternâ *Gracchorum* familiam, maternâ *Trajani* domum complexus eſt. *Capitol. p. 151.* In Africâ Imperator ſalutatus eſt cum filio, *M. Antonio Gordiano Africano.* De Africani cognomine *Caſaub.* vide *ad Capitolinum p. 191.* Uterq; non niſi unum menſem, dies 6. imperavit. *Idem p. 193.*

De morte utriusq; diſſenſus eſt. *Zoſimus* tradit, *naufragio* periiſſe; quod fabuloſum eſſe, docet *Salmaſ.* Ut certum credunt alii, *victum* filium *à Capelliano*, Mauritaniæ rectore; qui *Maximini* partium erat: Et interemptum eſſe, cùm tempeſtas, turbato *Gordiani* exercitu, facilem illi præberet victoriam; eoque cognito, *Gordianum* ſeniorem *laqueo* vitam finiiſſe. Hoc *Onuphrius*, approbante *Caſaubono*, factum putat Cal. Jun. A. V. 989. Pub. Titio Perpetuo, L. Ovinio Ruſtico Corneliano Coſſ.

Pater adeò modeſtus erat, ut nihil dici poſſet, quod

quod ille feciſſet aut cupidè aut immoderatè. Filius formâ conſpicuus, memoriæ ſingularis, bonitatis inſignis & juris peritus. *Lampridius* ex emendatione Salmaſii: *Antonius Gordianus*, *Gordiani Imperatoris filius, & ipſe Imperator*, ſcilicet, *in conſilio Alexandri Severi fuit.* Capitolinus: *Nec civibus nec reipub. ad conſultationem defuit.*

Hoc tamen in eo reprehenſum, quòd mulierum eſſet cupidiſſimus. Habuit enim concubinas XXII. è quibus omnibus *ternos* aut *quaternos filios* reliquit. Hinc Priamus, & ab aliis per jocum, Priapus dictus eſt.

MAXIMUS & BALBINUS.

Balbini & Maximi nomenclatura. Diſſenſum à Salmaſio *in explicatione numi: Uterque caſus.*

COgnito Gordianorum interitu, Senatus metu perculſus, *contra Maximinum*, a. d. 7. Id. Jul. A. V. 989. Imperatores creavit BALBINUM ET MAXIMUM. Alterum Clodium Balbinum vocat *Capitol.* cui adverſi ſunt omnes numi; in quibus deſcriptus eſt D. CÆLIUS BALBINUS. Alter dictus M. CLODIUS PUPIENUS MAXIMUS; ut nos docent iidem numi.

Sed huic deſcriptioni opponit ſe *Salmaſius ad Capitolini Maximum p. 269:* IMP. C. M. CLOD. PUPIENUS, & IMP. CÆS. M. CLOD. PUPIENUS. explicat: *Imperator Cajus Maximus Clodius*

Pupienus. Et: *Imp. Cæſar, Maximus Clodius Pupienus*. Cras credam hoc aſſerenti, hodiè aſſentiri metuo. Græci habent: ΑΥΤ. Κ. Μ. ΚΛΩΔΙ. ΠΟΥΠΙΗΝ. ΜΑΞΙΜ. ΑΥΓ. ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥ. ΥΠΑΤΟΣ. ΤΟΥ. Β. Hoc eſt: *Imp. Cæſ. Marcus Clodius Pupienus Maximus Auguſtus, Tribunitiâ poteſtate Coſ. iterum*. Ex quibus intelligimus, quàm *Caji prænomen* non habeat locum; quàmq; fruſtra ſit *Salmaſius* in totâ illâ obſervatione ſuâ.

1. Utriusq; Principis mores quod attinet, *Balbinus* ſanctitate & verecundiâ ingentem ſibi favorem conciliavit; ſtaturâ procerus, eloquentiâ clarus, voluptatibus deditus; quas adjuvabat divitiarum abundantia. *Pupienus Maximus*, domi foriſq; ſemper ſeverus, vultu gravis, juſtus; & hinc (ni fallor) egenus. Miſſus *contra Maximinum*, cùm bellum *ad Ravennam* ſummo ſtudio parat; ad eum capita *Maximini* & *Maximi*, patris & filii miſſa ſunt. Sed dum poſt victoriam Balbinus & Maximus clàm inter ſe diſſentiunt, uterq; ſeditione militari occubuit A. V. 990. (ut vult *Onuphrius*) Pio & Pontiano Coſſ. Sed hoc alibi cum curâ expendimus. Interim *Caſaubonum* vide *p. 171. Baron. in A. C. 240.*

GORDIANUS NEPOS.

Gordiani hujus pater incertus. Ejusdem mores, cædes, uxor.

SEditione concitatâ inter Prætorianos & populum, ita ut potiſſima pars urbis incenderetur, & conflagraret, templa fœdarentur; *M. Clod. Pupienus*

pienus Maximus, M. ANTONIUM GORDIANUM, ſedandæ ſeditionis, ad populum *purpuratum produxit*; quo viſo concordia rediit. Factum id putat Onuphrius A. V. 989. Perpetuo & Corneliano Coſſ. Sed tunc *Cæſar* ſaltem appellatus eſt. Cæſis autem Balbino & Maximo, Tribunitiam poteſtatem cum imperio accepit, natus annos 13.

Hunc alii, ut *Dexippus*, Gordiani ſenioris nepotem ex filio; alii, ut *Herodianus*, ex filiâ volunt. Fuit juvenis lætus & amabilis. Contra Perſas profectus *Saporem* vincit, *Antiochiam*, *Carras*, & *Niſibin* recipit, C. Aufidio Attico, C. Aſinio Prætextato Coſſ. Vide *Caſaub. ad Capitol.* Occiditur perfidiâ *M. Julii Philippi Arabis* A. V. 996. Peregrino & Æmiliano Coſſ. Uxor *Furia Sabina Tranquillina*; Miſithei filia. *Inſcr. XI. p. 1085.*

MARCIUS.

SEnatus cùm accepiſſet *Gordiani III.* mortem, uſus jure ſuo, MARCIUM quendam è Senatu, ſapientiæ & philoſophiæ ſtudiis deditum, Imperatorem creavit. Sed is mox in palatio morbo abſumptus eſt, ut è *Zonarâ* docet *Caſaub. ad Auguſt. Hiſtoriæ Scriptores p. 201.* Numus apud *Golzium in Theſauro:* IMP. CÆS. M. MARCIUS. AUG. P. M. TR. P.

HOSTILIANUS.

MArcio extincto, eorundem Patrum ſuffragiis ſucceſſit hic, qui morbo ſtatim correptus, *poſt miſſum ſanguinem* fatis conceſſit. *Caſaub. d. l.*

In numo deſcribitur: IMP. CÆS. LUCIUS. AURELIUS. SEVERUS. HOSTILIANUS.

PHILIPPI, PATER ET FILIUS.

Philippus Chriſtianum fuiſſe negatur. Filius ad imperium provectus mutat nomen. Vtriusq́; cædes.

M. JULIUS PHILIPPUS ARABS, occiſo Gordiano III, imperium invadit in Oriente A. V. 996. *Chriſtianum* fuiſſe, multi ſcribunt ex *Euſebio*; nos accedimus *Scaligero ad Euſ. n. 2260*, qui cenſet, magnam injuriam ſacroſancto Chriſti cultui facere, qui primi hunc *latronem Araba*, Domini ſui innocentiſſimi, & reip. maximè neceſſarii interfectorem, idolorum cultorem, & ex cujus vitâ nihil tale colligi poteſt, Chriſtianum auſi ſunt dicere: Et *epiſtolas Origenis* ad eum & Severam ejus uxorem commenti ſunt; ut mimo fides haberetur. *Euſebius* quidem veniam meretur, quòd ab aliis deceptus eſt, ut patet è *lib. VI. Hiſtor. Eccleſ. cap. 36*. Hæc & plura *Scaliger*. Poſt Euſebium verò idipſum tradidit *Oroſius lib. VII. cap. 20*. Oroſium exſcripſit auctor *anonymus de Conſtantio Chloro, Conſtantino M. & aliis Imperatoribus*; quem primus publicavit *Valeſ. cum Ammiano, pag. 476*.

Quòd verò *Baronius* ſuſpicatus eſt, & *Beſoldus* hîc amplectitur, *Chriſtianum* demùm *factum*, poſtquam imperare cœpit; apud me nullam habet veri ſpeciem.

ſpeciem. Nec quiſquam, ſcio, admittet, qui Philippi, jam Principis, idololatrica non pauca apud Scriptores genuinos legerit. Vero ſimilior conjectura *Baronii* altera, cui etiam *Caſaubonus* accedit; confudiſſe quosdam *Philippum Arabem*, cum *Philippo Auguſtali*, patre S. Eugeniæ. Et tantum de iſto.

Biennio pòſt, hoc eſt, A. V. 999. Philippus *filium* ſuum *aſſumſit in conſortium* imperii; qui cùm priùs appellaretur C. JULIUS SATURNINUS PHILIPPUS, accepto imperio, in nomina patris tranſiit; ut multi docent numi. *Chronico Alexandrino* Φίλιππος ὁ Ἰουνίωρ. Scilicet auctor illius inſcitè *cognomen* fecit ex Latino, *quo à ſeniore diſtinguebatur*. Annos potentiæ *quinq;* egiſſe ſcribit *Aurel. Victor*, alii *ſex*. Occiſi ſunt à militibus A. V. 1001. L. Junio Æmiliano iterum, C. Vettio Aquilino Coſſ. Vide præter *Onuphr*, *Baron. in A. C. 251.*

JOTAPIANUS.

HIc Alexandri Severi ſtirpe tumens, Philippi temporibus, ut ſcribit *Zoſim. lib. I.* imperium in Oriente occupavit. Sed ſtatim oppreſſus, cum imperio vitam ſimul amiſit. Sed *Aur. Victor*, caput ejus ad Decium Imperatorem Romanum fuiſſe delatum, ait.

MARINUS.

EOdem tempore, quo Jotapianus in *Syria*, Marinus in *Pannonia* vel *Mœſia* à legionibus præſidiariis Imperator ſalutatus eſt, nec multò pòſt

trucidatus; ut narrant *Zoſim.* & *Zonar.* Miratur *Caſaubonus*, quo auctore quidam appellent PUBL. CARVILIUM MARINUM. Miror ergò, mirari Caſaubonum. Numus Græcus apud *Goltzium in Theſ.* ΑΥΤ. Κ. ΠΟΥΒΛ. ΚΑΡΟΥΙΛ. ΜΑΡΕΙΝΟΣ. ΣΕΒ. Et Latinus: IMP. C. P. CARVIL. MARINUS. AUG. Appellârunt igitur ex numis. Macrinum perperam dicit *Beſoldus* in Synopſi majore.

DECIUS, PATER.

Decii genus. Spuria inſcriptio de Philippis. S. Laurentius *non paſſus ſub Decio. Deciorum patris & filii interitus. Quis iſte filius? Onuphrii ſententia, quam* Goltzius *ſequitur, rejicitur.*

CN. MESSIUS Q. TRAJANUS DECIUS (ita deſcribitur in multis numis, & *Inſcr. VI. p. 273.*) familiâ dignitateq; præſtabat, ut ait *Zoſim. d. l. 1.* Et ſanè valdè clara Deciorum domus inferioribus temporibus, cujus præter alios *Sidonius* meminit *lib. 1. ep. 9.* Hic autem ſuffragiis militum in Illyrico nactus imperium, Philippum *patrem* ad Veronam *devicit*; qui ibidem periit, ut filius Romæ.

Baronius in A. C. 253. de utriusq; morte hanc Inſcriptionem profert, & agnoſcit pro veteri: ANNO. CHRISTI. CCLIII. IMP. DIVUS. PHILIPPUS. SENIOR. VERONÆ. ET. ROMÆ. JUNIOR. A. SATELLITIBUS. OCCISUS. EST. Sed *Scal. ad Euſ.* ſuppoſititiam eſſe ſatis demonſtrat, & deſcriptam ex *Chronico Hieronymiano.*

De-

Decius poſthæc perſecutus Chriſtianos, inter alios *D. Laurentium* crudeli mortis genere ſuſtulit, ut *Euſebius* vult *n. 2267*. Sed hanc ſententiam multis refellit *Baronius, notis ad Martyrolog. Roman. diem X. Aug*. Ubi docet, *Laurentium* paſſum eſſe *ſub Valeriano* Principe.

Ab aliis valdè commendatur hic Decius, qui nomen *optimi Principis* judicio Senatus meruerit, artibus cunctis, virtutibusq́; inſtructus; placidus, comis, armisq́; promptiſſimus. Contra *Gothos* pugnans, *equi lapſu* proſtratus, & *paludis voragini* immerſus, cùm inde non poſſet emergere, à Barbaris oppreſſus eſt; ut præter *Zoſimum* ſcriptum reliquit *Ammian. Marcell. lib. XXXI. p. 462*.

Addunt alii filium ſimul occiſum. Victor Schotti: *Decii Barbaros trans Danubium inſectantes, Bruti fraude cecidêre*. Jornandes: *Ipſe bellantibus Getis cum filio ſuo crudeli morte occubuit abrupto*. Caſſiodorus: *Decius cum filio ſuo in Abricio Thraciæ loco à Getis occiditur*. De corruptelis horum locorum vide *Scalig. ad Euſ. n. 2267*.

Decii filium, ajunt, in numis & lapidibus deſcribi. Q. HERENNIUM. ETRUSCUM. MESSIUM. DECIUM. NOBILISSIMUM. CÆSAREM. PRINCIPEM. JUVENTUTIS. Idem IMP. CÆS. AUG. in aliis dicitur. Sed hunc ad imperium perveniſſe poſt patris mortem, ſtatimq́; inſidiis ſublatum à *C. Vibio Trebaniano Gallo* vult *Onuphrius* è *Zoſimo*; quem *Goltzius* ſequitur.

Reperitur etiam in numis: IMP. CÆS. C.

VALENS. HOSTILIANUS. MESSIUS. QUINTUS. AUG quem *Decii generum* idem *Onuphrius* ſuſpicatur, occiſum ab eodem Gallo. Mihi res non ſatis expedita eſt. Quòd ait *Onuphrius*, ex omnibus auctoribus conſtare, Decium Imperatorem *unum tantùm filium* habuiſſe, *Decium Cæſarem*; tàm apud me falſum eſt, quàm quod falſiſſimum. *Unum* cum patre occiſum docuerunt nos *Victor*, *Jornandes*, & *Caſſiodorus*. *Alterum* poſt patris mortem à Gallo adoptatum ſcribit *Zoſimus*. Et quid multis? manifeſtè *Zoſimus* tribuit *duos* his verbis: Καὶ τὸν ἔτι περιόντα τῶν αὐτοῦ (Δεκίου) παίδων ἐποιεῖτο. Hoc eſt: *Alterum ex filiis ejus ſuperſtitem adoptabat.* Satis etiam judicat, alterum occiſum cum patre. Quod diligenter conſideranti, omninò ſtatuendum videtur. Q. Herennium Etruſcum Meſſium Decium occiſum, cum patre Cn. Meſſio Quinto Trajano Decio; eundemq; Imperatorem *Cæſarem appellatum* ante cædem patris: alterum autem filium eſſe C. Valentem Hoſtilianum Meſſium Quintum.

Nugæ igitur ſunt, quas *Onuphrius* vendidit, Q. Herennium Etruſcum Meſſium Decium imperium accepiſſe poſt interitum Decii *patris*, & C. Valentem Hoſtilianum Meſſium Quinctum, Decii ſenioris *generum* eſſe. Neutrum verum: Quis non ex cognominibus Meſſii & Quincti, quæ Valenti Hoſtiliano dantur, concludat; filium potiùs eſſe Cn. Meſſii Quincti Trajani Decii, quàm generum?

Sed quando uterq; cæſus? Novembri, ut puto, aut Decembri A. V. 1003. *Treb. Pollio in Valer. p.173.*

Duobus

Duobus Deciis Coſſ. a. d. 6. Cal. Novembr. cùm ob imperatorias literas *in æde Caſtorum Senatus* haberetur. Ergo Octobr. extremo adhuc vivebat Decius, quod è ſeqq. etiam apparet.

PRISCUS LICINIANUS. GALLUS VOLUSIANUS. HOSTILIANUS ÆMILIANUS.

Victoris & Caſauboni *lapſus in nominandis Imperatoribus notantur.* Eutropius *emendatur. Nomenclatura vera Imperatorum è numis demonſtratur.*

TEmporum iſtorum hiſtoriam valdè involutam conqueritur *Caſaubonus ad Auguſtæ Hiſt. Scriptores, p. 202.* Et meritò: Vix enim unus Scriptor cum altero dicit idem. Sed tamen Vir doctiſſimus non præſtitit, quod præſtandum ſuſceperat. Veram hiſtoriam tibi damus hoc modo: Vivis adhuc Deciis, LUCIUS PRISCUS, *Macedoniæ Præſes*, Imperator appellatus eſt. *Victor.* An ſit Philippus Imperatoris frater, quem inter præcipuos duces illorum temporum nominat *Zoſimus*, haud conſtat.

Per eadem tempora imperium invaſit LICINIANUS. *S. Aur. Victor.* Hujus (ſc. Decii) temporibus *Valens Licinianus* Imperator effectus eſt. Malè *Valentis nomen* tribuit, *ablatum Hoſtiliano*; ſicut paulò pòſt eodem errore *Hoſtilianum Perpennam* vocat; cùm *Perpenna* cognomen ſit *Liciniani*. Numus, IMP.

 CÆS.

CÆS. M. AUF. PERPENNA. LICINIAN. AUG. P. M. TR. P. P. P. Hoc cùm non attenderet *Caſaubonus*, mirè turbavit omnia; de quo mox.

Liciniani hujus quod fatum fuerit, mihi quidem incertum eſt: Volunt *peſtilentiâ* abſumptum, è *Victore*. Sed malo id de *Hoſtiliano* credere, propter auctoritatem *alterius Victoris*, quàm de Perpennâ Liciniano.

Deciis occiſis, C. VIBIUS TREBONIANUS GALLUS, qui Decium patrem fraudulento conſilio circumvenit, imperium invaſit; & filium C. VIBIUM VOLUSIANUM Auguſtum dixit. *Zoſim. lib. II.* Gallus verò cùm ad imperium perveniſſet, ac *Voluſianum filium* Auguſtum appellâſſet, magnum Barbarorum res incrementum cœperunt. Utriusq; Principis meminerunt multi numi.

Paulò pòſt cùm *Gallus* Romam veniſſet (ait idem *Zoſimus*) imperii Deciani memoriam cum honore ac benevolentiâ uſurpavit, & alterum ex filiis ejus ſuperſtitem adoptavit. Hic eſt, ut ſuprâ dixi, C. VALENS HOSTILIANUS MESSIUS QUINCTUS. De his tribus ait *Victor* alter: *Hæc ubi Patres comperêre* (ſc. Decios cæſos eſſe) *Gallo Hoſtilianoq; auguſta imperia, Voluſianum Gallo editum, Cæſarem decernunt.* In hoc diverſus à *Zoſimo*, quòd Voluſianum *Cæſarem* ſtatuit, *non Auguſtum.* Imò numis adverſus, in quibus legitur: IMP. CÆS C. VALENS. HOSTILIANUS. MES. QUINCTUS. AUG.

Metuens dein Gallus, ne S. P. Q. R. ob benevolentiam erga Decii domum, *ſolum Hoſtilianum* Imperato-

peratorem vellet, mortem ei per inſidias paravit; ut inquit *Zoſimus*. *Victor* eum *peſtilentiâ* periiſſe dicit; quod idem legimus apud *Victorem alterum*. Sed perperam *Hoſtilianum Perpennam* appellat, quod *Liciniani cognomen* eſt; & in errorem ſimul inducit auctorem hiſtoriæ miſcellæ, qui ait: *Mox exercitus Imperatores creavit Vibium Gallum, & filium Galli Voluſianum. Horum temporibus Hoſtilianus perperam à Senatu Imperator creatus, nec multo pòst peſtilentiâ conſumptus eſt.* Errant largiter. Hoſtilianus *Perpennæ cognomen* non tulit, quod ex numis manifeſtiſſimum; tulit autem *Licinianus*, de quo dixi. Simul autem impoſuêre *Caſaubono*, quod factum nollem.

Cæterùm *de his tribus Imperatoribus*, C. Vibio Treboniano Gallo, inquam, C. Valente Hoſtiliano Meſſio Quincto, Decii filio, & C. Vibio Voluſiano, Galli filio, locutus eſt *Eutropius*; ſed qui vulgò peſſimè habet: *Mox*, inquit, *Imperatores creati ſunt Gallus Hoſtilianus, & Galli filius Voluſianus: E tribus facti ſunt duo.* Hinc inductus etiam *Pæanius*: Διαδέχεται δὲ τὴν βασιλείαν Γάλλος Ὁστιλιανὸς, καὶ ὁ τούτου παῖς Βουλουσιανός. Hoc eſt: *Imperium accepit Gallus Hoſtilianus, & ejus filius Voluſianus.* Vide, quantum poſſit *omiſſa diſtinctio* leviſſima! Scripſerat Eutropius: *Mox Imperatores creati ſunt, Gallus, Hoſtilianus, & Galli filius Voluſianus.* Ita *tres* habemus.

Sublato, vel adhuc vivo Hoſtiliano *Æmilianus*, legionum Pannonicarum dux, *victis Scythis*, ab iiſdem Imperator ſalutatus eſt. Numus Græcus: ΑΥΤ. Κ. Γ. ΙΟΥΛΙΟΣ, ΑΙΜΙΛΙΑΝΟΣ. ΣΕΒ. Latinus: IMP. CÆS.

CÆS. C. JUL. ÆMILIANUS. PIUS. FEL. AUG. *Æmilium Æmilianum* neſcio, quàm benè dicit *Victor?*

Hic C. Vibium Trebonianum Gallum, & C. Vibium Voluſianum filium ejus bello petens, tantum terrorem fecit; ut *Gallus* & *Voluſianus* à copiis ſuis occiderentur: Sic *Æmilianus ſolus* rerum potitus eſt. *Eutrop. lib. IX. Zoſim. lib. I. Victor uterq;.*

De morte diſſentiunt, cùm per *tres menſes* imperio modeſtè præfuiſſet, morbo abſumptum ſcribit *Victor*; quem ſequitur Caſaubonus. At, cùm *Valerianus* transalpinis viribus inſtructus *in Italiam* tenderet, occiſum à ſuis vult *Zoſimus*. Hanc narrationem *Beſoldus* in utrâq; Synopſi amplexus eſt. Ita ut paucis repetam, *poſt Philippos* hi Principes fuerunt:

CN. MESSIUS QUINTUS TRAJANUS DECIUS.
Q. HERENNIUS DECII AUG. FILIUS ETRUSCUS MESSIUS DECIUS.
LUCIUS PRISCUS.
M. AUFIDIUS PERPENNA LICINIANUS.
C. VIBIUS TREBONIANUS GALLUS.
C. VIBIUS VOLUSIANUS.
C. VALENS HOSTILIANUS DECII AUG. MESSIUS QUINTUS.
C. JULIUS ÆMILIANUS.

VALERIANUS.

Valeriani nobilitas & nomenclatura. Pater incertus.

tertius. Numiq́; aliter explicantur, quàm eos intellexerat Onuphrius. *Valeriani calamitas.* Beſoldi *&* Baronii *narratio rejicitur.* Cyriades *&* Ingenuus *Imperatores.* Cyriadis *memoria, quam nullam reperire* Caſaubonus *potuit, oſtenſa eſt in numis.*

VALERIANUS, nobilis genere, patre Valerio, ut ait *Trebellius Pollio in Valeriano pag. 173.* Sed principium, in quo hæc leguntur, *non eſſe Trebellii*; probat *Salmaſ. p. 275.* At apud eundem Scriptorem Senatus in acclamatione: *Primus genere, nobilis ſanguine, emendatus vitâ, doctrina clarus, moribus ſingularis, exemplum antiquitatis!* Victor alter: *Genere ſatis claro, uti mos tum etiam erat, militiam ſequebatur.* Paulus Merula *Coſmogr. parte II. lib. IV. cap. 19. p. 636.* deſcribit PUB. AURELIUM. PUB. F. LICINIUM. VALERIUM. VALERIANUM. ſecutus (ut animadverto) *Onuphrium*, qui in A. C. 1007. hunc numum laudat: IMP. CÆS. P. AUREL. LICINIUS. VALER. VALERIANUS. Qui quidem rariſſimus cenſeri debet: Nam omnes, quos *Goltzius* & *Occo* adferunt, cum *Inſcr. IV. p. 274.* ſaltem P. LICINIUM VALERIANUM nominant. Quòd verò non tàm *Merula*, quàm *Onuphrius* & *Goltzius* Publii filium faciunt; id neque ex ullo numo, neque lapide nobis probârunt hactenus. Numi, in quibus legitur: IMP. C. P. LICIN. VALERIANUS. P. F. AUG. ſic explicandi ſunt: *Imperator, Cæſar, Publius Licinius Valerianus, Pius, Felix, Auguſtus.*

De communi omnium ſententia ſummum imperium adeptus eſt, ut ait *Zoſimus*. Et jam ſuprà judicium Senatus accepimus. Commendat eundem à vita & moribus laudatis *Trebellius*. Sed Victor: *Parentibus ortus ſplendidiſſimis, ſtolidus tamen & multùm iners; neque ad uſum aliquem publici officii, conſilio ſeu geſtis accommodatus.* Quod ipſum ex *Dionyſii Epiſcopi Alexandrini* epiſtola ad Hermammonem confirmat *Caſaub. ad Trebell. p. 203.*

Fuit ſub ipſo calamitoſiſſimus imperii ſtatus, *Scythis, Germanis & Perſis* magna vi irrumpentibus. Fuſiùs quàm alii, clades illatas deſcribit *Zoſimus*. Ipſe profectus contra Perſas (quibus Sapores Artaxerxis, ſive Artaxerxis I. filius, pulſus à Gordiano III. tùm imperabat) cùm undiq; ſe premi videret; *colloquii ſpecie* circumvectus ab hoſtibus, & ad mancipii fortunam redactus eſt; ut ſcribit idem *Zoſimus.*

Refert *Eutropius in Paſſione B. Pontii MSta*, vicem ſtapedis, aut ſcalæ, Sapori equum conſcenſuro præſtitiſſe. Verba ſunt, ut ex bibliotheca *Petri Puteani* citat *Salmaſ. ad Trebell.* p. 276: *Valerianus Imp. in captivitatem ductus, à Sapore Rege Perſarum, non gladio, ſed ludibrio, omnibus vitæ ſuæ diebus merita pro factis percepit; ita, ut quotiescunq; Rex Sapor equùm conſcendere vellet, non manibus ſuis, ſed incurvato dorſo, & in cervice ejus pede poſito; è quo membra levaret.* Trebellius Pollio ſaltem *cum illo ut vili mancipio locutum* ait, more Scriptorum Romanorum, *parcens honori Romani nominis.* Sic Aur. Victor, quàm teſtiſſimè loquens, ne captum quidem ſcribit, ſed *fœdè laniatum*

laniatum interiiſſe. Victor alter liberè confirmat id, quòd ex *Eutropio* deſumptum attulimus. Sed & *Agath. lib. IV. p. 122.* tandem *excoriatum* aſſerit. Ita DEUS OPT. MAX. tot piorum ſanguinem ultus eſt, in quo & ipſa belua natavit. Vid. Euſeb. 2273. Baron. in A. C. 259.

Annus, quo Valerianus à Perſis captus eſt, fuit ab V. C. 1012. qui Lucium Corn. Secularem iterum, Junium Donatum Coſſ. habuit. *Fabula* eſt, quòd ſcribit *Beſoldus*: Valerianum *culpâ cujusdam ducis captum.* Sequitur *Baronium*, qui in A.C. 262. *Macrianum* ducem illum appellat; ſed decepit eum corruptiſſima lectio Trebelli Pollionis. Salmaſius illa verba: *ductu cujusdam ſui ducis*, Trebellii eſſe negat; non tàm ob alia, quàm auctoritatem codicis Palatini. Vide *illum p. 276.* & adde *Caſaub. p. 203.*

Biennio antè CYRIADES in *Syria* Imp. Auguſtus contra *Valerianum* appellatus erat; ſed idem occiſus eſt eo tempore, quo *Valerianus* contra *Perſas*, expeditionem ſuſcepit; ut ſcribit *Trebell. Pollio in XXX. Tyrannis.* Caſaubonus nusquam vel nomen hujus reperiiſſe ait; ſed nos ita reperimus deſcriptum in æreo numo apud *Fulvium Urſinum, notis ad Trebell. Poll. pag. 510*: IMP. CÆS. M. CYRIADES. P. F. AUG. Ab alterâ parte inſcriptum eſt: IMPERATORUM. AUG. ADVENT. Alium ejusdem Græcum videre licet apud *Occon. p. 477.*

Rebellavit in *Pannonia* contra Valerianum INGENUUS, de quo idem *Treb. p. 213.* In numo *Urſini* eſt: IMP. C. INGENUS. In alio Goltzii: IMP. CÆS.

CÆS. D. LÆL. INGENUUS. P. F. AUG. Prælio à *Gallieno* victus, ſe ipſum interfecit.

GALLIENUS & ALII,
Qui ſub eo imperium Romanum invaſerunt.

HIc *cum Valeriano* patre imperium accepit. *Inſcriptio I. p. 275.* deſcribit ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ. ΚΑΙΣΑΡΑ. ΠΟΠΛΙΟΝ. ΛΙΚΙΝΙΟΝ. ΙΓΝΑΤΙΟΝ. ΓΑΛΛΙΗΝΟΝ. ΕΥΣΕΒΗ. ΕΥΤΥΧΗ. ΣΕΒΑΣΤΟΝ. Hoc eſt: *Imperatorem, Cæſarem, Publium, Licinium Ignatium Gallienum, Pium, Felicem, Auguſtum.* Ignatii cognomen alibi vix reperies. In numis ſemper deſcribitur: P. LICINIUS. GALLIENUS: Uxor ejus *Pipa,* eadem cum *Cornelia Salonina;* de qua *Inſcr. XII. p. 1022.* & multi numi. Fuit *Attali,* Marcomanorum Regis, filia, *Treb. & uterq; Victor,* & è recentioribus *Welſer. lib. II. Rerum Boicarum, p. 126. Caſaub. ad Trebell. p. 211. Salmaſ. ad eund. p. 296.*

Fuit abdomini natus, ac voluptatibus; dies ac noctes vino ac ſtupris perdidit; orbem terrarum per XXX. propè Tyrannos vaſtari fecit, Romanum dehoneſtantes imperium; ut ſcribit *Treb. in Gallieno, p. 182. ex correctione Salmaſii.* Tyrannorum autem fuerunt hæc nomina:

I. ODENATUS, capto Valeriano Imperatore, in *Syriâ* Imperator Auguſtus appellatus eſt. *Princeps Palmyræ* fuit, majoribus ortus, qui ab Imperatoribus Romanis diverſis honorum generibus fuerunt affecti; ut eſt apud *Zoſim & Procop.* Vir bello ſtrenuus,

Niſibin

Niſibin & *Orientem*, cum *Meſopotamia* Perſis extorſit; *Cteſiphontem* usque arma proferens, *Saporem* cum liberis in fugam vertit, *Gazam* regiam & concubinas cepit. Occiditur A.V.1017. inſidiis *Mœonii*. Nomen ejus variè ſcribitur, ſed nos ſecuti ſumus numos.

II. HERODIANUS, Odenati filius, qui & *Herodes* in numis; cum patre Imperator appellatus eſt, cum eodem periit.

III. MANIUS ACILIUS AURELIUS (ita deſcribitur in numo *Goltzii*) Imperator appellatus eſt in *Illyrico*, Seculari ſecundùm, & Donato Coſſ. Manu & conſilio promtus *Gallienum* (à quo *Mediolani* obſidebatur) inſigni aſtu è medio ſuſtulit, Paterno iterum, & Mariniano Coſſ. A.V.1020. *Trebell. in Gallienis, & Victor uterq;*. Sed & *Zoſimus* ſatis apertè *Aureolum Gallieno* ſuperfuiſſe aſſerit; nec aliter *Zonaras*. Quamobrem in *Goltzii* Faſtis peccatum eſt, poſita cæde Aureoli ante cædem Gallieni & Valeriani. Sed tamen idem Aureolus, *paucis diebus poſt* occiſum Gallienum, interficitur à militibus; *Claudio* ſive mandante, ſive invito. Epigramma, quod monumento ejus inſcribi juſſit *Claudius*, repertum in agro *Mediolanenſi*, vulgârunt *Urſinus ad Trebell. p. 512. & Gruterus Operis Æterni p. 163*. Id minuſculis ita ſcribendum eſt, ut vult *Salmaſ. ad Treb. p. 303*:

Κλαύδιος Αὐρεόλῳ μετὰ δήϊον ἄρεα, Καῖσαρ
τὰ κτέρεα θνητῶν ὡς θέμις, ἐνδίδοσι.
Τῷ γὰρ καὶ ζωὴν· ἀλλ' οὐκ ἐθέλησε Φρόνημα
πᾶσιν ἐπιῤῥήκτοις τοῦ στρατοῦ ἀντίβιον.

Aa Κεῖνος

Κεῖνος δ' οἰκτίρμων καὶ σώματος ἔσχατ' ὀπίζων
Αὐρεόλου γεφύρην εἴσατο τήν τε τάφην.

Claudius Aureolo post Martia prælia, Cæſar,
Humanæ ut lex eſt, debita juſta dedit.
Huic vitam & voluit: diris infenſa tyrannis
militis haut potuit mens generoſa pati.
Hic pius atque ſuo cineres dignatus honore
Aureoli pontem condidit, & tumulum.

IV. M. FULVIUS MACRIANUS, ut appellatur in Græco numo apud *Occon. p.479. & Goltz. in Theſ. p.115.* Sub Valeriano bella in Oriente gerens, eo capto, rem feliciter geſſit cum Perſis: Eoq; ſucceſſu inflatus purpuram induit A. V. 1013. Gallieno quartùm, L. Petronio, L. filio, Tauro Voluſiano Coſſ. *Italiam* infeſto exercitu petens, victus ab *Aureolo*, ſive illius duce *Domitiano*, in *Illyrico* oppreſſus eſt A. V. 1015. Albino & Dextro Coſſ. Cum hoc ne confundas *Marcianum* illum, de quo *Trebell.* in Gallienis: *Omnes inde Scythas Marcianus variâ bellorum fortunâ agitavit.* Scripti, quos *Caſaubonus* vidit, habent: *Macrianus*, perperàm. Vulgatæ favet *Palatinus* codex, teſte *Salmaſio.* Hic eſt ille Marcianus, qui cum *Heraclione* de occidendo Gallione conſilium iniit, initum exſecutus eſt. Plura *Caſaub. ad Treb. p.208.*

V. Q. FULVIUS MACRIANUS à patre M. FULVIO Macriano *Imperator Cæſar Auguſtus* appellatus eſt. Atque ita deſcriptum leges tùm in Græcis tùm in Latinis numis apud *Goltz. & Occon.* Habuit ergo idem cùm patre cognomen. At *Zonaras* ſemper *Macrinum* vocat patrem, filium *Macrianum.* Hoc

Hoc ſibi Scriptores licere volunt, ut *Salmaſius* notat *ad Capitol. p. 250.* Cum patre occiſus eſt in *Illyrico*.

VI. CN. FULVIUS QUIETUS. Ita nominatur integrè in numis apud *Goltzium*: Zonaræ QUINCTUS corruptè. A patre M. Fulvio Macriano *Imperator Cæſar Auguſtus* appellatus eſt. Occiditur ab *Odenato* in Oriente, paulò poſt patris interitum. Hinc apud *Treb. in Quieto Salmaſius* legit: *Sed ubi comperit Odenatus, qui jam Orientem tenebat, ab Aureolo Macrianum patrem Quieti, & ejus fratrem Macrianum victos, milites in ejus poteſtatem conceſſiſſe; quaſi Gallieni partes vindicaret, adoleſcentem cum Baliſta præfecto interemit.* Vulgata lectio Quietnm dicit *cum patre & fratre Macriano victum ab Aureolo.*

VII. SER. ANICIUS BALISTA deſcriptus è numis Græcis, Vir inſignis, eruditus, in cõſiliis vehemens, in expeditionibus clarus, ad rempublicam gerendam ſingularis, in *Aſia* Imperator appellatus eſt; & occiſo jam *Quieto* à gregario milite, in gratiam *Odenati*, interemptus eſt; ut ſcribit *Treb. in Baliſta.* Ubi *veteribus* quibusdam *ambiguum* fuiſſe adjicit, *an imperârit?* Ea temporum illorum ſegnities erat, ut proxima quæq; ignorarent, quæ ab ævo noſto remotiſſima hodie ſcimus ex numis.

VIII. P. VALERIUS VALENS, Proconſul Achajæ ob invidiam in Macrianum Imperator appellatus in *Macedoniâ*, brevi à militibus interficitur. Sic verò, ut nomen ejus exhibuimus, deſcriptum reperitur in numo Græco apud *Goltzium* & *Occonem*. *Urſinus notis in Trebell. p. 513.* errore pudendo ad eun-

dem pertinere ſcribit *Lapidem III. p. 274. Operis Gruter.* cùm ſit *C. Valentis Hoſtiliani Meſſii Quinti Decii, Auguſti filii*, de quo ſuprà diximus. Sed & *Cn. Seia Herennia Salluſtia Barbia Orbiana Decii* uxor eſt, *non Valentis* hujus, unius è XXX. Tyrannis ſub Gallieno, quod perperàm *ibidem* ſtatuit *Urſinus.*

IX. PISO, qui in Græco numo apud Goltzium: Λ. ΚΑΛΠΟΥΡΝΙΟΣ ΠΕΙΣΟΝ; in Latino apud Urſinum d. l. IMP. C. PISO. FRUGI. P. F. AUG. Cujus in poſticâ *Victoriæ ſignum palmiferum*, quod *dextrâ* manu *coronam Imperatori imponit*, cum hoc titulo: THESSAL. AUG. Hoc eſt: *Theſſalicus Auguſtus.* Hinc valdè illuſtrantur, quæ dicit *Trebellius.* Oriundus eſt à P. Calpurnio, L. F. Piſone, qui ante 400. annos, hoc eſt, A. V. 604. primus legem *de pecuniis repetundis* tulit; primus etiam *Piſo Frugi* dictus eſt; & pronepotem habuit L. Calpurnium Piſonem Frugi, *ſocerum C. Julii Cæſaris Dictatoris.* Fuit autem hic, qui *ſub Gallieno* Imperator appellatus eſt, tantæ virtutis, ut ſimilem in rep. fuiſſe neget *Trebellius.* Miſſis à *P. Valerio Valente* militibus trucidatur paulò antè, quàm Valens occideretur à ſuis.

X. TI. CESTIUS ALEXANDER ÆMILIANUS (hanc deſcriptionem in numo Græco & Latino apud *Goltz. & Occon.* reperire licet) in *Ægypto* Imperator ſalutatus eſt. *Urſinus* valdè peccat, qui ad eum refert æreos numos, cum inſcriptione: C. JUL. ÆMILIANUS, confundens *Æmilianum* iſtum, cum *Æmiliano*, qui occiſis *Gallo* & *Voluſiano* imperium invaſit; de quo jam ſuprà verba fecimus.

Alexan-

Alexandrum vel *Alexandrinum*, virtutum memoriâ, vocatum ſcribit *Treb. Pollio.* Sed dubito, an verum hoc ſit, quod accepit ab aliis, parùm ſibi conſtantibus; ut ipſe fatetur. Fuit *Alexandriæ* nobilis familia *Tiberiorum Alexandrorũ*, & quidem *originis Judaicæ.* *Philonis* enim illius, quem Platonizare ajunt, frater *Alexander Alabarcha* (hoc eſt, Præfectus) Alexandrinus (*Joſeph. lib. XVIII. Antiq. c. 10.*) filium reliquit *Tiberium Julium Alexandrum*; qui cùm patriæ religioni nuncium miſiſſet, & omnium opulentiſſimus eſſet (*Idem Joſeph. lib. XX. c. 3.*) ſibi & ſuis ad magnos honores aditum fecit. Eum certè *illuſtrem Equitem* Romanum miniſtrum bello datum *Corbuloni*, tradit *Tac. lib. XV. Annal. c. 28.* Ad quem locum *Lipſius* notavit, fuiſſe priùs *Alabarcham Alexandrium*; ſed graviter lapſus eſt, hoc enim *de patre Alexandro* verum, de filio falſum: Malim tamen credere, id *ex properantia* ſcriptum contra mentem; nam veriora docet ad *lib. I. Hiſt. c. 11.* Hic ipſe Tiberius Jul. Alexander, Philonis è fratre Alexandro nepos, *Præfectus Auguſtalis Ægypti* fuit. *Tac. lib. I. Hiſt. c. 11.* Legiones ſacramento Veſpaſiani adegit, Cal. Jul. A. V. 821. *Idem lib. II. Hiſt. c. 74. 79. Suet. in Veſpaſiano, c. 6.* Hujus filius, Tiberius Julius Julianus Alexander cum collega Eruceo Claro legatus, imperante Trajano, *Seleuciam* cepit & concremavit; ut eſt apud *Xiphilin.* Meminit ejus *Inſcr. I. p. 124.* Et *Conſulem* fuiſſe A. V. 886. probat *Reineſ. lib. III. Var. c. 16.* Corruptiſſimè *Onuphrio, Goltzio* & aliis, Hiberus nuncupatur. Igitur ex hoc genere deſcendiſſe reor

Tiberium Ceſtium Alexandrum Æmilianum, tùm ob nomina *Tiberii* & *Alexandri*, tùm ex ipſa patria petito argumento: Nam *Alexandriæ* natus, *eandem* tùm *regebat*, cùm Imperator appellaretur. Hinc numus ejus inſcriptus: IMP. CÆS. ÆMILIANUS. P. F. AUG. In altera parte *nudam mulierem h[illegible] procumbentem*, ſiniſtro brachio innifam *caniſtro*, *floribus pleno*; & lævâ *cornu Amaltheæ* habentem, ut & *Ibin* Ægypti propriam avem (alii *ciconiam* eſſe voluerunt) cum *equeſtri ſtatuâ*; quæ dextra *orbem apprehendit*, & militi à tergo repræſentat, & hoc titulo: ADVENTUS. AUG. ÆGYP. Occiditur illo anno, quo imperium accepit, id eſt, A.V. 1003. & ipſe alioqui fortitudine inſignis, qui *Thebaidem* totamq; *Ægyptum* peragravit; & barbaras nationes paſſim ſubmovit.

XI. M. CASSIUS LATIENUS POSTUMUS (numus non unus apud *Goltzium*, & *Occonem*, ſed Urſinianus LABIENUM appellat) occiſo *Quincto Julio Salonino Gallieno Cæſare*, altero Gallieni filio, imperium apud *Gallos* invaſit; tenuitq; per annos ſeptem. Maximè dilectus à Gallis, *ſubmotis Germanis*, ſecuritatem priſtinam reſtituit. Meminit præter *Trebellium Euſeb. n. 2283.* Sed & hinc in numis ejus legas: SALUS PROVINCIARUM. Item RESTITUTORI GALLIÆ. Occiſus eſt cum filio A. V. 1019. Paterno & Arceſilao Coſſ. *Goltz. & Onuphrius.*

XII. C. JUNIUS CASSIUS POSTUMUS, ſuperioris F. à patre *Imperator Cæſar Aug.* appellatus, & ab equitibus rebellibus interfectus eſt. Julius Athe-

rianus apud *Treb. p. 187.* JUNIUM POSTUMUM appellat patrem. Sed membranæ, ut notat *Salmaſius p. 301.* JULIUM POSTUMUM: Utrumq́, *Salmaſius* confutat ex numo, qui habet: C. M. POSTUMUS: Qui numus quomodo rem conficiat, non video. Debebat enim vir illuſtris producere numum alium, cujus deſcriptio integra eſt; qualis eſt IMP. CÆS. M. CÆS. LAT. POSTUMUS. P. F. AUG. Ex hoc enim patet, Poſtumum *patrem non* fuiſſe dictum *Junium* vel *Julium*. Fons erroris patet ex *filii* numis, quorum hæc eſt inſcriptio: C. JUN. CÆS. POSTUMUS. CÆS. PRINCEPS. JUVENTUT. Nam inde ſatis apparet: *Julium Atherianum* confudiſſe nomina filii & patris.

XIII. Q. NONIUS REGILIANUS deſcriptus è numis, in *Pannonia* per *jocum* creatus Imperator, Dacus & Decebali propinquus, contra *Sarmatas* egregiè rem gerit; occiditur à ſuis metu Gallieni A. V. 1015. Albino & Dextro Coſſ.

XIV. SEX. JUL. SATURNINUS in *Ægypto* coactus imperium ſuſcepit; poſt multa ſtrenuè geſta, *ob ſeveritatem* interemptus eſt à militibus. Nomen ejus integrum ex iisdem numis deſcriptum eſt.

XV. C. ANNIUS TREBELLIUS in *Iſauria* Imperator appellatus, à Gallieni duce vincitur, & occiditur. Fundamentum deſcriptionis petiturum mittimus ad Occon. & Goltzium.

XVI. T. CORNEL. CELSUS, ſic appellatus in Græco, in *Africa* Imperator factus eſt, nobiliſſimis haut dubiè majoribus oriundus: Cornelii enim Celſi

jam Neronis temporibus notiſſimi: *Cornelium Celſum* citat *Plin. lib. X. c. 53.* Dignus autem imperio viſus eſt hic ob juſtitiam, & corporis magnitudinem. Interficitur inſidiis *Galliena*, Gallieni conſobrinæ; & *cadaver à canibus* diſcerptum eſt.

XVII. AP. CLAUD. CENSORINUS in numo apud *Goltzium*, is eſt, quem milites A. V. 1016. raptum ex agro Imperatorem crearunt, & rurſus occiderunt; cùm diſciplinæ rigorem ferre non poſſent.

XVIII. HERENNIANUS, Odenati F. Imperator appellatus *cum fratribus*, & ab *Aureliano* rurſus dejectus eſt.

XIX. TIMOLAUS, Odenati F. in veteri editione Trebellii, & codice Palatino ATIMOLAUS; ſed contra numorum auctoritatem. Idem fatum expertus eſt, quod fratres.

XX. VABALLATHUS, Odenati F. notus ex numis *Occonis*, & quodam *Octavii Stradæ*. Caſaubonus admodum temerè contra *Vopiſcum* negavit, hunc in rerum naturâ fuiſſe. Sed jam error iſte graviſſimus ſatis confutatus eſt à *Salmaſio*.

XXI. MOEONIUS, aliis MÆONIUS, Odenati conſobrinus & interfector, *per errorem Imperator* appellatus, brevi pòſt ſcelerum pœnas dedit.

XXII. SPURIUS SERVILIANUS LOLLIANUS in Gallia *Imper. Cæſar Aug.* appellatus eſt à *Francis*, Romanis militantibus, cæſo Poſtumo. Civitates à Germanis dirutas inſtauravit; ſed quòd milites labore nimio fatigaret, ab iiſdem neci datur. *Caſaubonus notis ad Treb. p. 212. Onuphrium* inadvertentiæ

tiæ inſimulat, qui *Lollianum* iſtum ab *Æliano* diverſum habuerit. Ipſe putat *eundem* eſſe *Lollianum* cum *Æliano*; ſed hîc major nubes eſt, quàm exiſtimavit vir doctiſſimus: Profectò enim *duos diverſos* Imperatores fuiſſe *Lollianum* & *Ælianum*, docemur è numis apud *Goltzium*. De altero talis: IMP. CÆS. SP. SERVIL. LOLLIANUS. P. F. AUG. De altero iſte: IMP. C. A. POMPON. ÆLIANUS. AUG. Cui jam perſuaderi poterit, Lollianum & Ælianum unum eundemq; eſſe? Interim non nego, veteres ipſos ad hæc nomina ceſpitâſſe: Nam qui Lolliani meminit, omittit Ælianum; & qui hujus, omittit Lollianum. Neq; jam noſtrarum virium eſt, utriusque res diſtinctè explicare. Eſt igitur

XXIII. AUL. POMP. ÆLIANUS, vel, L. POMP. ÆLIANUS. Nam ſic deſcribitur in alio, qui ſincerior videtur, propter *Pæanii* locum, *Eutropii metaphraſtæ*.

XXIV. M. AUR. VICTORINUS, ſive poſt Lollianum, ſive poſt Ælianum in *Gallia* Imperator appellatus eſt. Sed cùm corrumpendis militum uxoribus daret operam, breve ſibi imperium fecit: Interfectus enim à milite *Coloniæ Agrippinæ*.

XXV. L. AUR. VICTORINUS à patre *Imp. Cæſar* appellatus, cum eodem interficitur. Utrumq; deſcripſimus è numis.

XXVI. M. AUR. MARIUS, quem neque *Goltzius* neque *Onuphrius* integrè deſcripſerunt. *Occo* ex Viviano dedit argenteum, in cujus altera parte legitur IMP. C. M. AUR. MARIUS. P. F. AUG.

in altera VICTORIA AUG. *Urſinus notis in Treb. p. 511.* in antiquis numiſmatibus dici ait: IMP. CÆS. MAMURIUM; ſed fugientibus literis. Mihi omninò legenda videntur hoc modo: IMP. C. M. A. MARIUS. Hoc eſt: *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Marius.* Fuit fabro ferrario natus, & cùm Imperator in *Gallia* factus, ad milites verba faceret, his ferè uſus eſt: *Scio, commilitones, objici mihi poſſe artem priſtinam; nihil refert:* Utinam ſemper ferrum tractem, *non vino, non floribus, non popinis, non mulierculis deditus; qualis Imperator Gallienus eſt. Cladibus ſuis diſcant exteræ gentes, Romanorum populum* ferreum *eſſe ſub Principe, qui nihil melius tractare ſciat quàm ferrum!* Occiſus eſt à milite, cum hâc exprobratione conditionis priſtinæ: *Hic eſt gladius, quem ipſo feciſti!* ut ſcribit *Trebellius.*

XXVII. P. PIVESUS TETRICUS *Galliæ* Præſes, ſuadente *Aureliâ Victorinâ*, M. Aurelii Victorini conjuge (quam alii *Victruviam*, alii *Victoriam* vocant) imperium ſuſcepit; ſed cùm militum inſolentiam ferre non poſſet, maluit *Aureliano* ſeſe dedere, quàm perfidum imperare. Aurelianus, quamvis eum in triumpho duxiſſet, tamen poſtea in ſummo honore habuit.

XXVIII. C. PIVESUS TETRICUS, *cum patre* Imperator appellatus eſt, & cum eodem in triumpho ductus; ſed poſteà omnibus *ſenatoriis honoribus* perfunctus eſt. Utrumque patrem & filium deſcripſimus in numis.

Et hi ſunt illi XXX. Tyranni (ſi nimirum annumeres

meres CYRIADEN & DECIUM LÆLIUM INGENUUM, de quibus jam egimus ſuprà: Pleriq; numerum ſupplent additâ ZENOBIA & VICTORIA) qui *ſub Gallieno*, tumultuario populi conſenſu, aut incondito militum ſtrepitu; interdum & per jocum & ludum imperium acceperunt, & perdiderunt.

Ipſe GALLIENUS cum P. LICINIO VALERIANO fratre, longè ſibi diſſimili (quem Imperatorem appellârat A.V.1019) occiſus eſt A.V.1020. cùm per annos *ſex cum patre, novem ſolus* imperâſſet, quâ de re *Salmaſ. ad Treb. p.297. Baron. in A.C.269.*

CLAUDIUS.

Claudii genus obſcurum, *quamvis alii* nobiliſſimum *faciant*. Onuphrius & Goltzius *refutantur, non tàm rationibus, quas* Baronius *obſervavit, quàm ex Lapide. De morte Claudii fabula.* Salmaſii ἁμάρτημα μνημονικόν. *Inſcriptio arcus triumphalis* nuper reperta. *Beſoldus confirmatur in nomine Claudii*

M. AURELIUS CLAUDIUS, *Trebellio in Gallienis pag. 178. Clodius* Illyricianæ gentis vir, ut eum appellat Valerianus apud eundem *Treb. p. 207.* Aliis *Dalmatiâ* vel *Dardaniâ* oriundus. Majores ejus planè obſcuri: Nam de patre & avo & proavo quod diceret, non habuiſſe ſe, fatetur *Trebell. p. 206.* Sed qui *Conſtantino Magno & ejus filiis adulati* ſunt, qui *à fratre Claudii* originem ducebant, illuſtriorem

ſtriorem facere conati ſunt. Et alii quidem *Gordiano ſatum*, ſcriptum reliquerunt; ut ſuprà diximus: Alii ab *Ilo*, Trojanorum rege, atque ipſo *Dardano* ſanguinem traxiſſe volebant. Vid. *Treb. d. l.*

Imperium accepit A. V. 1020. Et mortuus eſt Antiochiano iterum (ita deſcribunt lapis in ruinis Caſuli ad D. Damianum repertus, & à *Paleto* deſcriptus *Servio*, à Servio mihi; & *Idatius in Faſtis Conſul.* nec non *l. 2. C. de diverſis reſcript.* ut Actatianus vel Atticianus aliorum non habeat locum) & Orfito Coſſ. Quo menſe, ac die non conſtat. *Onuphrius* ac *Goltzius* ajunt pridie Non. Febr. hoc modo *non integri biennii* imperium Claudio tribuentes. Quod ſi verum eſt, falſum erit illud, quod ſcribit *Porphyrius* σύγχρον@, in vita *Plotini*; Claudium *ſecundum annum peregiſſe, tertium cœpiſſe.* Nec illi applicari poterit oraculum, de quo Trebellius:

Tertia jam Latio regnantem viderit æſtas.

Quod rectè objecit *Baron. in A. C. 271.* Imò repugnat *Inſcript. II. p. 226. Operis Gruter.* in quâ legimus: CLAUDIO. INVICTO. PIO. FELICI. IMP. CÆS. PONT. MAX. TRIB. POT. III. Malim credere defunctum eſſe vel Septembri vel Octobri.

Extinctus eſt à *peſtilentia*, cùm paulò antè formidoloſiſſimum *bellum Gothicum* ingenti virtute confeciſſet. Hoc è *Treb. Claudio p. 206. Eutrop. lib. IX. & Zoſim. lib. I.* manifeſtum eſt; ut *fabuloſum* ſit, quod ſcribit *uterq; Victor*, vetus *Deciorum exemplum*, qui pro ſalute Reip. ſe devoverunt, *à Claudio eſſe renovatum*; eumq; ſic periiſſe. An ad hanc ipſam fabulam reſpexit

reſpexit *Trebellius*? & *Dexippus* quidem Claudium non dicit occiſum, ſed tantùm mortuum eſſe? Sed emendat locum *Salmaſ. p.332.* pro *Claudio* ſubſtituendo *Quinctillum.* Nec repugnamus: Sed quòd addit, de Claudio *neminem dixiſſe, quòd occiſus ſit*, in eo fallitur: Dixerunt enim *Victor uterque* eo ſcilicet modo interfectum, quo Decii olim liberâ repub. ceciderant. Cæterùm Claudio poſt mortem tùm alii maximi honores, *Romæ* & in *Italia* habiti; tùm *Firmii* arcus triumphalis erectus eſt, cujus inſcriptionem nobiſcum communicavit, licet alicubi mutilam *Joh. Baptiſta Donius*, *Eques Florentinus:*

DIVO. CLAUDIO. GOTTHICO.
MAXIMO. PIO. FELICI. VICTORI. AC.
TRIUMPH. . . . SEMPER AUGUSTO.
MUNICIPI. . . . VATORI.
AMPLIFICATORIQ.
OB. ILLUSTRIA. EJUS. GESTA. ET.
AMOREM. JUXTA. CIVES.
ORDO. INTER. ANATIUM.
ARCUM. TRIUMPHIS. INSI. . .
DEDICA. . . . . .
M. CL. TACIT. . . . . .
PATRO. . . . .

Flavium Claudium appellat Beſoldus in utraq; Synopſi ex *Trebell. ad quem Caſaubonus* notavit, in nullo vetuſtatis momento inveniri, *Flavium* hunc appellatum; ſed hoc apertè falſum docuit *Salmaſius* ex hac Inſcriptione:

IMP.

IMP. CÆSAR. FL. CLAUDIO. PIO. FELICI. INVICTO. AUG. PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. II. PROCOS.

Et ab hoc *Flavii cognomen* derivatum *in Conſtantium & Conſtantinum*. Vide ibi plura.

QUINCTILLUS.

MOrtuo Claudio M. AURELIUS QUINCTILLUS delatum ſibi imperium omnium judicio ſuſcepit. Sed *Aureliano* Imperatore creato, impar ejus conatibus, ſponte ceſſit, & *ſibi venas incidit*; ut ſcribit *Zoſimus*. Sed *Euſeb. n. 2286. Aquilejæ* occiſum ſcribit d. 17. imperii; nec plures dies tribuit *Zonaras*. Accedit in genere mortis referendo *Trebellius & Victor*: Sed *Dexippus* è correctione *Salmaſii* ſaltem mortuum ait; ut dubitâſſe videatur de mortis genere.

AURELIANUS.

Beſoldi falſa deſcriptio. Aureliani res geſta. Incertum tempus imperii ejus.

L. DOMITIUS AURELIANUS in Græcis & Latinis numis & lapidibus apud *Gruterum p. 276.* dicitur. At *Beſoldus* auctores minùs legitimos ſecutus, VALERIUM AURELIANUM dixit. *Sirmii Pannoniæ* obſcuro loco natus, vel ut alii volunt, in *Daciâ Ripenſi*, aut *Mœſiâ*; bellator egregius (*Joh. Antiochenus in Exc. Peir. p. 855.*) licet crudelis, *Suevos*, *Sarmatas* & *Marcomannos* (qui Romanis

nis tantùm terrorem incuſſerant, ut de urbe deſperarent) præliis ingentibus vicit: In itinere, dum contra *Zenobiam* proficiſcitur, *barbaros in Illyrico* fregit: Dein *Zenobiam* ad *Imas* (vide *Scal. ad Euſeb. n. 2288.*) profligatam è fugâ retraxit, *Palmyram* capit; *Firmum*, *Ægyptum* ſibi vendicantem, occidit; *Tetricum* ſe dedentem ſuſcepit, & Romam reverſus de *Zenobiâ* & *Tetrico* triumphavit. Dein ad *Gallos* profecturus inter *Heracleam* & *Byzantium* ob crudelitatem interficitur. Ipſo tertiùm, & Marcellino Coſſ. ut eſt apud *Idatium in Faſtis*. Quód ex *Occonis* numo (in quo ſeptimus annus Tribunitiæ poteſtatis ſignatus eſt) infringere conatur *Baronius in A. C. 277.*

FIRMIUS.

Firmii *numus Græcus. Ab hoc diverſus* Firmus *in numo, ſed indictus Scriptoribus aliis. Firmii* robur, *& cædes.*

HIc *Seleuciæ* natus, *Zenobiæ amicus* & ſocius, *Ægyptum* occupavit, purpuram ſumſit; & percuſſâ monetâ, *Auguſtus* appellatus eſt. Vidit hujusmodi numum *Goltzius*, cujus inſcriptio eſt: ΑΥΤ. Κ. Μ. ΦΙΡΜΙΟΣ. ΕΥΣ. ΕΥΤ. ΣΕΒ. ΕΤΟΥΣ. ΠΡΩΤΟΥ. An ad eundem referendus ille apud eundem p. 133: DN. FIRMUS. P. F. AUG.? Ἐπέχω. *DOMINI titulus* demum *ſub Diocletiano frequentari cœpit*. Ipſe *Goltzius* ad *Firmum*, Nubélis Maurorum Reguli filium Gildonis, Maſcizelis & Dii fratrem pertinere vult; qui *ſub Gratiano* ab imperio Romano *defecit*,

defecit, ut refert *Ammianus Marcell. lib.XXIX. p.399.* Sed *Valeſ. ad Ammianum p.392. è Victore & Oroſio*, non *Auguſti*, ſed *Regis* ſaltem *nomen* illum adſciviſſe probat. Hic igitur Latinus numus cujus ſit, incompertum mihi eſt. Noſter *Firmius* appellatus eſt, quamvis *Vopiſci* libri ſcripti *Firmum* firmiter retineant;& tantæ magnitudinis viriumq; fuit, ut Cyclops diceretur. Ab Aureliano *Carris* redeunte victus, & occiſus eſt; ut ſcribit *Vopiſcus*.

TACITUS.

Diverſæ ſententiæ de tempore imperii Taciti. Conſulum ordinariorum *par habitum pro* ſuffectorum *pari ab Onuphrio & Goltzio. Numus Taciti à riſu* Scaligeri *vindicatus è Zoſimo.*

M. AURELIUS TACITUS Imperator à Senatu appellatus eſt a. d. 7. Cal. Octobr. A. V. 1027. à C. Cornel. Tacito oriundus (ut ſuſpicatur *Lipſius* in vita Taciti) brevi periit, ut complures volunt: *Paucorum menſium Imperatorem* dicit Beſoldus. *Eutropius* & *Vopiſcus* ſexto menſe periiſſe volunt. Idem apud *Euſeb. n.2291.* legere eſt. *Uterq; Victor* aſſignat dies 200. His obſtat *Idatius in Faſtis*, qui ferè *biennium* tribuit: Ait enim Imperatorem factum Aureliano tertium, & Marcellino Coſſ. occiſum eſſe Probo & Paulino Coſſ.

Nota hîc, Probum & Paulinum non eſſe Coſſ. *ſuffectos* A. V. 1028, quod *Onuphrius* & *Goltzius* putârunt;

târunt; ſed Conſules *ordinarios* anni ſequentis. Idem obſervavit è *Caſſiodori Chronico Græco Baron. in A. C.* 277. *Idatium* confirmant *Inſcr. I. & II. apud Gruter. p.* 277. in quibus notatus eſt annus Tribunitiæ poteſtatis ſecundus. Ergo *ultra annum* imperavit Tacitus.

Occiſus eſt in *expeditione Mœoticâ*, ut notat *Scal. ad Euſeb. n.* 2291. qui & facetè perſtringit numos hujus Taciti, in quibus viſitur *Imperator equitans, præeunte victoriâ, ſequente exercitu*, cum titulo: IMP. C. M. CL. TACITUS. PIUS. FELIX. AUG. Hoc erat, inquit, τὸ ἐπινίκιον πρὸ τῆς νίκης ᾄδειν. Nam in expeditione iſtâ, tumultu militari oppreſſus eſt; & ut Hiſtorici referunt, propter brevitatem imperii nihil memorabile ab eo geſtum eſt. Par *vanitas* ejus fratris *Floriani*, qui cùm paucos dies imperâſſet, neque propter anguſtias temporis aliquid præclarum gerere potuiſſet; tamen in numis ſuis vocat ſe PACATOREM ORBIS, incluſo in illis *Sole cum flagro*. Hæc *Scaliger*. Non ſum neſcius Romanæ vanitatis, & notavi ipſe talia ad *Flor. lib. I. cap. 11. §. 6.* De fratre Floriano quoque lubens illi crediderim, ſed de Tacito tamen inquit Zoſimus: *Scitè trajectâ palude Mœotide, per Pontum ad Ciliciam usq; ſita incurſionibus vexârunt: Quos aggreſſus Tacitus, partim ipſe debellatos ad internecionem delevit; partim Floriano deſignato Prætorii Præfecto debellandos tradidit; & in Europam contendit; ubi lapſus in inſidias, necatur.* A numis igitur ſtat *Zoſimus*, & valdè dubium, an *Vopiſcus* ad has auctoritates convellendas cum pauculis aliis ſufficiat?

FLORIANUS.

Vopiſci *locus dubius, defendi tamen poſſe dicetur è* Virgilio. *Floriani interitus.*

MANNIUS FLORIANUS, Taciti frater, ſed ex matre tantùm. Sic enim Vopiſcus: *Diverſis parentibus nati ferebantur.* Beſoldus *Taciti germanum* appellat, ſecutus alium locum *Vopiſci*; quem Caſaubonus ſic emendat: *Hic Taciti frater non germanus fuit.* Sed fortaſſis abuſivè locutus eſt Vopiſcus, & *germanum* dixit, qui ex eâdem matre genitus ſaltem; ſic *Virgil. lib. V. Æn. v. 12.* Erycen, Butæ & Veneris filium, *Æneæ germanum* vocat, qui erat tantùm frater uterinus:

Hæc germanus Eryx *quondam tuus arma gerebat.*

Occiſus eſt *Tarſi* à militibus, cùm *contra Probum* expeditionem ſuſcepiſſet. *Zoſimus lib. I. Vopiſcus in Floriano, Aurel. Victor Schotti.* Sed Victor alter: *Florianus diebus IX. quaſi per ludum imperio uſus, inciſis à ſemetipſo venis, ſanguine conſumptus eſt.* Quæ de Quinctillo ſcribunt alii.

PROBUS.

Probi genus obſcurum, res geſtæ, cædes. Sex annos *imperâſſe, probatur ex Idatio & inſcriptione nondum publicatâ. Utrumq; tamen teſtimonium Probi initium & finem in diverſos annos conjicere.*

Hunc

Hunc Probum ex illius Aurelii Probi gente, fuiſſe Caſaubonus exiſtimat, qui Paphiis propoſitus à *Spartiano* dicitur *in Alexandro Severo*. Sed diſſentit *Salmaſius*, quòd ipſe Vopiſcus Probi *patrem* Maximum *ignobilem* facit.

Nec quicquam in nomine fundamenti eſt: *Novi* " enim *homines nomina & pronomina nobilium* Ro- " manorum, libenter & *licenter* aſſumebant. Numi " & *Inſcript. Ill. p. 277:* M. AURELIUM PROBUM appellant; *Onuphrius* è Vopiſco, M. VALERIUM AURELIUM PROBUM. Nondum Imperator, *Valeriani patrem* è *Quadorum* manu liberavit, *Aurelianum* à crudelitate ad mitiora ſæpè deduxit; *Marmaridas* in *Africâ* vicit, *Carthaginem* aſſeruit: *Ægyptum*, & Orientis maximam partem in Aureliani poteſtatem redegit.

Tacito cæſo, Imperator, quamvis *invitus*, à militibus appellatus eſt, ſe primùm & Paulino Coſſ. Romanis Principibus, qui fortes, clementes, prudentes extitêre, par, aut ſuperior, verè probus; victor omnium gentium barbarorum, victor & Tyrannorum. *Aureliani* & *Taciti* percuſſorem exemplo utili ſupplicio affecit, LX. *Galliarum* nobiliſſimas *urbes* à *Germanis* recepit: In *Thracia Gothos*, & in *Oriente* omnia compeſcuit. *Belli Germanici* Beſoldus in Synopſi majore meminit; cum quo conferre potes *Pighium in Hercule Prodic. pag. 36. 37.* De *vinearum* culturâ ſub Probo *Euſ. n. 2295. & Scal. notis* ad illum locum conſulendi ſunt.

Occiſus eſt Imperator hîc à militibus, quos mul-

tis laboribus fatigabat, nec otioſos eſſe patiebatur; cùm per *ſex* annos imperium tenuiſſet. Quamvis enim *quinto* imperii anno interfectum ſcribat *Vopiſcus*; tamen alii omnes ipſi adverſi ſunt. Vide *Baron. in A. C. 283.* cujus diſcurſum confirmamus auctoritate *Idatii*, qui Probum occiſum eſſe ait, Caro iterum, & Carino Coſſ. A quorum Conſulatu ſi regredimur in annum, quo Coſſ. fuerunt ipſe Probus & Paulinus, hoc eſt, primum annum imperii Probi; habebimus *ſex* annos. Id ipſum patet ex *Inſcript. Hiſpanica Benedicti Ramberti*, quam nobiſcum communicavit *Joh. Bapt. Donius*; ſed ex quâ aliud initium Probi, aliud tempus interitus ſtatuendum eſt. Sic enim illa:

IMP. CÆSARI. M.
AURELIO. PROBO.
PIO. FEL. INVICTO.
AUG. P. M. TRIB. POTES
TATIS VI. COSS. IIII. RES
PUBLICA TUCCITANORUM.
DEVOTA. NUMINI. MAJES
TATIQUE. EJUS. . . .
CURATORE. TIRIO. CLA
UDIO SUB. COLOSSO.

Si enim annus ſextus Tribunitiæ poteſtatis complectitur poſteriores menſes anni 1033. quo Conſulatum geſſerunt Probus quartùm, & C. Junius Tiberianus; ſit conſequens, Probum Imperatorem factum A. V. 1028. Tacito iterum, Fulvio Æmiliano Coſſ. non anno ſequente, Probo & Paulino Coſſ. Interitus autem Probi incidet in annum 1034;

quo

quo Coſſ. ordinarii fuerunt Probus Quinctus, & Victorinus.

SATURNINUS.

P. SEMPRONIUS SATURNINUS (ita vocant numi apud *Occon.* & *Onuphr.*) Gallis parentibus oriundus, *invitus & flens* purpuram ſumſit. Occiditur in caſtro quodam ab iis, quos *Probus* miſerat. *Scal. ad Euſeb. n. 2295.*

PROCULUS.

T. ÆLIUS PROCULUS (ita numus *Goltzii*) Imperator apud *Agrippinam* creatus, vincitur & occiditur à *Probo*. Vitiis ſe contaminare id demum credebat, illuſtrem perſonam agere.

BONOSIUS.

BONOSUM pleriq; dicunt, ſed QUINCTUS BONOSIUS in numis *Goltzii* & *Urſini* deſcribitur. Homo bibaciſſimus, ut de eo *Aurelianus* diceret: *Non ut viveret natum eſſe, ſed ut biberet*. Habuit hoc peculiare, ut adhuc *in vino prudentior* eſſet. Longo graviq; bello à *Probo* victus, *laqueo* vitam finivit; tunc de eo per jocum dictum eſt: *Amphoram pendere hîc, non hominem*; ut ſcribit *Vopiſcus in ejus vita*.

CARUS, CARINUS, ET NUMERIANUS.

CARUS *Narbone* genitus (ut eſt apud *Eutrop.* ſed intelligenda hîc *urbs Illyrici*, non Galliæ,

 Scal.

Scal. ad Euſeb. n. 2297.) in numis: M. AURELIUS CARUS. Romæ literarum ſtudiis imbutus, à Probo Præfectus Prætorio creatus eſt; eoq; cæſo, Imperator *Probi interfectores* graviſſimis *pœnis affecit.* Factum id, ſi credimus *Idatio*, ipſo Caro iterum, & Carino Coſſ. Alii, ut *Onuphrius* & *Goltzius* initium ejus conſtituunt in A. V. 1034. Cujus anni principio Conſulatum inierant Probus quinctùm & Victorinus.

Bellum *Perſicum* conſenſu militum, aggreſſus eſt, nuncupatis priùs Cæſaribus M. AURELIO CARINO, M. AURELIO NUMERIANO; quorum *Lapis Taraconenſis* apud Scaligerum meminit. Sed & CARINUS, vivo adhuc patre, *Auguſtus* appellatus eſt: vide *Salmaſ. ad Vopiſc.*

CARUS in *Perſas* profectus, receptâ *Meſopotamiâ*, *Cteſiphontem* usque pervenit; & jam cupiditate gloriæ longiùs iturus, morbo, vel fulminis ictu, vel etiam ex vulnere obiit: Scriptores enim hîc diverſa tradiderunt. Vide *Scal. ad Euſeb. n. 2298.*

Imperium ſuſcipiunt filii, è quibus NUMERIANUS moribus & eloquentiâ decorus, *parentis obitum* nimiùm *flens, oculos ſibi corrupit*; nec diu pòſt ab *Apro* ſocero interficitur. *Scal. ad Euſeb. n. 2299.* Sed cum eo conferenda, quæ ſcribit de ludis Romanis, ab utroq; habitis, *Salmaſ. ad Vopiſcum*: Nam eam rem Scaliger explicare *d. l.* non potuit. *Carinus* libidinibus fœdus vincitur, & occiditur à *Diocletiano* A. V. 1037. ipſo Diocletiano iterum, & Ariſtobulo Coſſ. ut eſt apud *Idatium*.

DIO-

DIOCLETIANUS ET MAXIMIANUS.

Salmaſii *ἁμάρτημα μνημονικόν. Diocletiani ignobilitas.* Sirmondi *inſidioſa correctio. Initium Diocletiani. Maximianus conſors imperii.* Tyranni ſeptem *ſub Diocletiano. De numis* Ælianorum duorum *ſententia.* Bagaudæ *qui?* Scaligeri *lapſus. Iuliani duo.* Occonis *mixtura.* Quinquegentiani *qui?* Scaligeri *ſententia rejecta. Conſtantius Chlorus & Galerius adoptati. Res bellica.* Perſecutio Chriſtianorum. *Diocletiani & Maximiani abdicatio. Utriusq; mors.*

C. AURELIUS VALERIUS DIOCLETIANUS (*Inſcr. II. p. 1079.*) appellari voluit, Imperator factus, cùm adhuc privatus DIOCLES vocaretur. Minus igitur eſt, quod ſcribit *Salmaſius ad Trebellii Claudium p. 345.* Imperatorem factum *tria nomina, more nobilium* Romanorum, aſſumſiſſe, dictumq; M. VALERIUM DIOCLETIANUM; ſed & CAJUM prænominare debebat pro MARCO.

Vir fuit *obſcuriſſimè natus,* ut ait *Eutrop. lib. IX. Libertinus* Annulini Senatoris, ut *Sex. Aurel. Victor.* Profligato *Carino* & interfecto *Ario Apro* ſolus imperio potitus eſt; idq; factum Diocletiano iterum, & Ariſtobulo Coſſ. Primum autem tùm Imperatorem

appellatum (quod eſt in *Faſtis Conſularibus Idatii)* non credimus. *Idatium* ſanè ibidem non bonâ fide exhibuit *Sirmondus:* Dum enim emendationem ſuam inſerit, totam rem difficultatibus implicavit. Nos omninò ſequimur *Onuphrium* & *Goltzium*; qui Diocletianum *Imperatorem* factum volunt Carino II. & Numeriano II. Coſſ. Hoc eſt, A. V. 1036. Nam anno ſequente poſtquam ad *Margum,* oppidum *Myſiæ,* Carinus cæſus erat; Diocletianum, non ut privatum (quod *interpolatus à Sirmondo Idatius* vult) ſed ut *Auguſtum* ſuffectum in Carini locum, retento hujusdem collegâ Ariſtobulo, Præfecto Prætorio Conſulatum iniiſſe, ſatis demonſtrant *Valeſ. ad Ammian. lib. XXIII. p. 250. & Baron. in A. C. 285.* Hoc igitur verum exiſtimamus initium Diocletiani, quo nihil incertius eſſe, ſcribit *Scal. ad Euſeb. n. 2300.*

Imperium autem multis graviſſimis bellis undiq; petitum, Diocletianus fortiter defendit; ſed ne tota moles uni incumberet, A. V. 1038. M. Junio Maximo iterum, & Vettio Aquilino Coſſ. (ita ſcribuntur in *Lapide VIII. p. 309.*) MAXIMIANUM HERCULEUM ex Cæſare *Auguſtum* creavit; eiq; Tribunitiam poteſtatem conceſſit, ut ex antiquis lapidibus oſtendit *Onuphrius*, & clarè *Idatius:* Maximo iterum, & Aquilino Coſſ. levatus eſt Maximianus ſenior Cal. April.

Hic in numis & lapidibus M. AUREL. VALER. MAXIMIANUS, homo ſanguinarius, & vecors paſſim ab Hiſtoricis deſcribitur. Ab his primùm bella civilia ſopita ſunt, & qui purpuram contrè ſumſerant, felicibus armis debellati. Ex his fuit

I. ÆLI-

I. ÆLIANUS. Eutropius: *Cùm tumultum ruſticani in* Gallia *concitâſſent, & factioni ſuæ* Bagaudarum *nomen imponerent*; duces autem haberent *Amandum* & *Ælianùm*; ad ſubigendos eos *Maximianum Herculeum Cæſarem* miſit. Victor: *Comperit Ælianum Amandumq́, per Galliam excitâ manu agreſtium & latronum, quos* Bagaudas *incolæ vocant, populatis latè agris, pleraſq́, urbium tentare.* Habemus igitur *duos Ælianos* Imperatores Auguſtos: Alterum ſub *Gallieno*, alterum ſub *Diocletiano*. Sed & in nummis reperiuntur duo: Alter A. POMPONIUS ÆLIANUS: Alter, L. POMPONIUS ÆLIANUS. Aulum Pomponium Ælianum *Onuphrius, Goltzius* & *Occo* volunt illum eſſe, qui ſub Gallieno; Lucium Ælianum idem *Goltzius* & *Occo cum Scalig. ad Euſeb. n. 2303.* hunc eſſe, quem Maximianus debellavit. Sed mihi contrà videtur: Illum, qui à *Gallieno* defecit, L. Ælianum dictum apertè ſcribit *Pæanius Eutropii metaphraſtes, lib. IX. p. 122.* de Mogontiaco verba faciens: Τυραννήσαντι Λουκίῳ Αἰλιανῷ συνεπολέμησε. Id eſt: *Lucium Ælianum tyrannidem arripientem armis viriſq́, juverat.* Incidit igitur in Latinum codicem, in quo *L. Ælianus* extabat; pro quo hodiè *Lollianum* habemus. At de hoc *Æliano* (qui Bagaudarum dux fuit ſub Diocletiano) nemo unquam prodidit, *Lucium* prænominatum. Tutiùs igitur agemus, ſi tyrannum illum ſub Gallieno L. ÆLIANUM, hunc autem poſteriorem, AULUM POMPONIUM ÆLIANUM deſcripſerimus.

II. AMANDUS. Hic in numo *Occonis* &

Goltzii: IMP. C. CN. SAL. AMANDUS. P. F. AUG. fuit & ipſe dux Bagaudarum. *Bacauda*, vel *Bagauda*, à temporibus Diocletiani *latronem & rebellem* ſignificare cœpit. Μελ⁊ᾳείες vocabant Conſtantinopolitani, à corrupto Latino *tumultus*. Vide *Scalig. d. l.* Sed ita, ne cum illo Bagaudas & Baquates *Inſcr. VII. p. 1025.* eosdem putes: Baquates enim *Africæ* populi, ut ex Itinerario Antonini docet *Valeſ. ad Ammian. lib. XXII. p. 242.* Uterq; horum victus eſt A.V.1038. Maximo ſecundùm & Aquilino Coſſ. *Victor* enim indicat, Maximianum poſt acceptum imperium contra *Bagaudas* ſtatim iviſſe in Galliam, & brevi bellum confeciſſe.

III. CARAUSIUS. Hunc *Pighius in Hercule Prodic. p. 17.* hariolatur primùm *Cariſium*, deinde à *Germanis Batavis* ſua linguâ *Carauſium* appellatum; idque cognomen ipſum retinuiſſe libenter. In numis eſt CARAUSIUS. Nec aliter vocant *Euſeb. n. 2303. Eutrop. lib. IX. & ejus metaphraſtes Sex. Victor, Jornandes lib. I. de Regnorum ac Temporum ſucceſſione.* Alteri *Victori* eſt CORAUSIUS. Sumſit purpuram poſt *Bagaudicum* bellum, & *Britanniam* per *ſeptem annos* contra Diocletianum obtinuit. Tandem ab *Alecto* ſocio interfectus eſt, Diocletiano quintùm, Maximiano quartùm Coſſ. A. V. 1045.

IV. ALECTUS (ſic in numis ſcribitur) cæſo Caurafio, cùm ferè per *triennium Britanniâ* Romanos excluſiſſet, à *M. Aurelio Aſclepiodoto* Præfecto Prætorio victus eſt; ut eſt apud *Eutrop.* Adde *Scal. ad Euſeb. n. 2304.*

V. JU-

V. JULIANUS. Sex. Aur. Victor: *Julianus in Italia Imperator effectus, acto per coſtas pugione, in ignem ſe abjecit.* De hoc capio numum Goltzii: IMP. C. Q. TREBONIUS. JULIANUS. AUG.

VI. JULIANUS. Victor Schotti: *Africam Julianus, ac gentes Quinquegentanæ graviter quatiebant.* De hoc accipiam æreum *Occonis*, in cujus alterâ parte ſcriptum eſt: IMP. C. M. AUR. JULIANUS. P. F. AUG. In alterâ; VICTORIA. AUG. XXI. S. A. Qui enim provincias graviter concuſſiſſe dicitur, eundem crediderim Victoriæ typum expreſſiſſe in numis ſuis. *Occo* duorum Julianorum res perperam miſcuit. Sed quænam illæ *Quinquegentanæ gentes? Quinquegentianos* dicit *Euſebius*. Mirificè deliravit *Pomponius Lætus*, qui nomen compoſitum divulſit, & *Gentianos populos* fecit ex poſteriore membro; ſed ex priore collegit latrones *quinquagenarios*, & ſupra eum numerum annorum fuiſſe. *Scaliger* Πενταπολίτας eſſe ait à *quinque civitatibus* illius provinciæ ſic dictos: *Cyrenis, Ptolemaide, Arſinoë, Darnis & Berenice.* Nos *Valeſium* ſequimur, qui ex Jul. Honorio *Quinquegentianos* barbaros eſſe ait, *ſupra limitem Africæ* poſitos.

VII. L. EPIDIUS ACHILLEUS in Ægypto purpuram ſumſit, & à Diocletiano *Alexandriæ* per octo menſes obſeſſus, tandem ſuccumbit, & interficitur. Diocletianus acerbè victoriâ uſus, *Ægyptum* proſcriptionibus & cædibus exhauſit. *Eutropius, Victor & Euſebius, ibique Scaliger.* Sic verò iſtum deſcripſimus è numis Græcis, quos videre licet in

Euſeb.

Euſeb. n.2304. Occon. p.518. & Goltzium in Theſ. Cæterùm propter hunc ipſum *Achilleum* & *Quinquegentianos*, & *Carauſium*, aliosque hoſtes FL. VALERIUS CONSTANTIUS CHLORUS & C. GALERIUS VALERIUS MAXIMIANUS ab Imperatoribus, *Diocletiano* & *Maximiano* adoptati, & *Cæſares* appellati; ut docent *Eutrop. Euſeb. & Victor. Idatius in Chronico* Cæſares appellatos ait, Cal. Mart. A. V. 1043. Tiberiano & Dione Coſſ. Quod ipſum ſatis eſt defendendo *Onuphrio*, quem oppugnavit *Baron. in A. C. 292.* ex Inſcriptione edicti apud *Euſeb. lib. VIII. c. 29.* Id corruptum eſſe, nec ipſe *Baronius* diſſimulare poteſt.

Bella externa quod attinet, *Carpi* à Valerio victi, deditione pactâ, omnes in Romanum ſolum tranſlati ſunt, Tuſco & Anullino Coſſ. ut ait *Victor*, & *Mamertinus in Panegyr. Conſtantio Cæſari dicto.* Conſulendus *Scal. n. 2309.* Sequente anno Diocletiano ſextùm & Conſtantio Cæſare iterum Coſſ. A. V. 1048. Galerius Maximianus Cæſar, inter Callinicum Carrasque congreſſus *cum Perſis*, longè militum numero ſuperioribus, victus receſſit; & ad Diocletianum profectus, cùm ei in itinere occurriſſet, tantâ inſolentiâ ab eo exceptus eſt, ut *per aliquot paſſuum millia purpuratus*, tradatur *ad vehiculum ejus cucurriſſe*; ut ex *Ammiano, Rufo, Feſto, Zonarâ, & Eutropio* manifeſtum eſt. Sed anno, qui Coſſ. habuit Maximianum quintùm, & hunc Galerium Maximianum, ignominiam abolevit illuſtri victoriâ, de Perſis in *Armeniâ majore* reportatâ. *Narſeus* enim Perſarum Rex, Saporis

poris avus, ingenti prælio victus, *Meſopotamiam, cum quinque regionibus Transtigritanis* reddere Romanis coactus eſt, ut uxorem & captas filias reciperet; quemadmodum *Rufus, Feſtus, Eutropius, Petrus Patricius in Excerpt. Legation. & Zonaras* referunt. *Errant*, qui Galerium cum Perſis, *ter* vel *quater* conflixiſſe, ajunt; ut oſtendit *Valeſius ad Ammian. lib. XIV. p. 53.* Sed & unde *Scaliger* nobis ſufficienter probare poſſit, Narſeum victum anno antè, quàm Diocletianus imperio abiret; videre non poſſum. Juxta *Idatium*, à victoriâ Perſicâ ad abdicationem Diocletiani ſunt integri octo anni. Eodem porrò ſucceſſu *Marcomanni* victi ſunt, Diocletiano VII, Maximiano Seniore VI. Coſſ. A. V. 1051, ut docet *Idatius*. Belli & jam *Victor alter* meminit.

Hæc proſperè prò republicâ geſta imperium Principum iſtorum valdè commendant; ſed iidem immani in Chriſtianos ſævitiâ id meruêre, ut hodiè etiam utriusque nomen, velut deteſtabile, abominemur; utque nec benefactis quidem gratia ſit, ſi quæ in rempublicam unquàm contulerunt, ut *Brunnerus lib. VI. Annal. Boic. p. 445.* loquitur. Incidit ſæviſſima illa perſecutio, de qua multa Beſoldus è Baronio, in Diocletiani VIII. & Maximiani VII. Conſulatum, ſecundùm *Idatium*, hoc eſt, A. V. 1055. Cum quo conſentiunt *Excerpta Photii ex Metrophanis & Alexandri actis, Cod. CCLVI.*

Altero anno perſecutionis hujus, qui Diocletiano IX. Maximiano VIII. Coſſ. ſignatus eſt, hoc eſt, A. V. 1056. *Diocletianus exuendæ purpuræ conſilium*

cœpit;

cœpit; & Maximianus admiſit. Ita uterque abiit Cal. April. quod indicat *Idatius*. Alter ne caderet, deſcendere voluit; eamque amplecti vitæ facilitatem, quæ periculis careret: *A throno ad agrum venit, & cùm imperium abdicâſſet, ſui tamen eſſe dominus cœpit. Non jam Diocletianum, ſed Dioclem rurſus putares; quemadmodum cùm Imperator fieret, ex Diocle Diocletianus factus eſt. Sanè in horto occupatus, ſcire potuit, viciniorem ligoni quàm ſceptro felicitatem eſſe; minari fortunam, cùm favoris modum excreſcat. Erat hoc igitur non tàm imperium, quàm curam, miſeriam, periculum exuere.* Et pereleganter diſſerit *Erycius Puteanus, Comment. in lib. Hiſtor. Inſubricæ, pag. 24. 25.* E veteribus rem narrant *Euſebius, n. 2320. Eutropius lib. IX. Caſſiodorus in Chronico, Victor uterque; Suidas, Zoſimus lib. II. & Idatius.* Tempus aſſignavimus ex *Idatio, Zoſimo*, & *Caſſiodoro*; quos poſtremos ſecuti ſunt *Onuphrius*, & *Goltzius*.

At Scaligero nemo perſuadere potuit, ut crederet, Diocletianum *poſt depoſitam purpuram Conſulem* fuiſſe (hoc enim iidem aſſerunt) *cùm*, inquit, *certum ſit, ab eo tempore privatum in villâ egiſſe, in agro Salonino; & triennio poſt depoſitam purpuram deceſſiſſe.* Mihi nimis durum videtur, ex hâc ratione contra veteres pugnare. Nonne enim (ut tempora ferunt, ut *in Diocletianum favor*, qui novo exemplo *privatum inter Deos retulit*) abſentibus, & in otio ſuo abſconditis, honor iſte haberi potuit, ut onera ferentibus aliis, ipſi velut ordinarii Coſſ. annum ſignârint? *Ingenioſiſſimæ res ſunt, amor & adulatio*; nec id leve judicabis, ſi con-

ſi conſideraveris *multùm honoris* hîc adjeciſſe, *numerum toties geſtorum Conſulatuum.*

Sed & quòd *Scaliger* ait, *triennio pòſt depoſitam purpuram defunctum* eſſe, nimis *incertum* eſt. Vir maximus veram judicavit lectionem *Zoſimi lib. II. &* *Suidæ* in Διοκλητιανὸς; ſed dubiam facit *Victor*, qui poſt abdicationem novem annos tribuit. *Eütropius lib. IX*, conſenuiſſe ait in agro ſuo. Quod verbum *longius triennio* temporis *ſpatium* in agro ſuo vixiſſe indicat. Cùm omnia circumſpexi, non invenio cauſam rejiciendi *Idatii*, qui Diocletianum mortuum ait die 3. Non. Decembr. A. V. 1068. Sabino, & Rufino Coſſ. ex tàm curioſâ dierum annotatione Scriptor ille, diligentiæ non vulgaris manifeſtus, ratiunculis & ſuſpiciunculis noſtris hodiernis valedicere nos jubet. Hoc igitur tempore Diocletianus obiit.

At Maximianus, qui A. V. 1062. ſecundo poſt Conſulatum Diocletiani decimum, ſuumque ſeptimum, cum Diocletiano de reſumendo imperio fruſtra egerat; in *Galliâ* omnia turbans, *Maſſiliæ* ſtrangulatus eſt. *Eutropius*, *Victor*, *Euſeb. lib. VIII. Hiſt. Eccleſiaſt. c. 16.* Solus *Zoſimus* Maximianum, in deſperationem rerum omnium adductum, & apud *Tarſum* morbo extinctum ait, confundens *Maximianum* cum *Maximino*, patrem cum filio. De hoc enim à *Victore, Eutropio, lib. X. Euſeb. n. 2326.* traditum, vide *Scal. ad Euſeb. n. 2325.*

CONSTANTIUS CHLORUS.

Principis hujus genus: Trebellius *contra* Scaligerum

ligerum *defenditur. Avi & Proavi, & Majores, quibus origo non debetur. Conſtantii Chlori breve imperium, & mors.*

CUm Diocletianus, & Maximianus ſenior, abdicâſſent, iidem Cal. April. ut ſcribit *Idatius* (non a. d. 11. Cal. Majas, ut *Goltzius*, & *Onuphrius* tradiderunt) eâdemque horâ in adminiſtrationem imperii CONSTANTIUS CHLORUS, & GALERIUS MAXIMIANUS JUNIOR, ex Cæſaribus Auguſti creati, ſucceſſerunt; diviſusque inter eos eſt orbis Romanus, ut *Hiſpanias, Britanniam, Galliam, Germaniam, Italiam, & Africam* CONSTANTIUS; *Illyricum, Aſiam & reliquum Orientem GALERIUS* obtinerent.

Conſtantii genus quòd attinet, *Euſebius n. 2304. Claudii* ex filiâ *nepotem* facit; *Eutropium* ſecutus; ſed is meritò notatur à *Scaligero.* Error hinc fortaſſis manavit, quòd Conſtantium Chlorum Claudii nepotem dictum reperiſſet; at id nepotem, vel etiam pronepotem ex fratre ſignificabat: Nam *Claudii* fratres, *Quinctillus* ac *Criſpus.* Criſpi filia *Claudia*, ex quâ & *Eutropio*, nobiliſſimo gentis Dardanæ viro, Conſtantius Chlorus genitus; ut nos docet *Trebellius Pollio in Claudio*; at ejusdem Trebellii verba, in Gallieno: *Is eſt Claudius, à quo Conſtantinus, vigilantiſſimus Cæſar originem ducit.* Non poteſt concoquere Scaliger: *Falſum hoc;* inquit; *Conſtantius enim trahit originem*
„ *à fratre Claudii; non à Claudio.* Sed ſciendum eſt,
„ ſolere Scriptores *propatruos* etiam, & *propatruos*
„ *magnos*, & alios, quibus origo propriè non debetur,

inter

inter *avos*, & *proavos* referre; atque inde rationem «
iſtam loquendi eſſe, quam uſurpat Trebellius. *Silius* «
lib. III. de Quincto Fabio Maximo Cunctatore:

- - *Fabius, Tirynthia proles,*
Ter centum *memorabat* avos, *quos turbine Martis*
Abſtulit una dies. - - -

Inter iſtos *trecentos Fabios*, non niſi unus & alter, quos
proſatores dicere potuit; *avos* nihilominus dicit *omnes
ejusdem ſtirpis.* Sic Cornelia apud *Propertium*,
lib. IV. eleg. ult:

Si cui fama fuit per avita decora trophæi,
Afra Numantinos *regna loquantur* avos.

Et mox:

Teſtor majorum cineres, tibi, Roma, colendos;
ſub quorum titulis Africa tanta jaces.
Et Perſen proavi *ſimulantem pectus* Achillis
Quique tuas proavus *fregit, Achille, domos.*

Derivat genus ſuum à *Scipione Africano juniore*, Lucii
Æmilii Pauli filio; cùm *ab alio Scipione* revera deſcendiſſet:
Nam Africanus junior non reliquit filium,
qui *Corneliorum* nomen propagaret.

Sed oblitus ſum, de Hiſtorici loco controverſiam
eſſe, non de Poëtæ. Igitur pro Trebellio adduco
illud *Juliani, Orat. II. pag. 95.* edit. Petavianæ:
Τά γε μὴν τῆς ἡμετέρας συγγενείας ἦρξατο μὲν ἀπὸ
Κλαυδίου. Hoc eſt: *Noſtri generis initium à Claudio
deductum eſt.* Si *Julianum* ita loquentem ferre poſſumus,
feramus & illum. *Anonymus de Conſtantio
p. 471.* Claudii nepotem ex fratre dicit; quum propriè
loquendo debuiſſet pronepotem. Hæc de
genere.

Honores quod attinet, *Protector* primùm, exin *Tribunus*, poſtea *Præſes Dalmatiarum* fuit; ut eſt apud eundem *Anonymum*. Imperium *non* multùm *ultra biennium* tenuit. *Idatius* obiiſſe, & filium ab exercitu Imperatorem appellatum vult a. d. 8. Cal. Sextil. Ipſo ſextùm, Galerio Maximiano Coſſ. A. V. 1058. Cum quo ad amuſſim conveniunt, quæ ſcribit *Onuphrius* in dicto anno. Mortuus autem eſt *Eboraci*, in Britanniâ. *Florilegus* tumulum ejus in *VVallia* repertum fuiſſe prodit; ſed *Camdenus in Britanniâ p. 569.* à fide dignis accepiſſe ſe ait, patrum memoriâ, cùm *monachorum ædes* diruerentur *in cryptoporticu* ædiculæ, in quâ Conſtantium ſitum fuiſſe, opinio erat; *lampadem ardentem*, ſive *ignem perpetuum* inventum fuiſſe. Ut omnibus virtutibus inſignem paſſim deprædicant Scriptores. Vide *Baron. in A. C. 304. n. 13. & 14. & in A. C. 306. n. 10. & ſeqq.*

GALERIUS MAXIMIANUS, GALERIUS MAXIMINUS, SEVERUS, MAXENTIUS, ROMULUS, LICINIUS.

Occonis *in citando* Zoſimo *ſupinitas*. Ejusdem & Scaligeri *gravis error*. Leunclavii *oſcitantia, in vertendo* Zoſimo. *Numus Græcus emendatur. Tres* tabernæ, *ad quas cæſus Severus, Maxentius Maximiani ſenioris*

nioris gener, *non* filius. *Al a quadam in chronologia ex* Idatio, *contrà* Onuphrium. *Principum iſtorum ſex facta & cædes.*

C. GALERIUS VALERIUS MAXIMIANUS (ita deſcribitur in numis) ortus *Daciâ Ripenſi*, parentibus agrariis, unde illi cognomen Armentario, *Cæſar* appellatus, cum Conſtantio Chloro A.V. 1043. poſt abdicationem Diocletiani, & Maximiani ſenioris, *Auguſtus* & *Imperator*, unà cum Conſtantio rerum potitus eſt. Pulcher corpore, eximius & felix bellator, ſuperbiſſimus tamen; qui *matrem ſuam à Dracone compreſſam jactabat*, ut de eo crederetur, quod de Alexandro M. ſcriptum eſt. *Sex. Aurel. Victor.* Idem graviſſimus noſtræ religionis hoſtis & perſecutor. *Baron. in A. C. 304. n. 51. & ſeqq.*

Adoptavit A. V. 1058. Cæſaresque appellavit C. GALERIUM VALERIUM MAXIMINUM (ita vocatur in multis numis apud *Occonem*) & FL. VALERIUM SEVERUM, paulò ante mortem Conſtantii Chlori. *Eutrop. lib. X.* Sed *Zoſimus lib. II.* ait, *utrumque Cæſarem* appellatum *ſimul* à Conſtantio Chloro. Ex his *C. Galerius Valerius Maximinus*, C. Galerii Valerii Maximiani nepos è ſorore, *Daza* ante imperium dictus eſt. *Sex. Aurel. Victor.*

Falſum eſt, quòd ſcribit *Occo*, pro nepote Marci Aurelii Valerii Maximiani Herculei, ex ſorore habitum à *Zoſimo*. Zoſimi verba Græca omninò avunculum ejus faciunt, C. Galerium Valerium Maximianum: Ἀνέδειξαν Καίσαρας Σεβῆρον καὶ Μαξιμῖνον, ἀδελ-

ἀδελφῆς ὄντα παῖδα τοῦ Γαλλερίου. Quæ *Leunclavius* perperam vertit: *Cæſares appellavêre Severum, & Maximianum, qui nati ex ſorore erant Galerii.* Tanquam & Severus Galerium Maximianum avunculũ habuerit. Verte: *Severum & Maximinum, qui natus erat, ex ſorore Galerii.* Atq; ita *Zoſimus* idem dicit ex *Victore.*

Sed longè gravius, quod idem *Occo Scaligero* ex *Euſebio n. 2321.* tàm fœdè impoſuit. Statuit enim vir de republicâ literariâ optimè meritus, *Maximinum* hunc *Julium* appellari; in his numis Græcis: ΑΥΤ. Κ. Γ. ΙΟΥΛ. ΟΥΑ. ΜΑΧΙΜΕΙΝΟΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ· ΤΟΝ. ΕΝ. ΙΩΝΙΑ. Et: ΑΥΤ. ΙΟΥ. ΟΥΑ. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟΣ. ΕΦΕΣΙΩΝ. Nullus dubito, quin utrumque numum corruptum exhibuerit *Occo*; ſic igitur corrigo: ΑΥΤ. Κ. Γ. ΙΟΥΛ. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΙΩΝΙΑ. Et: ΑΥΤ. ΙΟΥ. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟΣ. ΕΦΕΣΙΩΝ. Hoc eſt: *Imperator Cæſar, C. Julius Verus Maximinus Metropolitarum, qui ſunt in Jonia.* Et: *Imperator Julius Verus Maximinus Epheſiorum.* Referendi ſunt hi numi ad C. JULIUM VERUM MAXIMINUM (ſic integer deſcribitur in *Lapide V. p. 151. Operis Grut.*) qui poſt Alexandrum Severum *Auguſtus* dictus eſt.

„ Adeò faciles lapſus ſunt, & eruditiſſimorum
„ virorum, quoties integræ Principum deſcriptiones
„ non ſuccurrunt; ut mirari deſinant, cur hujusque
„ tàm ſoliciti fuerimus in deſcribendis nominibus.
„ *Dicam, quod res eſt, liberè: Nemo feliciter*
„ *hiſtoriam unquam tractaverit, qui exa-*
„ *ctam nominum cognitionem aſpernatur;*

ſed

ſed omnia turbabit, confundet, ac miſcebit;" nec quicquam aliud erit hiſtoria, niſi rude & " indigeſtum chaos.

De natalibus *Flavii Valerii Severi* (ut in numis appellatur) nihil aliud reperio, niſi in *Illyrico* natum, popularem fuiſſe C. Galerii Valerii Maximini. Altero anno poſt adoptionem, hoc eſt, A. V. 1059. Fl. Valerio Conſtantino Auguſto, Marco Aurelio Valerio Maximiano IX. Coſſ. contra *M. Aurelium Valerium Maxentium* (ſic numi) profectus, viribus impar, *fugere coactus*, & Romæ interfectus eſt.

Ita ſcribit *Idatius*, & accedit *Sex. Aurel.* Victor: *Romæ*, inquiens, *ad tres tabernas extinguitur.* De his tribus tabernis, multa *Scal. ad Euſeb. n. 2324. Zoſimus* ait: *Severum blanditiis Maximiani Herculei Ravennâ Romam evocatum, in viâ ad tres tabernas*, laqueo *necatum eſſe.* Igitur *Cluverium lib. III. Italiæ antiquæ c. 8. p. 1034*, ſequimur, & per *tres tabernas*, non intelligimus cum *Valeſio ad Anonymum*, illas, quæ fuerunt *ad forum Appii*, memoratæ in *Actis Apoſtolorum, c. ult. §. 14. & 15.* ſed eas, quæ tribus millibus paſſuum ab *Interamnâ* fuerunt, eo loco, qui vulgò dicitur *Ponteconfino.* Hæc enim *inter Romam & Ravennam* ſitæ ſunt, ita dictæ à *tribus cauponis*, vel *diverſoriis publicis.*

Fuit hic MAXENTIUS, contra quem Flavius Valerius Severus tàm infelicem expeditionem ſuſceperat, M. Aurelii Valerii Maximiani Herculei frater, ex Galeriâ Valeriâ Eutropiâ Syrâ; ut præter *Victorem utrumque*, ſcribit *Zoſimus* & *Eutropius.* Sed acceſſe-

rim famæ publicæ, quæ fuit (ut adjicit *alter Victor*) ſuppoſitum fuiſſe, arte muliebri. Idem lego in *Panegyrico* Conſtantino dicto: *Ille erat Maximiani ſuppoſitus, tu Conſtantii Pii filius.* Credidit idipſum Maximianus ſenior: *Cur* enim, *ſi hunc ſanguinem ſuum putavit*, in ſucceſſione imperii *prætulit* Fl. Valerium Conſtantium Chlorum? ſed quàm ipſi veteres hîc cæcutierint, docet numus *Lælii Pasqualini, apud Baronium in A.C.306. n.23.* qui *generum* facit, *non filium*. Verba ſunt alterius lateris: IMP. MAXENTIUS. DIVO. MAXIMIANO. SOCERO. Cave enim, hîc intelligas C. GALERIUM VALERIUM MAXIMIANUM, qui *nihil* omninò pertinuit *ad Maxentium*; quod ex narratione *Zoſimi* facilè colliges. Accedit deniq; *Anonymus*, à *Valeſio* publicatus, qui ſcribit, *de Maxentii origine matrem quæſitam*, reſpondiſſe, *Syro quadam genitum.*

Porrò *Maxentius* iſte, à militibus Prætorianis *Imperator Auguſtus* appellatus eſt a. d. 7. Cal. Octob. A. V. 1058. ut ex *Panegyricis* docet *Onuphrius*. Cæſo Severo, *C. Galerius Valerius Maximianus* ejus mortem ulciſci cogitabat, ſed fruſtra fuit; ut ſcribit *Zoſimus*.

Ipſe Maxentius filium ſuum M. AURELIUM ROMULUM, Cæſarem, & bis Coſſ. fecit, quem poſt obitum etiam conſecravit; ut partim ex numis, partim ex *Idatio* conſtat. At C. GALERIUS VALERIUS MAXIMIANUS A.V. 1060. Se VII. Diocletiano X. Coſſ. altero anno poſt cæſum Severum a. d. 3. Idus Novembr. PUBL. VALERIUM LICI-

LICINIANUM LICINIUM (ita nominat æreus, apud *Occon. p. 544.* alii *Caji* prænomen tribuunt, neſcio quàm benè) *Carnuti in Pannonia* Cæſarem appellavit; Illyricoque præpoſuit. *Daciâ* oriundum ſcribit *Eutropius*. Ipſe à *Philippis Imperatoribus* originem traxiſſe, videri volebat. *Capitolinus in Gordiano III. p. 165.* Vilioris originis ex *novâ Daciâ* hominem facit *Anonymus apud Valeſium p. 473.*

Annum ut ſciamus, debemus *Idatio*; at *Onuphrius*, eumque ſecuti, *Cæſarem Auguſtum* appellatum dicunt, a. d. 11. Cal. Maj. A. V. 1062. ſine auctoritate. *Baronius in A. C. 307. n. 1. 13. & 26.* eodem anno, Severum & Maximianum Herculeum occiſos, & Licinium Cæſarem creatum vult, hoc eſt, A. V. 1059. quod ex hactenus dictis apparet falſum. Nimirum Fl. Valerius Severus, fraude Maxentii occiſus, A. V. 1059. M. Aurelio Valerio Maximiano IX. & Conſtantino Coſſ. Hoc unum verum dicit *Baronius*: Licinius Cæſar creatus A. V. 1060. Diocletiano X. Galerio Maximiano VII. Coſſ. Sed M. Aurelius Valerius Maximianus Herculeus laqueo vitam finit *Marſiliæ*: A. V. 1062. hoc eſt, anno ſecundo poſt Conſulatum Diocletiani decimum, & Galerii Maximiani ſeptimum, Maxentio III. ſolo ſuffecto Coſ.

Cognito *Licinium* Cæſarem appellatum eſſe, C. GALERIUS VALERIUS MAXIMINUS hucusque *Cæſar*, ſeipſum *Auguſtum* dixit. Ipſe verò C. GALERIUS VALERIUS MAXIMINUS, *contra Maxentium*, Romam profectus, auditâ militum defectione, in *Illyricum* rediit. Ibi cum miſer-

rimo morbo conflictatus eſt, ulcere inguinibus innato, conſumptis genitalibus, & vermibus ubique erumpentibus. Digniſſimus hâc pœnâ, qui multa millia Chriſtianorum immanibus ſuppliciis affecerat. Vide *Baron. in A. C. 311. n. 29. & 30. Scal. ad Euſeb. n. 2326.* Mors ejus incidit in A. V. 1063. Cùm ipſe Conſulatum octavum iniiſſet, eique ſuffecti eſſent Rufinus & Voluſianus. Sic idem *Idatius.*

Sequente anno (qui Coſſ. ordinarios habuit Fl. Valerium Conſtantium II. Publ. Valerium Licinianum Licinium, & ſuffectum Maxentium IV. ſolum) *Fl. Valerius Conſtantinus* à Senatu vocatus in auxilium *M. Aurelium Valerium Maxentium*, qui Romam libidinibus & tyrannide ſuâ graviter afflixerat (*Baron. in A. C. 308. n. 25. & in A. C. 312. n. 8.*) magno prælio devicit; & ipſe Maxentius *ruinâ pontis Mulvii* præceps datus in profluentem, dignum facinoribus exitum. *Scal. ad Euſeb. n. 2328. Baron. in A. C. 312. n. 38. & ſeqq. Onuphrius in A. V. 1064.* qui factum id edocet a. d. 8. Cal. Octobr.

Hinc Conſtantino *arcus triumphalis* erectus, cum inſcriptione magnificâ; de quâ præter *Baron. n. 60. Alexander Donatus lib. III. de Urbe Româ cap. 6.* Hæc, ut dixi, facta ſunt A. V. 1064. Supererat crudeliſſimus Chriſtiani nominis hoſtis, C. Galerius Valerius Maximinus: Sed & ipſe fuſus, fugatusq; à Licinio, *Tarſi* periit. A. V. 1065. Conſtantio III. & Licinio III. Coſſ. *Aurel. Victor, Euſeb. n. 2327. Baron. in A. C. 314. n. 2. & ſeqq.* Atque ita de his Imperatoribus diſſerendum eſt, ita nominandi, ita diſtinguendi.

Vete-

Veteres in nominibus *Maximiani* & *Maximini*, ſæpè graviter ceſpitârunt, quod notavit *Scal. ad Euſeb. n. 2326. 2327.*

Ecquod autem Publ. Valerii Liciniani Licinii fatum? nam & ipſe Chriſtianis infenſiſſimus fuit: Auguſtus dictus, ut ſuſpicatur *Valeſius ad Anonym. p. 438.* paulò ante obitum C. Galerii Valerii Maximini, commiſſus eſt cum Conſtantino A. V. 1066. Voluſiano & Anniano Coſſ. & prælium commiſſum a. d. 8. Idus Octobris, ut ſcribit *Idatius*. Cibalenſe bellum vocatur à Scriptoribus, à Cibalis, oppido Pannoniæ. *Scal. ad Euſeb. n. 2329.* cum quo confer *Anonymum apud Valeſium, p. 473.* qui refert, *cecidiſſe illo prælio è Licinii exercitu viginti peditum & equitum ferratorum millia; Licinium noctis auxilio profugiſſe in Daciam: Unde apud Hadrianopolim, Thraciæ civitatem, per Valentem collectâ ingenti multitudine, legatos ad Conſtantinum de pace miſiſſe, tunc apud Philippos commorantem; ſed fruſtra. Hinc reparato bello, manus conſertas in campo Mardienſi. Ibi inclinatâ Licinii acie rurſus ereptos Licinianos, noctis beneficio: Paulò poſt fatigatis bello & itinere ipſius Conſtantini militibus, Meſtrianum à Licinio legatum miſſum pacem & petiiſſe, & impetrâſſe; his conditionibus, ut Licinius* Orientem; Aſiam, Thraciam, Mœſiam, Scythiam minorem *poſſideret: Filii Conſtantini* FL. JULIUS CRISPUS, FL. CL. CONSTANTINUS, & VALERIUS LICINIANUS LICINIUS, *Licinii filius, & Conſtantii Chlori ex filia Flavia Valeria Conſtantia nepos Cæſares deſignarentur.* Deſignatos eſſe

Cal. Martiis A. V. 1069. Gallicano, & Baſſo Coſſ. auctor eſt *Idatius*. Meminit & *Euſebius n. 2333*. Eo die, quo facti ſunt Cæſares, *defectionem Solis* factam legimus, apud *Aurel. Victorem*. An igitur in Cal. Mart. tùm inciderit, Aſtronomiæ peritis docendum relinquo.

Pergit Anonymus: *Multa poſthac Licinium ſcelerate, avarè, crudeliter feciſſe; ruptâque pace, utriusq́, exercitus, ad Hadrianopolim rurſus bellum utrinque magnis viribus geſtum. Inſignem victoriam penes Conſtantinos fuiſſe.* Idatius eam refert in quintum Non. Jul. A. V. 1076. Criſpo III. & Conſtantino III. Coſſ. à quo licet in die *Chronicon Alexandrinum* diſſentiat, tamen *Idatii* narrationem confirmant *l. 1. C. Theod. de Veteranis*; & *Hervvartii Calend.* quod habet: *V. Non. Julias fugato Licinio Circenſes miſſus XXIV.* Nec tùm bello finis, ſed ut idem docet *Anonymus*, pugnatum terrâ, marique; *& mari quidem victum Amandum, Licinii ducem; ipſumque Licinium, ſpe maris obtinendi, abjectâ, cum theſauris Chalcedonem profugiſſe.* Prælium non procul *Chalcedone* commiſſum a. d. 14. Cal. Octobr. notavit *Idatius*. Adde *Zoſimum lib. II.* paulò pòſt, hoc eſt, a. d. 6. Idus Decembr.

Eodem Anno FL. JULIUS CONSTANTIUS à patre Conſtantino Cæſar appellatus eſt, ut eſt apud eundem *Idatium*. Atque ita *tres Conſtantini filios* Cæſares nunc habemus, *Criſpum, Conſtantinum, & Conſtantium*. Denique prælio ad *Chryſopolin* feliciter depugnato, cùm exercitus Licinii è *Gothorum* auxiliis potiſſimùm conſtaret, Conſtantinus bellum

bellum confecit; quod factum arbitror A. V. 1077. Paulino & Juliano Coſſ. Nam hoc anno Licinium occiſum tradit *Idatius*. *Onuphrius* Licinium A. V. 1076. vult deditum, ſequente anno interfectum.

Quicquid ſit, vitam ei *Conſtantia* uxor impetrârat à fratre Conſtantino, hâc conditione, ut poſitâ purpurâ privatus viveret; ſed cùm ſecum Conſtantinus reputaret, quàm *Maximianus Herculeus* non potuerit privatus vivere, ſimul cædem poſcente per tumultum exercitu; tandem annuit, & Licinius *Theſſalonicæ*, contra datam fidem, occiſus eſt. Sic totius orbis Romani monarchia ad ſolum FL. VALERIUM CONSTANTINUM, Conſtantii Chlori filium, devenit.

Jam pauca quædam de aliorum diſſenſu: Primò, Criſpum, Conſtantinum, & Licinium, *Cæſares* appellatos, *Onuphrius* aſſerit A. V. 1066. Voluſiano & Anniano Coſſ. cùm appellati ſint A. V. 1069. Galliano & Baſſo Coſſ. ſecundùm Idatium: Secundò *Baron. in A. C. 317. n. 1.* alterum prælium Conſtantini cum Licinio ad *Hadrianopolim* depugnatum a. d. 5. Non. Jul. rejicit in A. 1069. ob ſubſcriptionem *legis primæ, Codice Theodoſiano de Veteranis*. *Idatium* non deſerimus, propter ſubſcriptionem iſtam, quam ſuſpectam habuit *Valeſius ad Anonymum de Conſtantio, p. 443*. Tot ſunt mendæ in inſcriptionibus, & ſub- " ſcriptionibus legum *tùm in Digeſtis*, *tùm in Codici-* " *bus*; ut in chronologiâ, niſi aliunde confirmetur, contra Scriptores veteres nihil inferant. Niſi tempus me deficeret, pluribus id explicarem è *l. 2. C. Theod.*

de

de raptu, vel *matrimonio ſanctimonialium virginum*, *è l. 8.* Cod. *eod. de jure fiſci*; *è l. 32.* Cod. *eod. de appellationibus*, *è l. 15.* Cod. *eod. quorum appellationes non recipiantur. è l. 8.* Cod. *eod. de jurisdictione*, *è l. 28.* Cod. *eod. de annonâ & tributis*, *è l. 107.* Cod. *eod. de Centurioribus*, & è quàm plurimis aliis.

Neque ſolum *Idatium* hîc propugnamus, ſed *Victorem* & *Euſebium*; quorum ſententia quæ ſit, docet *Scaliger ad Euſeb. n. 2340.* Uno verbo: Nulla alia, quàm quæ Idatii eſt. In *Beſoldi Synopſi majore* tolle duo peccata typographi an auctoris? Primum legitur: *Conſtantino mortuo, Galerius Flavium, Valerium, Severum, & Maximinum adoptavit.* Corrige: *Conſtantio mortuo Galerium Fl. Valerium Severum & Maximinum eſt.* Non enim adoptavit *quatuor*, ut vult edita lectio; ſed *duos*. Quamvis *falſum* ſit, *mortuo* Conſtantino Severum, & Maximinum *adoptatos*. Nam adoptati *paulò ante* Conſtantii *mortem*; ut ſuprà diximus. Secundò ait: *Maximinus imperii collegam Licinium adſumſit.* Lege: *Maximianus*, & intellige C. *Valerium Galerium Maximianum.*

TYRANNI

SUB IMPERATORIBUS MODO RECENSITIS.

ALEXANDER *Phryx* natione, ſenex, timidus, & tardus, Propræfectus Prætorio, per *Africam* à militibus, *contra Maxentium*, Imperator appellatus eſt, *Zoſimus lib. II. p. 674. 675.* Cui in patriâ nominandâ *Sex. Aur. Victor* accedit. Sed *Victor alter* agreſtibus & *Pannonicis* parentibus *vecordiorem* dicit.

dicit. Victus eſt à C. Cejonio Ruſio Voluſiano; illo ipſo, qui *Inſcr. V. p. 387.* Proconſul Africæ dicitur, & conſulatum geſſit. A. V. 1063. Sic *Victor Schotti.* At *Victor alter* jugulatum ait à Conſtantini exercitu. Numos ejus vide apud *Goltzium in Theſ. c. 4. p. 125. & Occonem p. 528.*

C. JULIUS VALENS (ita vocatur in numo Græco) à Publ. Valerio Liciniano Licinio poſt *Cibalenſe prælium* Cæſar appellatus eſt. *Zoſim. lib. II. p. 679. Valeſii Anonymus p. 473.* Pace dein factâ inter Licinium & Conſtantinum; inter alias conditiones hæc fuit, ut *Valens* iterum *privatus* viveret. *Anonymus l. d.* Sed *Zoſimus* ait, fuiſſe hanc, *ut è medio tolleretur.* Certè interfectus eſt ab ipſo Licinio. *Sex. Aur. Victor.*

M. MARTINIANUS (ita deſcribit numus apud *Occonem p. 539.*) à Licinio Cæſar appellatus, poſt infelix prælium, ad Hadrianopolim. *Anonymus, p. 475. & Victor Schotti.* Magiſtrum officiorum fuiſſe ſcribit *Zoſimus lib. II. p. 683. & Sex. Aurel. Victor.* Occiſus eſt, victo Licinio, Conſtantini juſſu. *Iidem.* Meminit *Inſcr. V. p. 283.* MARTINIANI. P. PRÆSIDIS PROV. NORICI. MEDITERR. qui per temporis rationem videri poſſet hic ipſe.

BASSIANUS, qui *Anaſtaſiam*, Conſtantii Chlori filiam, in matrimonio habuit, huc referendus videtur, ex *Anonymo de Conſtantio, p. 473.*

CAPUT XV.
FLAVIUS VALERIUS CONSTANTINUS, cognomento MAGNUS.

Conſtantii Chlori liberi. Helena *ejuſdem uxor*, non concubina. Scaligeri *mira oſcitantia.* Trebellii *locus aliter explicandus, quàm* Baronius *putavit. Conſtantini vera patria.* Firmici *locus. Conſtantinus in* Britanniâ *imperium ſuſcepit, & quo anno? Numus explicatus, qui* Scaligero *inexplicabilis viſus. Conſtantinus*, Cæſaris *appellatione contentus, cùm imperium haberet.* Africâ *Conſtantii & Conſtantini ſors. Criſpi & Licinii junioris cædes. Fauſtæ interitus.* Conſtantinopolis *eximium Conſtantini opus, ſed* Romæ *veteris* ruina. *Conſtantini bella externa, mors, & elogium ambiguum.*

FLAVIUS VALERIUS CONSTANTIUS CHLORUS, uxores *duas* habuit, *Flaviam Juliam Helenam*, & *Flaviam Maximianam Theodoram*, Maximiani Herculei privignam. Ex hâc Maximianâ *ſex* fuerunt liberi: I. *Conſtantinus*, Coſ. A. V. 1078. II. *Dalmatius Cenſor*, quibusdam & Hannibaliianus, quod nomen ejusdem filius habuit. III. *Julius Conſtantius.* IV. *Anaſtaſia*, Basſiani conjunx. V. *Flavia Valeria Conſtantia*, uxor Publii Valerii Liciniani Licinii. VI. *Eutropia.*

Ex *Helena* natus eſt ille FL. VALERIUS CONSTANTINUS, MAGNI cognomine vulgò notiſſimus. *Paulus Merula Coſmograph. part. II. lib. II. cap. 19.*

cap.19. p.637. deſcribit M. AURELIUM VALERIUM FLAVIUM CONSTANTINUM MAXIMUM; quomodo appellatum legere non memini. Matrem ejus *Helenam* ſaltem *concubinam* fuiſſe *Conſtantii Chlori*, adeoque *Conſtantinum* pro *notho* habendum voluerunt. *Euſeb. n.2322. Oroſ. lib.VII. cap.25. Chronic. Alex. & Beda lib.I. Rerum Britannicarum. c.8. & Zoſim. lib.II. Eutropius* ait, ex *obſcuriore matrimonio* filium fuiſſe. Conſtantinus F. pro *uxore* Conſtantii Chlori *legitimâ* haberi voluit *Inſcr. II. p. 1086:* PIISSIMÆ. ET. CLEMENTISSIMÆ. DOMINÆ. NOSTRÆ. AUGUSTÆ. HELENÆ. MATRI. DOMINI. NOSTRI. VICTORIS. SEMPER. AUGUSTI. CONSTANTINI. UXORI. DIVI. CONSTANTII. Juſtam *uxorem* fuiſſe, & *poſtea repudiatam*, multis contendit *Baronius in A.C.306.n.17.18.* cui omninò aſſentior. Auctor *Anonymus* de Conſtantino: *Relictâ enim Helenâ priore uxore, filiam Maximiani, duxit uxorem.* Quaſi ſomnians nonnulla ſcribit *Scaliger ad Euſeb. n. 2322.* Helenam non poſſe priorem uxorem Conſtantii Chlori dici: *Nam prior uxor erat*, inquit, *Minervia, Mater Criſpi Cæſaris, quam dimittere coactus eſt; cùm Theodoram privignam Herculei duceret uxorem.* Vide, quàm non parvæ ſint hallucinationes maximorum virorum? Quis *Scaligerum* docuit, *Minerviam* fuiſſe Conſtantii Chlori conjugem, *Criſpum* ejusdem filium? *Minervia* ſeu *Minervina*, *Conſtantini Magni uxor*, ſeu *concubina* fuit; quæ illi peperit *Flavium Julium Criſpum.* Res pueris nota: Sed tamen videri poſſunt

poſſunt *Victor*, & *Zoſimus lib. II. p. 679.* qui *concubinam* fuiſſe credunt. Sed *legitimam conjugem* probare conatur *Baron. in A. C. 307. n. 7.*

Satis de parente, & matre: *Si verò altiùs repetatur origo* (inquit idem *Baron. in A C. 308. n. 11.*) *Trebellius auctor eſt, eum à Veſpaſiano deſcendere.* Sed vir illuſtriſſimus non intellexit *Trebellii verba*, quæ ſunt: *Ille velut futurorum memor, gentes Flavias, Veſpaſiani & Titi (nolo autem dicere Domitiani) propagavit.* Hoc vult: Reliquiſſe multos, ex ſuâ domo, quibus delatum ſit imperium, intuitu ipſius Claudii. Ii poſteri plerique *Flavii* dicti, ut *Flavius Valerius Conſtantius, Flavius Valerius Conſtantinus*, & multi alii. Hinc *Flaviorum propagator.* Veſpaſiani autem & Titi ſaltem meminit; non quòd ab illis deſcenderit, ſed quòd ipſe ſimilis Veſpaſiano & Tito, non minùs illuſtrârit Flavii nomen, quàm illi. Vide *Salmaſium ad Trebellium, p. 326. 327.* Si verbum *propagare* hîc propriè accipere voles, ne Conſtantios, & Conſtantinos *propagâſſe* dici poteſt: Non ſunt ab illo oriundi, ſed *à fratre Criſpo*; quòd ſuprà dixi. Nec obſtat *Inſcr. IV. p. 283.* in quâ FLAVIUS CONSTANTINUS dicitur D. CLAUDII N. D. CONSTANTII F. *Nepos* enim hîc admodùm *latè* accipitur, pro *fratris nepote*, vel *abnepote* ex fratre. Hoc non obſervatum, erroris cauſam præbuit nonnullis; hinc enim eſt, quòd *Nicephorus* Conſtantinum ait *Claudii ex filio nepotem.* Nec minùs ruentes in errorem impulerunt *Panegyrici*, in quibus *D. Claudius, D. Conſtantii parens.* Vide præter cæteros *Eumenium panegyrico VIII. c. 2.*

Natale

Natale Conſtantini ſolum quod attinet, non minor de eo lis fuit, quàm olim de Homeri patriâ. *Baron. in A. C. 306. n. 16.* tantâ contentione affirmavit *Britanniam* eſſe, ut, non niſi extremæ dementiæ homines illi ſententiæ repugnare, diceret. Sed tamen locum *Panegyrici V. c. 4.* quem præcipuè urget, jam pridem explicârunt *Livineus* in dictum Panegyricum, & *Lipſius lib. IV. de Magnit. Rom. c. 11.* Horum autem ſententia fuit, natum eſſe *Tharſi*, quæ in *Bithynia* eſt; idque probare ſtatuerunt ę loco *Firmici.* Nos *Valeſium ad Ammiani lib. XXI. p. 196.* ſequimur, cujus ſententiâ nihil verius. Fuit enim natus apud *Naiſum, Daciæ mediterraneæ oppidum.* Hoc dicit *Anonymus*, à nobis toties citatus; hoc Stephanus in Ναϊσσός; hoc *Conſtantinus Porphyrogennetus, lib. II.* περὶ Θεμάτων, hoc ipſe *Firmicus in MSS.* Nam in iſtis legitur, *apud Naiſum genitus*, non apud Tharſum.

Mortuo Conſtantio patre, ſtatim ab exercitu *Britannico* Imperator appellatus eſt; initiumque ejus, ſecundùm *Idatium*, conſurgit exante d. 8. Cal. Aug. A. V. 1058. Conſtantio Auguſto VI. Galerio Maximiano Auguſto VI. Coſſ. *Euſebius*, non ſine magnâ tanti nominis injuriâ, imperium invaſiſſe ſcribit *n. 2322.* Quem ob id è *Zoſimo*, & *Aur. Victore* Scaliger caſtigat. Hinc verò explicandus modò laudatus Panegyriſtes V. cap. 4: *Liberavit pater Britannias ſervitute, tu etiam nobiles illic oriendo feciſti.* *Oriendo* id eſt, dùm *illic Imperator factus* es, *non natus.* Idem dicit, quod Eumenius: *O fortunata & nunc omnibus beatior terris, Britannia! quæ Conſtantinum*

Cæſarem primâ vidiſti, hoc eſt, non vitæ, ſed *imperii luce* circundatum.

Scaliger ad d. l. Euſebii lectori crucem figit, exhibitis numis illis: FL. VAL. CONSTANTINUS. NO. CÆS. Et: CONSERVATOR. AFRICÆ. SUÆ. Et: CONSERVATORES. CART. SUÆ. R. K. D. *Hoc*, inquit, *mihi tenebricoſius eſt Cimmeriis tenebris: Nam hiſtoria nulla refert, aut eum Cæſarem à Galerio dictum, aut unquam in Africa fuiſſe.*
„ Hæc Scaliger, qui jam ſenior ſatis habuit pergere
„ in ſcribendis libris, veteres cenſere, probare, & re-
„ jicere; & hujusmodi alia facere, ſolâ memoriâ fre-
„ tus, non conſultis diutiùs libris: *Omnis enim mora*
„ *& ulterior inquiſitio ſeni moleſta eſt!* Hinc tenebris
„ involvit multa, & ſæpè plus negotii facit, quàm ipſi
„ veteres. Hinc factum, ut ferè in omnibus paginis
„ Euſebiani operis hallucinationes graviſſimas de-
„ prehenderint viri doctiſſimi. Scio, multis opi-
„ nione ſuâ accuratiſſimis, & qui plus famæ literis a-
„ micorum, carminibus, panegyricis, & conſecratio-
„ ni tribuunt, quàm veritati, gravem eſſe hanc judi-
„ cii libertatem; ſed nihil illos moramur, qui quod di-
„ cimus, ſatis ſuperque hactenus probavimus; nec
„ minùs interim Scaligerorum merita & nomen ſu-
„ ſpicientes, quàm ipſi.

Numos iſtos quod attinet, non dicunt, Conſtantinum à Galerio Cæſarem appellatum; *Cæſarem nobiliſſimum* dicunt, & rectè: Nam quamvis Conſtantinus, patre defuncto, imperium revera ſuſceperit, tamen *Cæſaris* appellatione contentus, *Imperato-*
ris,

ris & *Auguſti* nomen tum demùm recepit, cùm Flaviam Maximianam Fauſtam, Maximiani Herculei filiam, uxorem duceret. *Auctor Panegyrici V. cap. 1.* Maximiano & Conſtantino dicti: *Mihi certum eſt, ea præcipuè iſto ſermone complecti, quæ ſunt hujus lætitiæ propria; quâ tibi Cæſari additum nomen imperii, & iſtarum cœleſtium nuptiarum feſta celebrantur.* Et cap. 2: *Tibi, Maximiane, per generum, juventa renovata eſt; & tibi, Conſtantine, per ſocerum nomen Imperatoris accrevit.*

Sed quid ad Conſtantinum illo tempore *Africa*, in quam nunquam venit? Reſpondeo, qui paternum imperium accepit, is ſimul adeptus eſt Africam: Nam Conſtantius Chlorus pater, in diviſione imperii, poſt abdicationem Diocletiani & Maximiani, *Gallias, Hiſpanias, Italiam & Africam* accepit; ut ex *Eutropio* ſuprà docui: Hinc CONSTANTINI AFRICA, in numis. Inſidioſè me hîc agere, dicet non nemo, qui apud eundem *Eutropium* & *Joh. Antiochenum in Exc. Peir. p. 837.* legerit: *Conſtantium paulò poſt Africam & Italiam Galerio Maximiano ceſſiſſe.* Hoc quidem dicit *Eutropius*, eumque, ut alibi, deſcripſit *Antiochenus*; ſed parùm probabile reddidit viris eruditiſſimis. Conſulendus *Baronius Tom. II. Annal. in A. C. 306. n. 6. 7.* Occupârunt Africam & Italiam Maxentius & Galerius vi, non jure; & cùm poſteà Conſtantinus Italiam & Africam Maxentio extorſiſſet, & eidem caput amputari juſſiſſet; cumprimis Africæ ſuæ gratum ſpectaculum præbere voluit, miſſo

 in

in illam Tyranni capite. Vide *Nazarium Panegyr. VII. cap. 32.*

Cæterorum res geſtas Conſtantini contra Tyrannos jam ſuprà executi ſumus. Initia imperii non valdè commendant Scriptores: Et ſanè *in filium Criſpum*, quod admiſit *facinus*, *inexcuſabile* eſt, quem *à Fauſtâ novercâ delatum, quaſi ipſam de ſtupro ſollicitáſſet*, inſontem occidi juſſit. A. V. 1078. Se VII. & Conſtantio F. Coſſ. Eodemque anno etiam *Valerium Licinianum Licinium Cæſarem*, ſororis filium, *è medio ſuſtulit*. Vide *Euſeb. n. 2341.* ibique *Scal. Joh. Antiochen. in Exc. Peir. p. 839. ibique Valeſium. Baronium in A. C. 324.* Sed cui ne accedas in chronologiâ; longè enim veriora hîc docet idem *Valeſius ad Ammiani lib. XIV. p. 56.*

Sed non diu innocentis ultionem diſtulit DEUS, juſtiſſimus ſcelerum vindex: Nam anno ſequente *Fauſta balneo calenti incluſâ expiravit*; vel, ut alii volunt, *monti alligata, beſtiisque lanianda*, objecta eſt. *Valeſ. l. d. & Petavius Ration. Temp. part. I. lib. VI. c. 1.* Sed triennio ferè poſt interemtum Criſpum, *Euſebius* interfectam ait Fauſtam, *Scal. ad Euſeb. n. 2344.*

Maximum poſthæc opus ſuſcepit, & perfecit, *extinctâ Conſtantinopoli*; quam ædificavit a. d. 5. Idus Maj. A. V. 1082. Gallicano & Symmacho Coſſ. ut nos docent *Idatius, Chronicon Alexandrinum, Euſeb. n. 2346.* accedentibus ex accuratioribus Chronologis hodiernis *Scaligero, Petavio, Baronio in A. C. 330. n. 2.* At *Goltzius* & *Onuphrius* dedicatam putârunt anno ſeriùs, Baſſo & Ablabio Coſſ. De hâc urbe quæcunque

cunque dici poſſunt, compendium facere nos jubet opus *Petri Gyllii Albicenſis de Conſtantinopoli*, Scaligero valdè commendatum. Ut habitaretur, inſignibus privilegiis S. P. Q. Conſtantin. donatus eſt. Vide *Lazium lib.I. Reip. Rom. c.1. Valeſ. ad Amm. lib.XXII. p.224. Petavium ad Julian. Ep.XXXIV. p.325.326.*

Ceſſit eidem Ægyptus, tanquam *horreum Romæ*, veteri relictâ Africâ. *Valeſ. p.351.* Hinc infinita hominum multitudo cum nobiliſſimis viris in urbem novam conceſſit, & hoc ipſum incrementum, veterem urbem exitio dedit; cùm præſertim Conſtantinopolim imperii ſedem legiſſent Principes. Amabilis hic admodum *Beſoldi & Baronii in A.C.324. n.1018.* candor eſt, qui edictum illud donationis Conſtantinianæ non verentur rejicere. Adde *Freherum, ad Lupoldum de Bebenburg. c.13.* qui auctorem & architectum illius monumenti prodidit; ut hîc non ſit opus, prolixam diſputationem inſtituere contra Pontificios de hoc argumento. Dederunt manus veritati, & *vaniſſimi hominis character eſt, pugnare velle, cùm adverſarium non habeas.*

Hinc converſus ad bella externa Conſtantinus, multis præliis, ut inquit Beſoldus, *Gothos* atque *Sarmatas, Thraciam diripientes* vicit. Pugna memorabilis incidit in d. 12. Cal. Maj. A. V. 1084. Pacatiani & Hilariani Conſulatum; ut notavit *Idatius, & Euſeb. Chronicon n. 2347.* ubi videndus *Scaliger.* Statimque *ſubverſa Paganorum templa*, ut *Idem* notat *ex Theophane.* Meminit ejuſdem rei *Anonym. Valeſ. p.476.* Quinquennio ferè poſt, hoc eſt, a. d. 11. Calend. Jun.

A. V. 1089. Feliciano & Tiberiano Coſſ. in ipſo apparatu belli Perſici vivendi finem fecit; ut partim ex *Idatio* conſtat, partim ex *Juliani Orat. IV. p. 32.* qui ſatis ridiculus in illis: *Cùm Perſæ pacem, ſuperſtite adhuc patre tuo, neſcio quando violâſſent, ac perturbâſſent; ejus quidem ultionem effugerunt.* Quos perfidiæ accuſat, eos convincere non poteſt: Verùm cauſam non poterat aperire, nî perpetuâ infamiâ, ſimul involveret Conſtantinum. Hanc nos ex *Cedreno* novimus: *Metrodorus* quidam, Philoſophus, peregrinandi ſtudio ductus, ulteriorem Indiam penetravit, & cùm *ad Brachmanas* veniſſet, tùm ob frugalitatem & continentiam, tùm ob ſaluberrimum molarum aquariarum, & balneorum inventum, cum illis communicatum, in adytum templorum introire permiſſus eſt. Ibi multos lapillos, unionesque clàm ſurripuit, multas quoque *ingentis pretii gemmas, à Rege Indorum accepit, Conſtantino, nomine ipſius, offerendas.* Sed is Byzantium (Conſtantinopolim) reverſus, *offert* quidem illas, ſed *ſuo, non Regis nomine.* Et admiranti Principi, deſiderium an dolorem? facit immani mendacio, plura ſe terreſtri itinere amiſiſſe dicens; ſed *à Perſis cuncta eſſe direpta.* Conſtantinus impotens animi, re non ſatis ſecum expenſâ, ſtatim *ad Saporem Perſarum Regem dat aſperiores literas*, quibus lapides & cætera Regis Indorum munera ad ſe quam primùm mitti flagitabat; ſed *Sapor* acceptis literis, *injuriam ſilentii contumeliâ vindicat*, & reſpondet nihil. Hinc pax rupta, cum imperii Romani irreparabili damno. *Niſibis* ſtatim eo ipſo anno *à Perſis obſeſſa*, & *Meſopotamia*

vaſtata

vaſtata eſt. *Euſeb. n. 2354.* De hâc obſidione vide *Valeſ. ad Ammian. lib. XX. p. 181. & Petavium in Juliani Orat. I. p. 251.*

Mortuum autem Conſtantinum, antequam trigeſimum annum imperii compleret, vult *Scalig. ad Euſeb. n. 2353.* aliud ſcilicet initium conſtituens, quem ſequetur, qui volet. Nos à veteribus hîc non recedimus. *Anonymus Valeſii p. 476. Exc. Græca apud eundem Scal. p. 399. Eutrop. lib. X.* unum & triginta annos tribuit. *Euſeb. n. 2332.* annos 30, menſes 10. Cui reſpondet *Idatius in Chronico.* Nimirum, ut dixi, ſecundùm *Idatium in Chronico* initium ejus conſurgit exante d. 8. Cal. Aug. A. V. 1058. Hoc verum eſſe apparet ex *Tricennalibus,* quæ Romæ ritè celebratæ ſunt a. d. 8. Cal. Auguſt. Conſtantino VII. & Conſtantio Cæſare Coſſ. hoc eſt, A. V. 1078. Tricennalia enim quæ rejicit *Idatius* in A. V. 1087. a. d. Cal. Auguſt. conſtat eſſe anticipata, & trigeſimum ineuntem pro completo celebratum. Ab his tricennalibus cùm ad exitum ſint annus unus, & menſes decem ferè; hinc error *Chronici Alexandrini, Euſebii lib. IV. de Vitâ Conſtantini cap. 53. Epiphanii, Victoris, & Zonaræ* (quos *Baronius* citat *in A. C. 337. n. 2.*) manâſſe nobis videtur, quòd Conſtantino tribuunt annos XXX, I & menſes X. putârunt enim triginta annos completos fuiſſe, cùm *Tricennalia* celebrarentur. Quæ cùm ita ſint, non temerè recedamus ab initio, quod communi veterum conſenſu conſtitutum eſt; licet non eamus inficias, etiam *aliud initium* haberi poſſe tempus illud, quod *nuptiis cum Maximiana Fauſta* celebratis, *Imperatoris nomen* Conſtantinus accepit.

AD-

ADDITAMENTUM.

Legitur in *Politiâ Sanctorum Metrophanis &* *Alexandri, apud Photium, Cod. CCLVI.* Conſtantinum à patre moribundo imperii ſucceſſorem declaratum. Hoc *Scaliger* falſum eſſe pronunciat; *imò,* inquit, *τελευτήσαντα non τελευτῶντα invenit patrem* „ *ſuum.* Invitus recedo toties à tanto viro, fidem te- „ ſtor! Sed tamen *boni publici cauſâ* omninò id fa- „ ciendum eſt. Audio enim hîc Salmaſium: *Quò ma-* „ *jore nominis famâ ſuffarcinati ſunt, qui curas ſuas* „ *publicant; eò majore cum pernicie reipubl. literariæ* „ *peccant, ſi quando ipſis, ut peccent, uſu venerit.* Qui „ itaque eorum errata ex facetæ & fucatæ orationis „ involucris (quibus teguntur) evoluta & eruta, luci „ dederit; an malè de literis merebitur? Profectò ſi „ quis me judice certet, vel optimè. Conſtantinum ad moribundum patrem, veniſſe dicit *uterque Victor.* Alter ait: *Fortè iiſdem diebus* (quibus in Britanniam venit) *Conſtantium patrem, vitæ ultima agebant.* Alter: *Iiſdem diebus Conſtantii parentem fata ultima perurgebant.* Non aliter explicare poſſum *Zoſimum.* Quicquid autem ſcriptum eſt in illâ *Politiâ*, non tantùm ad moribundum veniſſe, ſed ab eodem ſucceſſorem quoque declaratum eſſe, egregiè confirmat *Julianus Orat. I.* pag. 13: *Igitur quemadmodum pater tuus* [Conſtantinus Magnus] *poſt parentis ſui* [Conſtantii Chlori] *obitum, non modò ipſius judicio, verùm etiam exercituum omnium ſuffragio imperium ſit adeptus; quid eſt, quod diligentiùs perſequamur?* Cum his ipſis conferendus *Euſeb. lib. I. de Vitâ Conſtantini, cap. 11. 12. &* *ſequen-*

ſequentibus, apud Baron. in A.C. 306. n. 10. 11. 12. 13. & 14, quem qui legerit, *Scaligeri confidentiam* ſatis mirari non poterit.

CÆSARES

NOTISSIMI TEMPORIBUS CONSTANTINI.

I. FL. JUL. CRISPUS [ita nominatur in numis] Conſtantini Magni Frater ex Minerviâ, *Cæſar* appellatus eſt Calendis Martiis A. V. 1069. Gallicano & Baſſo Coſſ. *Idatius in Faſtis, Euſeb. in Chronico*, Cæſarem factum indicat undecimo anno imperii Conſtantini, quod cum *Idatio* perpulchrè convenit. Sed *Baronius in A. C. 316. n. 3. Euſebium* oppugnat, quòd in eo legatur, octavo Conſtantini anno Criſpum & Conſtantium creatos Cæſares. Uſus eſt igitur editione corruptâ; quemadmodum etiam *Onuphrius*, qui Cæſarem facit Voluſiano II. & Anniano Coſſ. hoc eſt, A. V. 1066. Interfectus eſt, ut ex eodem *Idatio* edocui, Conſtantino VII. & Conſtantio Cæſare Coſſ. hoc eſt, A. V. 1078. Conſentit *Euſebius*, quem ſequitur *Onuphrius*. At *Baronius* nimis impudenter invadit *Euſebium in A. C. 324. num. 1.* quaſi falſò ſcripſerit, necatum eſſe viceſimo anno imperii Conſtantini. Ipſe initium ejus conjicit in Conſulatum ipſius Criſpi & Conſtantini junioris III, hoc eſt, in A. V. 1076. *Sublatus* eſt autem *veneno*. Vide *Scal. ad* dictum *Euſebii* locum.

II. VALERIUS LICINIANUS LICINIUS, P. Valerii Liciniani Licinii Imperatoris filius, eodem anno Cæſar factus & interfectus, quo Criſpus. Matrem habuit *Flaviam Valeriam Conſtantiam* (ut deſcribitur in *Goltzii* numo) ſororem Conſtantini Magni. *Commodæ indolis juvenem* vocat *Eutropius*, quem locum vel *Joh. Antiochenus*, vel *Antiochenum Conſtantinus Porphyrogenneta* non intellexit. Legitur enim in *Excerp. Peir.* p. 838; Κωνσταντῖνος τῆς ἀδελφῆς τὸν υἱὸν Κομμόδης διαφθείρει δόλῳ. Hoc eſt: *Conſtantinus ſororis Commodæ filium per fraudem interfecit.* Putavit τὸ *commodæ* nomen proprium eſſe; eoq; poſito, pro, *indolis* legit *dolo*. De cauſâ cædis videndus *Baron. in A. C. 324. n. 3.*

III. FL. CLAUDIUS CONSTANTINUS JUNIOR, Conſtantini Magni ex Fauſtâ Maximianâ filius. Errat *Zoſim. lib. II. p. 691.* qui ait, Conſtantinum, Conſtantium, & Conſtantem natos eſſe non ex Fauſtâ Maximiani Herculei filiâ, ſed ex aliâ; quam inſimulatam adulterii morte affecit. Vide *Petav. in Orat. I. Juliani p. 244.* Natus eſt *Arelatæ*, ut ſcribit *Zoſimus*; & factus *Cæſar* adhuc *infantulus* unà cum Criſpo & Licinio, *Zoſim. p. 659.* [ubi tamen corruptè Κωνστάνλιος dicitur, pro Κωνσταντῖνος] *Aurelius Victor, Idatius & Euſebius.*

IV. FLAVIUS JULIUS CONSTANTIUS, Conſtantini M. ex Fauſtâ filius, natus in *Illyrico*, ut ſcribit *Julianus in Orat. I. p. 9.* Cæſar appellatur ante diem 5. Idus Novembr. A. V. 1016. Criſpo & Conſtantino juniore III. Coſſ. ut ſcribit *Idatius.* Adde

Adde *Euſebium n. 2339.* Scaliger XX. anno imperii Conſtantini vult Cæſarem factum; cui propter *Idatium* non accedimus.

V. FL. JULIUS CONSTANS Conſtantini M. ex Fauſtâ filius, Cæſar appellatus eſt a. d. 8. Calend. Jan. A. V. 1085. Delmatio & Xenophilo Coſſ. juxta *Idatium*. Grave peccatum eſt in *Euſebio n. 2349.* ubi legitur: *Conſtantius F. Conſtantini provehitur ad regnum.* Neque enim, ſi de Conſtantio locum ita capere velimus, uti verba volunt, Imperatorem factum hoc numero, vivo adhuc patre, id ullo modo probari poteſt. *Conſtantem* Cæſarem factum circa hæc tempora reperit: Sed cùm corruptus eſſet auctor, quem legebat; hinc error iſte manavit, de *Conſtantio* Imperatore. *Onuphrius* lapſum odoratus eſt, ſed annum tamen, quo Conſtans Cæſar factus, non invenit: Suſpicatus eſt de A. V. 1086. Optato & Paulino Coſſ.

VI. FL. DELMATIUS, Delmatii Cenſoris, ſive Hannibaliani filius, Conſtantii Chlori & Flaviæ Maximianæ Theodoræ nepos, Cæſar appellatus eſt a. d. 14. Cal. Octobr. 1087. Conſtantio & Albino Coſſ. ut ſcribit *Idatius*. *Baronius in A. C. 336. n. 25.* nimis infeliciter & inconſtanter diſſerit de hoc ipſo: Primùm dubitabat, *num Cæſar unquam appellatus* fuerit? Hoc non ſolùm dicit *Idatius*, ſed & *Victor, & Eutropius, & Auſonius de Profeſſoribus Burdegalenſibus, carm. 18. de Exuperio; & Anonymus Valeſii p. 476. & Auctor Chronici Alexandrini*; & ipſi numi, in quibus legitur, FL. DELMATIUS. NOB. CÆS. Laudat *Occo* & *Pignorius epiſtolicarum ſymbolarum 37.*

Senſit

Senſit *Baronius* ſe multitudine premi, & mox aliud comminiſcitur, in *Reſcriptum Conſtantini*, quo Delmatio Cenſori demandata eſt, accuſationum cognitio in S. Athanaſium objectarum, irrepſiſſe mendum; & loco *Cæſaris Cenſorem* inſcriptum legi. Sed fallitur: Reſcripſit Princeps Delmatio *Cenſori*, Delmatii *Cæſaris* patri. Quomodo Delmatio Cæſari potuit, qui tempore illo nondum Cæſaream dignitatem acceperat? Cùm enim Athanaſius cum Euſebianorum calumniis conflictaretur, nondum Synodus habita fuit in urbe Tyro: At Synodum habitam hoc ipſo anno, quo Conſulatum inierunt Conſtantius & Albinus, & Delmatius Cæſar appellatus; inter omnes conſtat. Deinde quid Delmatium Cenſorium abominatur, tanquam indictum aliis? Auctor Chronici Alexandrini: *Delmatium fratris ſui, Delmatii Cenſoris, filium Cæſarem creavit.* Sed & ipſe Athanaſius *Cenſorem* vocat in *Apologiâ ad Conſtantinum.* Adeundus *Valeſ. ad Ammianum, p. 2.*

REX.

QUodam tempore, quo Delmatius Cæſar dictus eſt, fratrem ejus FL. CLAUDIUM HANNIBALIANUM *Ponti, Cappadociæ, & Armeniæ minoris Regem* Conſtantinus fecit. *Auctor Chronici Alexandrini. Anonymus Valeſii. Numus Sirmondi apud eundem.*

TYRAN-

TYRANNUS.

CALOCÆRUS anno ante mortem Conſtantini res novas in *Cypro* molitus, & ſtatim oppreſſus eſt, *Euſebius n. 2351.* Vide ibidem *Scaligerum.*

CONSTANTINUS, CONSTANTIUS, ET CONSTANS IMPPP.

Imperii diviſio inter filios Conſtantini M. Conſtantini junioris interitus, diverſo affectu *narratus*. Beſoldi error *in tempore, quo Conſtans cæſus. Tyranni & Cæſares, qui ſub Conſtantio fuerunt, eorumq́ exitus.*

MOrtuo Conſtantino M. *tres* ejus filii *Auguſti* appellati ſunt, anno dicto 5. Idus Septembr. Feliciano & Titiano Coſſ. ut ait *Idatius*. Inter hos imperium ita diviſum eſt, ut CONSTANTINUS omnia *trans Alpes* obtineret; CONSTANTIUS à freto Propontidis *Aſiam atque Orientem*; CONSTANS *Illyricum, Italiam, Africam, Dalmatiam, Thraciam, Macedoniam & Achajam*; ut ſcribit *Victor*. Sed Thraciam Conſtantio tribuit *Zonaras*. Statim autem ſublati ſunt *Fl. Delmatius*, & *Claudius Hannibalianus*, Delmatii frater. *Zoſim. lib. II. Eutrop. lib. XII. Euſeb. n. 2354.* Necatus eſt etiam *Optatus Patricius. Zoſimus dicto libro*; ut & *Ablabius*, quem Eunapius in *Ædeſio* relictum à Conſtantino conſortem filiis ſuis, & juſſu Conſtantii *fruſtulatim conciſum*,

conciſum, auctor eſt. Vide plura apud *Baronium in A.C.337.n.60.* Item apud *Scaligerum ad dictum numerum Euſebii.*

Sublatis æmulis & inimicis, Conſtantinus *de diviſione* imperii velut *iniqua* conqueſtus, miſſis *ad Conſtantem* legatis petiit, ut aut parte aliquâ imperii ſibi cederet, *Africâ* ſcilicet aut *Italiâ*; vel ſanè ut diviſio nova inſtitueretur. Ipſe etiam cum maximo comitatu Italiam petiit, de eâ re cum fratre coràm acturus: Sed *Conſtans*, peſſimorum hominum conſilio, qui ipſum ad bellum concitabant, militares copias *adverſus Conſtantinum* miſit; à quibus Conſtantinus interceptus, & cæſus eſt; ut è *Zonara, Cedreno, Victore & auctore Monodiæ in Conſtantini junioris obitum* refert *Valeſius ad Ammian. lib. XXI. p. 193. 194.* Sed ex *Oroſio* & *Socrate* Conſtantini cauſam valdè premit *Beſoldus*, quod ipſum ante illum fecit *Baronius in A. C. 341. n. 43.* Incidit autem hæc cædes in A. V. 1092. Acyndini & Proculi Conſulatum; quod *Socrates, Idatius & Euſebius* conſenſu tradunt.

Sic *Gallias* adeptus *Conſtans*, cum Francis bellum geſſit: Victi tamen ad ultimum pacem petere coacti ſunt, Conſtantio III. & Conſtante II. Coſſ. hoc eſt, A. V. 1094. teſte *Idatio.* Adde *Scaligerum ad Euſebium n. 2357.* Exinde in *Britanniam* inſulam trajecit, ut barbaros coërceret, qui inſulam infeſtabant. *Valeſ. ad Ammian. lib. XX. p. 174.* Beſoldus noſter Conſtantem *non multum ultra biennium* Conſtantino fratri ſupervixiſſe aſſerit; quod quis illum docuerit, me quidem latet. Occiſum perfidiâ Ma-

gnentii,

gnentii, Sergio & Nigriniano Coſſ. hoc eſt, A. V. 1102. integro decennio poſt fratris mortem ſcribunt *Idatius*, *Euſebius*, *Socrates*. E recentioribus conſulendi *Baronius in A. C. 350. n. 1. Scal. ad Euſeb. n. 2366. Valeſ. ad Amm. lib. XV. p. 80.*

Turbat *Julianus Orat. I. p. 47.* Conſtantem interfectum *ſexto* circiter *anno poſt prælium nocturnum ad Singara*; cujus [ut id obiter addam] inter Perſas & Conſtantium depugnati tam ambiguus eventus fuit, ut tàm Perſæ, quàm Romani ſe pro victoribus ferrent. Pugna illa commiſſa Philippo & Sallea Coſſ. A. V. 1099, ut eſt apud *Idatium in Faſtis*. Sed aſſentior *Valeſio ad Ammian. lib. XVIII. p. 156.* qui pro ἕκτον legit τρίτον apud *Julianum*.

Sic verò imperium invaſit MAGNENTIUS, Auguſtusq; appellatus eſt, anno dicto 15. Calend. Febr. ut ſcribit *Idatius*, anno, quo Conſtans interiit. Vix igitur habet locum, quòd ait *Baronius*, menſe Martio ſublatum Conſtantem. Idem *Magnentius* fratres ſuos DECENTIUM & DESIDERIUM *Cæſares* fecit. Meminerunt numi apud *Occonem* & *Baronium* in dicto anno.

Eodem anno Calendis Majis, ut ſcribit *Idatius*, apud *Sirmium*, Auguſtum ſe dixit VETRANIO; FLAVIUS VETRANIO dicitur numis: Sed Veteranionis nomen rectius eſſe, pertendit *Valeſ. ad Amm. lib. XV. p. 61. 62. & ad Excerpta Peir. p. 119.* Athanaſio corruptiùs dicitur Βρετανίων, ut notat *Scal. ad Euſ. n. 2366.* Fuit *Vetranio* grandævus jam vir, probus, & moris antiqui, & ob id cunctis amabilis. Adeundus

eundus *Johannes Antiochenus in Excerptis Peir: pag. 841.*

Eodem anno a. d. 3. Non. Jun. Imperator Romæ creatus eſt NEPOTIANUS, ut eſt apud eundem *Idatium*. FLAVIUM POPILIUM NEPOTIANUM deſcribunt numiſmata. Fuit *Conſtantii Chlori* ex *Eutropiâ* filia nepos; & hinc *dignior* ſibi videbatur *Magnentio*. Multos è Magnentianis occidit, cum ipſo Præfecto urbis Cœlio Probino, Petronii Probiani filio, & Sexti Petronii Probi patre: Domus, fora, viæ templaq; cadaveribus complebantur. Sed mox miſſi à Magnentio duces, *Heraclidâ* Senatore prodente, factionem ejus oppreſſere: *Caput* cæſi *pilo per urbem circumlatum* eſt. *Euſebius dicto numero*. Hinc graviſſimæ proſcriptiones & cædes ſubſecutæ: Nam & *Eutropia*, Nepotiani mater, & *Sperantius*, & *Abuterius*, aliiq; plures capite pœnas dederunt; ut ſcribit *Athanaſius in epiſtolâ apologeticâ ad Conſtantium.*

Sequente anno a. d. 4. Cal. Octobr. *ad Murſam Pannoniæ* gravi prælio *victus* eſt *Magnentius*, ut habet idem *Idatius*. Hoc bello Conſtantius exitioſum planè conſilium reipublicæ arripuit, ſcribens ad *Germanos*, ut Romanum limitem irrumperent: Sic enim ſperabat Magnentii vires diſtrahere ſe poſſe. Non erant invitandi, qui ad hos ludos ultrò venire ſolebant. Irruptione factâ, *quadraginta urbes Romanas ad Rhenum ſitas concremârunt*; ut eſt apud *Zoſim. Socrat. Sozomenum, Libanium in Oratione funebri*. Meminit ejus vaſtationis *Julianus in epiſtolâ ad Athenienſes.*

Sed

Sed nec prælium ad Murſam bellum ſuſtulerat; nam Magnentius reliquias attriti exercitus in *Italiam* reduxit; ibi alienatos omnium animos expertus, deſperatis rebus ſuis ſuperavit *Alpes*; & cùm in *Galliam* perveniſſet, prælio iterum commiſſo ad Μιλτσοπλάκον, ut *Socrates*, ſive ad Μουλισόπλακον, ut *Sozomenus*, ſive ad Μυρσισόπλακον, ut *Chronicum Alexandrinum* vocat; & re infeliciter geſtâ *Lugdunum* ſe recepit, ac matre & charis *ſuis interfectis*, poſtremò *ſibi manus intulit*, a. d. 3. Idus Auguſt. Conſtantio VI. & Gallo II. Coſſ. hoc eſt, A. V. 1105. *Decentius* autem, frater Magnentii; *laqueo* gulam fregit eodem anno, a. d. 15. Cal. Sept. ut notavit *Idatius*. Hoc bello ingentes imperii Romani vires conſumptæ ſunt, univerſis alioquin exterorum bellis pares; ut *Eutropius* & *Victor* conqueruntur.

Et hæc totius hujus belli veriſſima narratio eſt: At Baronius miſerè labitur in A. C. 353, qui prælium ad *Murſam Pannoniæ* commiſſum ſtatuit, Conſtantio VI. Gallo II. Coſſ. ultimum ſcilicet confundens cum priore. Ibidem anxiè quærit, quo tempore *crucis ſignum* conſpectum ſit in cœlo? putat iiſdem Conſulibus. Nos & annum verum & diem ex *Idatio* diſcimus: Poſt Conſulatum Sergii & Nigriniani [hoc eſt A. C. 1103.] apparuit *in Oriente* ſignum Salvatoris die 3. Cal. Febr. *Cyrillus* tamen aliter, qui viſum ait *ſuper montem Golgatham, & usque ad montem Olivarum* extenſum, ſanctis *diebus* ſanctæ *Pentecoſtes*.

Nunc de *Vetranionis* fortunâ. Victo ad Mur-

ſam Magnentio, non diu pòſt, hoc eſt, a. d. 8. Cal. Jan. eodem anno 1103. Conſtantius Vetranionem regium habitum exuere juſſit; ut *Idatius* auctor eſt. Factum id apud *Naiſſum* vult *Euſebius n. 2366.* Meminit ejusdem abdicationis *Themiſtius Orat. XIV.*

Cùm autem Conſtantius ſecum expenderet pericula imperii Romani, de *Cæſare* creando conſilium cœpit. Atque ita hoc ipſo anno, ut notat *Idatius,* Idibus Martiis FL. CONSTANTIUM GALLUM, Julii Conſtantii Conſulis A. V. 1097. & Gallæ filium, Conſtantii Chlori nepotem *Cæſarem* dixit, teſtibus *Idatio* & *Chronico Alexandrino.* Sed is quadriennio ferè pòſt, Conſtantio VII, ſe III. Coſſ. hoc eſt, A. V. 1106. in *Iſtriâ* pr[illegible]oppidum *Polam*, capite punitus eſt; ut vult *Ammianus lib. XIV. p. 29.* juxta *Flanonam* inſulam, ut alii; vide *Scal. ad Euſeb. num. 2370. Lindenbrogium & Valeſium ad dictum locum Ammiani.*

Si *Ammiano, Eutropio, Aurelio Victori, Socrati, Cyro monacho* credimus, homo crudelis, vecors, perfidus, & rebellis fuit. Sed *Julianus*, Galli frater, omnibus modis hanc infamiam imminuere ſatagit, & culpam in ipſum Conſtantium derivat: *Si quid in ejus indole,* inquit, *ac moribus agreſte inerat, atq; aſperum; id ex montana illa educatione ac ruſtica coaluerat. Quamobrem ejus immanitatis culpam omnem is mihi meritò ſuſtinere videtur, qui ad eam nos educationem per vim & tyrannicè damnatos eſſe voluit.*

Altero anno poſt interfectum Gallum, hoc eſt, Arbetione & Lolliano Coſſ. A. V. 1107. FL. SILVANUS

NUS à Conſtantio defecit, ſeque Imperatorem dixit. Numus apud *Goltzium*: D. N. FL. SILVANUS P. F. AUG. Fuit *Boniti* Franci filius. *Ammianus Marcellinus lib. XV. p. 44.* Sed non diu pôſt miſſus *Urſicinus* Silvanum, corruptis pecuniâ ipſius militibus, interemit. *Zonaras dicto loco.* Eodem anno 1107. FL. CLAUDIUS JULIANUS, Galli Cæſaris frater, filius Julii Conſtantii, ſed ex *Baſilina* natus [ea *filia* fuit *Juliani* Præfecti prætorio, & *Juliani* Præfecti Ægypti & Comitis Orientis *ſoror*] diu ſuſpectus Conſtantio, qui præter fratrem, ejusdem patruum & ſex conſobrinos ſuſtulerat; tandem ab eodem, precibus *Euſebiæ* Auguſtæ permoto, *Cæſar* appellatur a. d. 8. Idus Nov. ut ſcribunt *Idatius in Faſtis, & Socrates lib. II. c. 27.* Malè igitur in *Chronico Alexandrino* legitur a. d. 8. Idus Octobr.

Miſſus à Conſtantio in *Gallias*, cum *Germanis*, qui Galliæ magnam partem occupaverant, bellum gerit; *Agrippinam* & alias urbes XL. recipit; Gallias reficit, & ter Rhenum trajicit. Lege ipſum in *epiſtolâ ad S. P. Q. Athenienſem* ſcripta. Cumprimis victoria illuſtriſſima fuit, quam reportavit ad *Argentoratum*. *Zoſimus* non dubitat æquare illi, quam de Dario Alexander Magnus obtinuit; aitq; cæſa eſſe ſexaginta millia Alamannorum: Sed *Ammianus* clementior, non niſi 6000. ſtragem edere voluit; totidem tamen & vi fluminis abſumpta, adjicit. Imò ante pugnam non niſi 35000. Germanorum numerata ſunt, ut idem *Ammianus* teſtatur; vel non niſi 30000, ut *Libanius*, qui tamen Orator eſt. Contigit hæc Ala-

mannorum clades Conſtantio IX, & Juliano II. Coſſ. hoc eſt, A. V. 1109, A. C. 357.

Sequente anno, Datiano & Cæreale Coſſ. Conſtantius ob devictos *Sarmatas* Sarmaticus appellatus eſt. Vide *Ammianum lib. XVII. & ibid. Valeſium p. 148.* Imò & de Sarmatis triumphum egit, quem irridet *Julianus in epiſtolâ ad Athenienſes p. 513.*

Non admodum diu poſt hæc tempora Julianus ab exercitu Imperator appellatus; & bellum civile novum ob id exortum fuiſſet, niſi Conſtantius *Mopſucrenis* inter Ciliciam & Cappadociam fato cōceſſiſſet. *Idatius*, cum quo faciunt *Socrates, Cedrenus* & *Chronicon Alexandrinum*, mortuum ſcribunt a. d. 3. Non. Nov. Tauro & Florentio Coſſ. hoc eſt, A. V. 1113. Quot annos regnârit, exactè diſcutit *Valeſius ad Ammian. lib. XXI. p. 202.*

JULIANUS.

Chriſtianorum *quorundam perverſus* affectus in Julianum. *Hujus laudabilia quædam, & contra, temeritas, levitas, diritas in Chriſtianos. Impius conatus in inſtaurando* templo Hieroſolymitano. *Ingratitudo in Conſtantium. Vecors ambitio & infelix exitus.*

ITa Julianus rerum ſolus potitus eſt. Hunc virum quidam noſtro ſeculo docti viri, non ſine vituperatione ſanctiſſimorum Patrum, ac Chriſtiani nominis injuriâ, magnis laudibus extulerunt; ſed iis rectè obviam

obviam iit *Petavius in præfatione in Opera Juliani.* Quis enim ſine ſtomacho audiat, veteres in Eccleſia Dei claros atque illuſtres Principes, magnos ſanè & pænè in cœlo poſitos, quòd illis infenſi ſunt, trahere ad inferos; & rurſus alios, qui vix mediocres ſint, ſuſpicere, & lapidem è ſepulchro venerari pro Deo? Julianum eſſe, quem naturâ omnibus ornatum rebus excellere voluerit; Julianum majoris & altioris ſpiritus virum, quàm ut cum cæterâ Imperatorum plebe cogi in ordinem poſſet; Julianum, quem non vitæ, ſed gloriæ ſpatio metiri deceat; non civibus tantùm, ſed omnium mortalium ſeculis venerandum. Pudeat Chriſtianum hominem tàm bruti affectus! Multa Gentiles de hoc mentiuntur, ut *Zoſimus ſuprà*; & nos illis tam inconſideratè accedimus? majorem fidem adhibebo uni *Nazianzeno*, uni *Cyrillo*; quàm mille *Zoſimis, Libaniis, Eunapiis* & *Eutropiis.*

Hanc illi non detrahemus laudem, fuiſſe magno & capaci diſciplinarum omnium ingenio præditum, quod elegantiſſima ejus monumenta hodieq; teſtantur. Juris quoque Romani cognitionem in eo non vulgarem fuiſſe, declarant Reſcripta in libris Juris. Sed nec illud parùm æſtimabo, quòd in victu, ſomno & Venere fuerit temperatiſſimus: Militaris prudentiæ laudem ambiguam faciunt non pauca temerè facta. Vide *Ammianum lib. XXI. p. 267.* Sed maximè *lib. XXIV. p. 281.* ubi temerario admodum conſilio naves exuſtas refert, omnium ferè malorum, quæ ſecuta ſunt, cauſam.

Et hac in parte ſit verè magnus, tamen apoſtaſias

crimen nobis eum exoſiſſimum reddit meritò. Pleni contumeliis, in Salvatorem, in Chriſtianos libri ejus. Ait *Gregorius Nazianzenus*, ſe, cùm *Athenis* adoleſcentem vidiſſet, obſervâſſe *mirabilem ingenii inconſtantiam, oculis fuiſſe errantibus & circumductis, pedibus inſtabilibus, riſus immoderati, percontationes & reſponſiones ineptas nec conſtantes.* Quàm nullam injuriam fecerit, *Ammianus*, licet paganus & multus in Juliani laudibus, ſatis oſtendit *lib. XXV. p. 294.* deſcribens hominem *levis ingenii, linguæ fuſioris, & admodum rarò ſilentis.* Addit *præſagiorum ſciſcitationi nimiùm deditum, ſuperſtitioſum magis, quàm ſacrorum legitimum obſervatorem; inclementem denique in Chriſtianos, ni tranſiſſent ad numinum cultum.* Quàm verè locutus ſit hic Scriptor, ipſius *Juliani epiſtolæ* teſtantur; in quibus duo Edicta, quorum alterum ſcholis interdicit, alterum bonis & fortunis. In eo ſimul *improbiſſimè cavillatus, ſe id agere, quò faciliùs in regnum cœlorum veniant.* Non tantùm crudelitas eſt ferire gladio, ſed etiam vexare acerbiſſimis Edictis, & rapinâ facultatum.

Idem *Ammianus* refert & damnat, quòd *templum Hieroſolymitanum immodicis ſumptibus inſtaurare* conatus ſit; & confirmat illud ipſum, quod niſi Pagani dicerent, fortaſſè non crederent *Julianolatræ* noſtri: *Metuendos flammarum globos, propè fundamenta crebris aſſultibus erumpentes, feciſſe locum, exuſtis aliquoties operantibus, inacceſſum.* Vide illum *lib. XXIII. in princ.* & quos ibi citant *Valeſius* & *Lindenbrogius.* Miraberis eandem cladem *confiteri* potuiſſe

Julia-

Julianum in fragmento epiſtolæ, & nihilominus voluiſſe κατὰ τῶν ἥλων λακτίζειν; ſive, ut ipſe Salvator noſter loquitur, *Act. IX. ℣. 5.* πρὸς κέντρα λακτίζειν, id eſt, *adverſus clavos calcitrare.*

Quid dicam de immani *perfidiæ* crimine, quo *Conſtantium*, auctorem dignitatis ſuæ, ac *patruelem*, imperio exutum ivit? quid de *ſtultitiâ*, quam refert *Socrates*; Pythagoreâ quadam μεμψυχώσει perſuaſum, *Alexandrum ſeſe crediſſe?* Cùm *ſimilem victoriam de Perſis ſperaret*, bellum ſuſcepit; ſed merè & cum totius imperii Romani detrimento, ſuoq; proprio exitio a. d. 6. Cal. Jul. Se IV. & Salluſtio Coſſ. hoc eſt, A. V. 1115. in prælio vulneratus ab incerto periit.

Subitam *equeſtrem haſtam*, cute brachii ejus præſtrictâ, & coſtis perfoſſis, hæſiſſe *in imâ jecoris fibrâ*, ſcribit *Ammianus lib. XXV. p. 289. Eutropius* (qui expeditioni interfuit) & *Ruffus* cum *Victore*, ab *hoſtium equite*, & quidem *fugiente, conto percuſſum* eſſe memorat. Alii aliter. Vide *Photium in Excerptis Athanaſii*, & è recentioribus *Baronium in A.C. 363. num. 54. 55.*

JOVIANUS.

Iovianus adverſus calumnias veterum & recentiorum defenditur. In Iulianum culpa cladium *derivatur. Neceſſitatis patrocinium. A* Caſaubono *diſſenſus. Iovianus vir fortis. Ejuſdem mors.*

CUm igitur Julianus dignum apoſtaſiâ, magiâ, levitate & ambitione exitum inveniſſet, FL. JOVIANUS (*Domeſticorum Comes*, ut prodit *Zoſimus*; Varroniani Comitis filius, ut ſcribunt *Ammianus* & *Zonaras*) a. d. 5. Cal. Jul. A. V. 1115. Imperator ſalutatus eſt.

Cùm exercitus Romanus eò Juliani temeritate deductus eſſet, ut interclusus à *Perſis* internecione deleri poſſet; optimus & chriſtianiſſimus iſte Princeps *coactus* eſt, lugubres pro fœdere ineundo *conditiones oblatas ab hoſte ſuſcipere*. Nam *quinque Transtigridanas regiones cum caſtellis XV. & Niſibi & Singarâ & caſtris Maurorum* in Perſarum tranſire jura permiſit. *Neceſſariam pacem* vocat *Eutropius*; qui interfuit. Idem ſcribit *Euſebius n. 2380.* Idem *Greg. Nazianzenus Orat. II. in Julian.* Idem *Chryſoſtomus adverſus Gentiles*. Pericula totius exercitus agnovit ipſe *Zoſimus lib. III.* pag. 730: *Imminuiſſe Perſas cum magnâ hominum multitudine, qua eundum eſſet: Nullo non in periculo Romanos verſatos, nec à malis circumſtantibus tantùm, ſed etiam commeatus inopiâ preſſos.*

Quænam igitur iſta, malum! libido eſt, inceſſendi ſanctiſſimum Principem, ob Juliani temeritatem? En *Leunclavii* judicium in *apologia* pro Zoſimo: *Quicquid vel terroris illatum, vel acceptum damni, Joviano ſucceſſori debetur, noſtræ religionis homini; qui perpetuâ cum Romani nominis ignominiâ, propè ſupplex jam hoſti victo factus eſt; & quos ultrò pacem poſcentes finium ſuorum parte multatos oportuit, ceſſione complurium provinciarum pacavit.* Hæc ille. Cui

Cui adde ignominioſiſſimam narrationem *Joh. Antiocheni in Exc. Peir. p. 845.*

Quamvis omnia danda ſint religioni, tamen cederem his judiciis, ſi ex ipſis Gentilibus de ſolido fundamento illorum nobis conſtaret. Nonne enim Julianus temeritate ſuâ res Romanas afflixit, navibus incenſis? lege *Ammianum lib. XXIV. ſub finem.* Nonne jam omnia deplorata, cùm Jovianus crearetur Princeps? hoſtes ex omni latere circumfuſos ait *Ammianus lib. XXIV. p. 295.*

Quod ſi etiam *neceſſaria* pax fuit, ut ait *Eutropius*; quàm pulchrum facinus eſt, Chriſtianum Principem contumeliis afficere, qui neceſſitati cedit; & à culpâ liberaret paganum, qui eò neceſſitatis & Jovianum & omnes copias deduxit? Ἀνάγκη καὶ Θεῶν λέγεται κρείττων ὑπάρχειν. Hoc eſt: *Deos ipſos neceſſitati cedere ajunt*, ut eſt apud *Nicol. Damaſcenum in Exc. Peir. p. 434.* Suetonii Paulini magni ducis factum commendat *Tacitus lib. XIV. Ann. c. 33.* quòd *oppidi cujusdam damno ſervare univerſa voluerit; neque fletu aut lachrymis*, adjicit ibidem, *auxilium ejus orantium flexus eſt; quin daret profectionis ſignum.*

Hìc omnes Tragicorum figuras advocant in deſcribenda deditionis *Niſibis* & exilio civium, ut Joviani fama quàm maximè deprimatur. An tot millia fame & ferro perire ſineret? quid ergò commendamus dictum illud Luculli: *Præſtare unum civem ex hoſtium manibus eripere, quàm univerſas hoſtium copias delere?* quod poſteà ſymboli loco uſurpavit *Antoninus Pius.* Quid? ſi exercitus hic deletus foret,

de poſſeſſione provinciarum Tranſtigridanarum non fuiſſet actum? ſed ignominioſa pax fuit! non dubito; nec effugium illud admittam, quod *Caſaubonus ad Spartianum* quæſivit in exemplo *Hadriani*; qui *omnia trans Euphratem ac Tigrim Parthis* reliquit: Et *Diocletiani*, cùm *imperii fines* à meridie *ſupra Ægyptum* arctaret. Audiamus enim *Valeſium ad Ammianum lib. XXV. p. 309.* Illorum & Joviani longè diſſimilem fuiſſe cauſam: *Illi enim ultrò, non victi, ſed quia provincias ſine magno ſumptu & incommodo tueri non poterant, citra fœdus ullum dimiſerunt: At Jovianus ignominioſâ pactione, quaſi victus, redemptionis loco provincias pop. Romani Perſis tradidit.* Ignominioſa dico: Sed nonne alia quoque ignominioſa neceſſitas fecit excuſabilia? Vide *Valer. lib. VII. c. 6. Gruterum notis ad Livii lib. XXXIX. c. 35.*

Sed hîc rurſus urgent ignaviam, torporem & imperitiam Joviani: Miror, Romanos exercitus, cùm in ſummis anguſtiis conſtituti, Imperatorem circumſpicerent dignum, qui Juliano ſuccederet, qui rebus deploratis virtute conſuleret; in ſententias illorum concedere potuiſſe, qui Jovianum Principem vellent! ſed imperitum & ignavum faciunt gentiles, & gentilium compilator *Joh. Antiochenus.* Æquum eſt, ut gentiles audiamus contra Chriſtianum: Hoſtis contra hoſtem idoneus teſtis eſt, ſcilicet. Nos iterum *Gregorio Nazianzeno* credimus, cujus in ſuprà citato loco verba ſunt: *In Joviano magnitudo animi & alacritas deſiderari non potuit; ſed milites manibus & animis & ſpe fracti, debilitatiq; fame, nec manus conſerere poterant,*

rant, nec progredi. Quòd ſi Perſæ conditionibus ſpretis vim adhibere voluiſſent, nec ſignifer quidem [*ut dici ſolet*] *exercitui ſuperfuiſſet.* Hæc ſanctiſſimus ille Pater: Satis de pace, cui Jovianus non diu ſuperfuit.

Mortuus eſt enim *Dadaſtanæ* a. d. 3. Cal. Mart. teſte *Eutropio*; ſeu 17. menſis Febr. ut *Socrates* dicit A. V. 1116. Vide *Valeſ. ad Amm. lib. XXVI. p. 312. 313.*

VALENTINIANUS, VALENS, ET GRATIANUS.

Trium horum initium & finis, cum brevi commemoratione virtutum & vitiorum. Prodigioſa quædam *ſub Valentiniano.*

FL. VALENTINIANUS, originis *Pannonicæ* fuit, Gratiani majoris, cognomento à pueritia prima *Funarii*, hominis *ignobilis* filius; ut eſt apud *Ammianum lib. XXX. p. 428.* Quamvis ipſe crepet familiam ſuam apud *eundem lib. XXVII. p. 343.* Gratianum filium dicens *familiæ ſuæ laudibus majorumq; factis præſtantibus concinentem.*

Sed fortaſſis hic indicat *nobilitatem* Gratiani *maternam?* duas uxores Valentinianus ſeniŏr habuit, è quibus *Flavia Juſtina* [ita deſcribitur in numis] ſorór Neracii Cærealis, & Præfecti urbis indubiè nobiliſſima eſt. Sed ex hâc Gratianus non fuit natus. Habuit enim matrem *Valeriam Severam*, priorem Valentiniani conjugem: Hanc & ipſam ſplendidis majoribus oriundam crediderim.

Porrò communibus militum ſuffragiis apud *Nicæam*

Nicaam Imperator creatus eſt eo anno, quo Jovianus deceſſit a. d. 5. Cal. Mart. qui fratrem ſuum FL. VALENTEM altero menſe pòſt, hoc eſt, a. d. 5. Cal. April. imperii participem fecit. Triennio pòſt, Lupicino & Jovino Coſſ. hoc eſt, A. V. 1119. FL. GRATIANUS haud dum novennis [natus eſt enim a. d. 4. Cal. Maj. A. V. 1111. Euſebio & Hypatio Coſſ.] a. d. 9. Cal. Sept. à patre Valentiniano *Auguſtus* appellatus eſt. Vide *Idatium*. Trium horum Imperatorum meminit *Inſcr. V. p. 160.*

Ex his FL. VALENTINIANUS ſenior, anno ætatis 55. vel 54. [variant enim Scriptores] *vomitu ſanguinis* mortuus eſt a. d. 15. Cal. Dec. poſt Conſulatũ Gratiani III, & Equitii, hoc eſt, A. V. 1127. *Valeſ. ad Amm. lib. XXX. p. 408. 409.* Fuit *orthodoxus*, vim tamen nulli faciebat, qui diſſentiret in religione: Rem militarem callebat exactiſſimè, crudelis tamen aliquando & inexecrabilis. *Joh. Antioch. in Exc. Peir. p. 847.* Figmentum de *Valentiniani digamiâ* è Baronio Beſoldus rejicit; confutantur etiam leges apud dictum *Valeſium ad Amm. lib. XXX. p. 413.*

Sub ea multa horrenda contigerunt. Nam quaſi Deus rurſus diluvio perditurus eſſet genus humanum, *maria egreſſa* terminos ſuos, infinitam hominum multitudinem, & totas nationes oppreſſerunt a. d. 12. Cal. Aug. Valentiniano & Valente Coſſ. hoc eſt, A. V. 1117. *Idatius*, & è recentioribus *Scaliger ad Euſeb. n. 2382.* Biennio pòſt A. V. 1119. a. d. 4. Non. Jul. miræ magnitudinis *grando* decidens, *Conſtantinopoli* multos homines occidit. *Euſeb. n. 2383.* Grandinem *in*

modum

modum petrarum dicit *Idatius.* Præter hos & *Socratem*, addo *Chronicon Alexandrinum.* Anno ſequente, qui fuit ab V. C. 1120. *terræ motu Nicæa* collapſa eſt, a. d. 5. Id. Octobr. *Iidem.* Secuta A. V. 1122. *magna fames Phrygiam* afflixit. *Idatius.*

FL. VALENS infeliciter, & cum multarum legionum detrimento a. d. 5. Id. Aug. Se VII. Valentiniano juniore II. Coſſ. A. V. 1130. *contra Gothos* pugnans occubuit; fugere nolens, cùm poſſet, ut ſcribit *Libanius*: At cæteri ferè omnes, ad vile tugurium delatum, & ibi *à barbaris* ignorantibus *crematum* eſſe, conſentiunt. *Arrianâ* infectus luee, graviſſimam contra orthodoxos perſecutionem excitaverat. Multi exilio, alii morte puniti, *Joh. Antiochenus dicto loco.*

FL. GRATIANUS, inſidiis Maximi, apud *Lugdunum Galliarum*, a. d. 8. Cal. Septembr. A. V. 1136, occiſus eſt. *Ambroſius in Oratione de obitu Valentiniani* laudat fidelem in domino, pium atque manſuetum, purum corde, caſtum corpore; qui præter conjugium neſcierit fœminæ alterius conſuetudinem. *Adde Ammian. lib. XXXI. p. 455.* Sed has virtutes decolorabat tenuis ac propè nulla reipublicæ cura, cùm diu noctuq; nihil ageret aliud, quàm ut *ſpiculis meditaretur; ſummæq; voluptatis, divinæq; artis crederet, ferire deſtinata*; ut eſt apud *Victorem.*

TYRANNI.

I. PROCOPIUS è ſummi generis proſapiâ, *Ammianus lib. XXVI. p. 324.* inſigni genere in *Ciliciâ* natus & educatus, *ibid. p. 318.* Juliani cognatus

gnatus, *ibid.* ἀνεψιὸς, ut ait *Cedrenus*; conſobrinus, ut ſuſpicatur *Valeſius*, Juliano mortuo, Jovianum accedens, purpurâ, quam à Juliano moribundo acceperat, traditâ rogavit, ut militiæ ſacramento ſolutus, domum reverti ſineretur. Quo impetrato *Cæſaream Cappadociæ* cum uxore & liberis ſe contulit, ubi multa prædia poſſidebat. Pòſt cùm *Valentinianus* & *Valens* (qui hominem ſuſpectum habebant) eum comprehendi juſſiſſent, ille milites miſſos fruſtratus in *Euxinum Pontum* aufugit; & ibi conſcenſâ nave ad *Turcicam Cherſoneſum* delatus eſt. Sed cùm incolas ſuſpectos haberet, inde *Byzantium* noctu profectus, divertit apud quendam notũ ſibi vetuſtâ conſuetudine; tandemq; re cum *Eugenio Eunucho* communicatâ, imperium arripuit, ut refert *Zoſimus lib. IV. p. 736. 737.* Tempus notavit *Idatius*: Valentiniano & Valente Auguſtis Coſſ. (hoc eſt, A. V. 1117.) *latro nocturnus* hoſtisq; publicus intra urbem Conſtantinopolim apparuit, a. d. 4. Cal. Octobr. In numis: D.N. PROCOPIUS. P. F. AUG. Sequente anno *Valens* in *Nacolienſibus* campis in *Phrygiâ* ſalutari acie collatâ, cùm *Agilo* ſigna ad eum tranſtuliſſet, *Procopii* factionem oppreſſit: Nam *Procopius* à ſuis comprehenſus, & *Valenti* oblatus, mox ſupplicio adfectus eſt; ut legimus apud eundem *Zoſimum*. Factum id a. d. 6. Cal. Jun. Gratiano NP (hoc eſt, Nobiliſſimo Puero) & Dagalaifo Coſſ. hoc eſt, A. V. 1118. docet *Idatius*. Ergo intra *octavum menſem tyrannidis* periit; & falſus eſt *Baronius* in *A. C. 364. n. 16.* qui Imperatorem appellatum ait A. V. 1116. autumnali tempore; atque

adeò

adeò totum annum cum dimidio illi tribuit. Idem error *Octavii Stradæ*, qui 5. menſes ſupra annum regnâſſe ait. Exceſſit autem Procopius, cùm vixiſſet annos XL. menſes X. ut ſcribit *Ammianus lib. XXVI. pag.* 3[illegible]

II. MARCELLUS PROTECTOR, interfecto Procopio, ejusdem cognatus, *Chalcedone* purpuram ſumit; ſed ab *Equitio* captus miſereq; excruciatus interiit. *Ammianus lib. XXVI. p. 329. 330.* Meminit ejusdem *Zoſim. lib. IV. p. 738.* Sed ab Ammiano diverſus eſt in eo, quòd *Serenianum* occiſum ait à *Marcello*, adhuc vivente Procopio.

III. VALENTINIANUS ob delicta *relegatus in Britanniam*, ibidem tyrannidem affectat; ſed in ipſo conatu oppreſſus eſt A. V. 1123. Gratiano III, Sexto Petronio Probo Coſſ. *Zoſim. lib. IV. Hiſt. p. 742. Euſeb. n. 2387. Ammian. lib. XXIIX. p. 368. 369,* è cujus libris corruptioribus quidam Valentinum nominant. Huc quoque refert *Octavius Strada in Cæſaribus p. 199.*

IV. FIRMUM, *Nubelis*, Maurorum Reguli, filium. Et fortaſſis huc traxit numum: D. N. FIRMUS. P. F. AUG. de quo *ſupra* in rebus *Aureliani.* Valdè huc faciunt, quæ ſcribit *Zoſimus lib. IV. p. 744.* Firmo purpuram datam, & dictum *βασιλέα*, *Imperatorem* (ut vertit *Leunclavius*; & ſanè vix aliter illo ævo Græci: Ipſi Zoſimo *Imperatores* ferè ubiq; ſunt *βασιλεῖς*) idq; *Valentinianum* graviter commoviſſe. Sit ergò capiendus numus de iſto; nec nos turbet ultrà *Valeſius.*

VA-

VALENTINIANUS JUNIOR.

Valentiniani duo. *Valentiniani filii, ſed ex diverſis conjugibus.* Valeriæ *Severæ* nobilitas. *Craſſus error* Onuphrii *circa* l[illegible]*dem. Valentiniani junioris interitus.*

MOrtuo Valentiniano ſeniore, *Merobaudes* & *Equitius*, duces exercitus a. d. 10. Cal. Decemb. A. V. 1127. A. C. 375. FL. VALENTINIANUM JUNIOREM, ejus filium ex *Flavia Juſtina* natum, Imperatorem ſalutârunt; idq; Gratianus & Valens poſteà comprobârunt. *Idatius. Euſeb. n. 2391. Zoſim. lib. IV. p. 746. Ammianus lib. XXXI. p. 433. Socrat. lib. IV. c. 31.* Quadrimum tum fuiſſe, non tantùm *Ammianus* dicit; ſed & *Victor* & *Zonaras. Zoſimus* vix quintum annum egiſſe. Natus eſt igitur poſt initium anni 1123. quo Conſulatum geſſerunt Gratianus II. & Probus.

Ita diverſus eſt à Valentiniano, ejusdem Valentiniani ſenioris filio; qui natus eſt a d. 5. Calend. Febr. Gratiano NP (hoc eſt, Nobiliſſimo Puero) & Dagalaiſo Coſſ. A. V. 1118. A. C. 366. ut ſcribunt *Idatius in Faſtis & auctor Alexandrini Chronici, & Themiſtius Orat. VI.* ubi *natalem* ipſius *vice oraculi* prædixiſſe ait *Procopii exitum:* Nam Procopius eo ipſo anno a. d. 6. Cal. Jun. ut ſuprà dixi, necatus eſt.

Tres igitur Valentiniani *filios* habemus, *Gratianum*, & *duos Valentinianos*. Sed alterum ex his natu majorem è priore matrimonio, hoc eſt, è *Valeria Severa* ad imperium non perveniſſe conſtat, prænaturâ morte

morte indubiè interceptum. *Conſul* tamen *factus* eſt nondum *trimulus* A. V. 1121. collegâ Victore; quod nemo negabit, qui *Themiſtii Orat. VI.* legit *ad hunc ipſum Conſulem factum* ſcriptam. Ait ibi *invictiſſimorum parentum prolem, fratrem Gratiani, collegam viri, cui nomen à victoriâ; natum paulò antè, quam Procopius vinceretur.* Sub finem appellat *adoleſcentem ex Conſtantini proſapia oriundum,* ſcilicet per matrem.

Hinc Valeriæ Severæ *nobilitas* patet. An *ex nomine* conjicere licet, neptem eſſe *Fl. Valerii Severi Cæſaris*; à Maxentio occiſi A. V. 1069. & hujus filium aut filiam conjugem habuiſſe è Conſtantini domo? unde iſta Valeria Severa progenita è Valentiniano ſeniore A.V.1118. Valentinianum iſtum pepererit Conſulem A.V. 1121?

Videtur: Sed hinc ſupinæ negligentiæ peragitur reus *Onuphrius*, qui hujus anni Conſulem deſcribit Julium Felicem Valentinianum ex *Inſcriptione X. p. 1053. Operis Grut.* Qui lapidem inſpicere volet, obſervabit duo: *Primò* Julium Felicem Valentinianum nunquam Conſulem fuiſſe. Recenſentur enim dignitates omnes, quas habuit, dum viveret, & Conſulatus ordinarius omittitur; quod nunquam eſſet factum, ſi Conſulatum geſſiſſet. *Secundò* eundem natum eſſe 82. anno poſt Conſulatum Valentiniani & Victoris. Mortuus eſt enim, ut ex ſubſcriptione patet, FL. EUTARICHO. COLLIGA. V.C. CONS. 67. ætatis anno expleto. Eutharicus, Athalarici pater, Coſ. A. V. 1271. cujus non unam mentionem *Caſſiodorus* facit. Vide *Nicolaum Alemannum in Arcanam*

Hiſtoriam Procopii p. 18. & Anonymum Valeſii, p. 484 Vides erroris magnitudinem? ſed ad rem.

Ab hoc igitur *Valentiniano Conſule* A. V. 1121. & nato A. V. 1118. quàm diligenter eſt diſtinguendus *Valentinianus*; qui Valentiniano ſeniore defuncto, *quadrimus Imperator* dictus eſt. Primus, qui hoc fecit, eſt *Valeſius*; quem videbis in notis *ad Ammian. lib. XXXI. p. 412. 413.* Alii omnes, & ex his *Petavius Rat. Temp. part. I. lib. VI. c. 8. p. 364. Remus in Themiſtium, Octavius Strada in Cæſaribus* hîc ceſpitârunt, & ex duobus fecerunt unum.

Hic verò qui ad imperium venit, illud partim cum *Valente* ac *Gratiano*, partim cum *Theodoſio* & *Arcadio* tenuit per annos XVI. & menſes ferè VI. Nam A. V. 1144. ab Arcadio II. & Ruffino Coſſ. apud *Viennam* Arbogaſtis perfidiâ occiditur; quem ad nimiam potentiam evexerat. *Zoſim. lib. IV. p. 775. Idatius in Faſtis.* Adde Baronium in *A. C. 392. n. 6.* qui & mores ejus commendat ex *Ambroſio*, ſtuduiſſe ſcilicet omnia corrigere, quæ aliis diſplicere cognoſceret.

THEODOSIUS.

Theodoſii (qui Theodoſii pater) ſpectata bello virtus. Memorabiliora *Theodoſii*, quibus annis *fuerint geſta, &* quibus diebus?

FL. THEODOSIUS, cognomento MAGNUS, patrem habuit Theodoſium *Hiſpanum*, Magiſtrum militum, *à Trajano* oriundum [ut vult *Victor*] cujus egregia facinora ſic breviter recenſet

cenſet *Pacatus panegyrico XII.* cap. 5: *Quid, inquam, faciam? qua Rhenus aut Vahalis vidit, dicere aggrediar? Jam ſe mihi Sarmaticâ cæde ſanguineus Iſter objiciet. Attritam pedeſtribus præliis Bataviam referam? Saxo conſumtus bellis navalibus offeretur. Redactum ad paludes ſuas Scotum loquar? Compulſus in ſolitudines avias omnis Alamanus, & uterq́ Maurus occurrent.*

Tantus vir calumniis aulicorum juſſus interfici, *apud Carthaginem baptizari* petiit; ac poſtquam ſacramentum Chriſti, quod quæſierat, adeptus eſt, percuſſori jugulum ultrò præbuit. *Oroſius lib. VII. c. 33. Ambroſius in Serm. de exceſſu Theodoſii, Hieron. in Chronico Euſebii. n. 2392.*

Occiſo patre filius Theodoſius ex duce Mœſiæ ſponte in Hiſpaniam ſeceſſit; ut præter *Ambroſium* docet *Theodoretus in lib. V. c. 5.* Unde poſteà evocatus à Gratiano Magiſter militum, ac mox Auguſtus creatus eſt, a. d. 14. Cal. Febr. Auſonio & Olybrio Coſſ. A. V. 1131. ut eſt apud *Idatium.*

Is ſtatim ſummâ felicitate, multis atque ingentibus præliis *Gothos* ſuperat, & *Thraciâ* expellit. *Proſper Aquitanicus in Supplemento Hieron. n. 2395.* Triumphans Conſtantinopolin ingreſſus eſt, a. d. 18. Cal. Dec. A. V. 1132. Gratiano V. & ſe primùm Coſſ. *Idatius in Faſtis & in Chronico, Marcellinus Comes in Chron.* Statimq; *Arrianos* eccleſiâ expulit, *ibid.*

Sequente anno 1133. Syagrio & Eucherio Coſſ. a. d. 3. Idus Jan. *Athanaricum,* Gothorum Regem, à ſuis pulſum, honorificè excepit; & eodem, quo venerat, menſe, id eſt, a. d. 8. Cal. Febr. vitâ functum

regio more ſepelivit. *Idatius.* Tàm ſuperbum funus fuiſſe, auctor eſt *Zoſimus,* ut obſtupefacti barbari domum redierint; nec Romanos ultra infeſtârint, bonitatem Principis admirati.

Eodem anno, ut ſcribit *Marcellinus, ſecundum concilium œcumenicum,* cujus Beſoldus meminit, habitum eſt *Conſtantinopoli,* cui patres interfuerunt 150. E noſtris vide *Conradum Rittershuſium lib. II. Sacr. Lect. c. 11.* è Pontificiis *Baronium in A. C. 381. n. 17. A. V. 1134.* Antonio & Syagrio Coſſ. a. d. 5. Non. Octob. tota *Gothorum* gens cum Rege ſuo Romanis ſe tradidit. Meminit, præter *Idatium, Oroſ. lib. VIII. c. 34.* Ricomere & Clearcho Coſſ. A. V. 1136. Perſarum legati pacem petentes Conſtantinopolim venerunt. *Idatius, Marcellinus & Pacatus.*

Baronius in A. C. 381. n. 11. Deditionem *Gothorum,* & legationem *Perſarum* non bene in unum annum rejicit, anno 1137. Nationes quædam Orientales imperio per legatos ſubditæ A. V. 1138. *Greothingi* devicti, deq; iis triumphus actus eſt a. d. 4. Id. Octob. Malè *Goltzius* ex *Onuphrio* in illo anno: IMP. CÆS. FL. THEODOSIUS. P. F. AUG. ITERUM DE SCYTHIS ET GETIS EX GERMANIA. Nos populi nomen ex *Idatio* novimus. De bellis Theodoſii civilibus dicam in Tyrannis. Fato deniq; conceſſit *Mediolani* a. d. 5. Cal. Febr. Olybiro & Probino Coſſ. A. V. 1147.

Submiſſæ indolis ſpecimen, quod Beſoldus refert, leges apud *Ruffinum lib. I. c. 18. Theodoretum lib. V. c. 18. Sozomenum lib. VII. cap. 24.* Fuit optimus maximus

maximus Princeps unus ferè inter tot Principes repertus, *qui non quæſivit purpuram; ſed ab ea quæſitus eſt.* Gratianus, qui conſortem imperii fecit, hoc ipſo immortalem ſibi gloriam peperit: Nam cùm alii ſucceſſores è domo & è ſinu uxoris producerent, S. P. Q. R. non aliter quàm villas ſuas, quàm colonos, quàm ſervos relinquerent; Gratianus [qui filiolum habebat, ut ſcribit *Auguſtinus lib. V. de C. D. cap. 25.*] hunc ſibi proximum, hunc conjunctiſſimum exiſtimavit; quem pientiſſimum, fortiſſimum & clementiſſimum invenerat. Talem hoſtis *Gothus* credidit, talem *Perſa*; quorum ille ſe ſuaq; omnia dedidit, hic ampliſſimis muneribus oneratus eſt.

Zoſimus tamen Theodoſio mutatos, auctos, venditos magiſtratus immodicumq; vitæ voluptariæ ſtudium objicit. Et ſanè *Gregorius Nazianzenus* in carmine de vitâ ſuâ, eò inclinat, tempore temporis mala ſanare non potuiſſe; lenitati adſcribens tarditatem ac remiſſionem.

TYRANNI.

THEODORUS antiquitùs claro genere *Galliâ* oriundus, natus tamen in *Siciliâ*, cùm dominationem affectaret, & *inſidias Valenti* ſtrueret, in ipſo conatu oppreſſus, capite pœnas dedit. *Ammianus lib. XXIX. p. 384. ibiq; Valeſius. Zoſimus lib. IV. pag. 743.*

FL. MAGNUS MAXIMUS BRITANNUS, qui ſe *de Conſtantini ſtemmate* oriundum ferebat ex cæcâ dominandi libidine, *Gratianum* optimum

Principem, *manu Andragathii* ſuſtulit a. d. 8. Cal. Sept. Merobaude iterum, & Saturnino Coſſ. hoc eſt, A. V. 1135. *Marcellinus in Chron. Zoſimus lib. IV. Hieronymus epiſt. III. Socrates lib. V. c. 11. Sozomenus lib. III. c. 13.* Adjecit aliorum illuſtrium cædes *Ambroſ. ep. 27.* Dein legatos ad Theodoſium mittit, velitne collegam imperii ſe adſciſcere, an bello decernere? Ille ſpe tyrannum aluit, ne *Valentinianum juniorem* æquè conficeret; atque ita totum imperium ſibi vendicaret. Et ſanè parùm abfuit, quin ſuperatis ex improviſo Alpibus, *Valentinianum* cum *Juſtinâ* matre oppreſſiſſet. Ingreſſus Italiam inſtar exundantis torrentis, montium anguſtiis coarctati, & in planitiem ſeſe totam effundentis; eam partem, quæ ipſi prima occurrebat, poſt Alpium deſcenſum, immensâ clade afficit. Denique in ultionem omnium conſurgens Theodoſius, *duabus* ingentibus *victoriis* reportatis, Maximum *Aquilejæ* obſedit, quem milites *vinctum adduxere* Theodoſio; & cùm hic veniam daturus videretur, eundem rurſus abſtrahentes, confeſtim *abſciſſo capite* necaverunt. *Baronius in A.C. 388. n. 62.* Factum id autem A. V. 1140. Theodoſio II. & Cynegio Coſſ. a. d. 5. Cal. Aug. Sequente anno 1141. Id. Jun. Theodoſius de *Maximo tyranno* triumphavit; quod nos *Idatius* docet. Olim *Goltzium* & *Onuphrium* dies latuit.

FL. VICTOR, Maximi filius, & à patre *Auguſtus* appellatus, ab *Arbogaſte* in *Galliis* interficitur. Sic Theodoſius Gratianum ultus eſt; fuitq; victoria intra tàm breve tempus parta, quâ Occidens recupe-

recuperatus, Orienti ſecuritas reſtituta eſt, omnibus celebrata & decantata vocibus.

FL. EUGENIUS cæſo *Valentiniano juniore*, inſidiis *Arbogaſtis*, imperium invaſit, Arcadio II. & Ruffino Coſſ. hoc eſt, A. V. 1144. Sed biennio pòſt victus à Theodoſio, & interfectus eſt: *Arbogaſtes* ſuâ manu cecidit. *Marcell. & Idatius.* Adde *Baron. in A. C. 394.*

ARCADIUS.

FL. ARCADIUS, Theodoſii Aug. F. ex *Placidia* (ut habet *auctor Græcus apud Scal. p. 309.*) Imp. appellatus eſt à patre a. d. 17. Cal. Febr. Merobaude II. & Saturnino Coſſ. A.V. 1136. *Idatius in Faſtis.* Igitur adhuc vivo Gratiano conſors imperii aſſumtus eſt: Gratianus enim mortuus a. d. 8. Cal. Septembr. Coſſ. iisdem, ſecundùm *Marcellinum Comitem.* Quamobrem peſſimè *Goltzius in Faſtis* Gratianum mortuum ſtatuit A. V. 1146. Arcadium Auguſtum appellatum A. V. 1137. Ricomere & Clearcho Coſſ. Natus tùm erat annos 8. *Baronius in A.C. 383. n. 22.* Mortuo patre, & diviſione imperii factâ Orientem obtinuit. Mortuus eſt A. V. 1160. Anitio Baſſo, FL. Philippo Coſſ. ut ſcribit *Marcellinus in Chron.* Fuit pius & ex multis inſidiis ſingulari providentiâ divinâ deliberatus.

Contra illum res novas molitus eſt FL. RUFFINUS, Præfectus prætorio & Dux utriusque militiæ; qui totum imperium Romanum miſcuit, & ut irruptionem in illud fecerent, barbaros ſolicitavit;

initis cum eorum ducibus ſecretis fœderibus. *Hunnos* vocavit ad *Aſiæ* cladem; iisque *urbes*, quas *Halys*, *Cydnus*, *Orontes* & *Euphrates* præterfluunt, miſerè vexavit; ut *Hieron. in ep. 3. ad Heliod.* conqueritur. Sed & *Gothi* diſcurrentes *ad Hadriaticum* usque *mare* venerunt, & *Græciam* inſedêre; imò *Conſtantinopolim ipſam* obſidere auſi ſunt, læto Ruffino, tanquam milites à ſe conducti eſſent; quorum auxilio imperium adipiſceretur: Sed non diu latent ſcelera. *Stilico*, cùm in hoſtes imperii jamjam iturus eſſet, & ab *Arcadio*, Ruffini conſiliis circumvento, revocaretur; indignatione exardeſcens *totus exercitus in Ruffini necem* conſpirat. Ruffinus redeunti exercitus parti obviam progreſſus, cùm ab iis ſperaret *Imperatoris* & *Auguſti* appellationem, mille *gladiis* invaditur, & *ſecatur in fruſta*.

Dux exercitus fuit FL. GAINAS, qui & ipſe pòſt *contra Arcadium* civile bellum movit. Ægrè ferebat, *Fl. Eutropium ſpadonem* eò potentiæ profectum, velut ſub imperio habere videretur. Igitur egit cum *Trigibildo*, barbarorum duce, ut *Aſiam* inſectaret; & cùm Arcadii res deploratiſſimæ viderentur, palàm hoſtem ſe profeſſus, ad ignominioſas pacis conditiones Principem ſuum redegit. Inter eas hæc fuit, ut *Eutropius* ſibi *dederetur*: Isque paulò pòſt *Chalcedonem* miſſus & interfectus eſt. Nomen faſtis eraſum, Hinc inſolentior factus *Gainas*, Arcadium contumelioſiſſimè habuit; non ſolùm arma non deponens, ſed & adhuc plures nobiliſſimos Viros ad cædem depoſcens. Tandem verò *inter Cherſoneſum & Helleſpontum*, cùm ingentem multitudinem barbarorum in

auxiliis

auxiliis haberet, victus, & fugâ peremptus eſt, menſe Febr. Stilicone & Aureliano Coſſ. A. V. 1150. ut ſcribit *Marcellinus Comes.*

HONORIUS.

FL. HONORIUS, Theodoſii Aug. F. ex *Placidia*, ut ſcribit idem *Græcus*, quem ſuprà citavimus. Natus a. d. 5. Idus Septembr. A. V. 1136. Richomere & Clearcho Coſſ. ut eſt apud *Idatium*, nondum *bimulus Conſul* creatus cum Evodio, ſuncto parente Occidentem accipit. Imperavit diu quidem, ſed ancipiti fortunâ. *Radagaiſus*, qui cum ducentis *Gothorum* millibus in *Italiam* irruperat, ope aliorum Gothorum & Hunnorum vincitur, capitur, occiditur. Rem fuſè narrat *Oroſ. lib. VII. c. 37.* Factum id Arcadio VI. & Probo Coſſ. A. V. 1158.

Sed biennio pòſt FL. STILICO Comes imperium affectans barbaras nationes donis pecuniisq; allectas, *Honorio* immiſit. *Alaricus* tùm *Gothorum* Rex erat, qui ſæpe victus, ſæpe concluſus, ſemperque dimiſſus eſt; dum à *Stilicone* clàm fovetur. Illo tempore ab imperio Romano vultum prorſus avertit illa FELICITAS, tantopere in nummis & omnibus aliis monumentis jactata; & calamitatum omnium compendium CAPTA ROMA fuit. Non eſt inſtituti noſtri ſingula perſequi, fecit id *Baronius in A. C. 410.* cui velim addas *Barthium lib. LX. Adverſ. p. 2832. 2841.* E veteribus de captâ urbe ſcripſit *Olympiodorus*, quod ex *Photii Bibliotheca, Cod. LXXX.* novimus. Sic rerum dominos debellari poſſe Gothi oſtende-

runt: non tamen everſa penitus, ſed ſpoliis hoſtes contenti reliquerunt, ut aliquando rurſus invaderent. Incidit hæc clades humano generi inſolens in 9. Cal. Septembr. cùm Urbs annum ageret 1162. Eodem tempore *Vandalis Hiſpania* diripienda data eſt, & per hos aliis barbaris patefacta clauſtra Pyrenæi. *Primum in Hiſpaniâ Regem* ſe dixit *Gundericus*, regnavitque in *Gallæciæ* partibus. Mortuus eſt *Honorius* Cal. Sept. A. V. 1175. Mariniano & Aſclepiodoto Coſſ. Fuit Princeps religioſiſſimus, & quem multis laudibus Aſconius extollit. *Baron. in A.C. 423.* quem vide. Sed, ut dixi, ſub eo ad incitas omnia redacta ſunt.

TYRANNI.

FL. STILICHO à *Vandalis* oriundus. *Oroſ. lib. II. c. 38.* utriusque militiæ Magiſter, à Theodoſio Magno, Honorio filio curator datus eſt; utque arctiore vinculo obſtringeretur, eidem *Serena*, Theodoſii neptis, ex Honorio fratre, juncta eſt. *Zoſim. lib. IV. p. 779.* Et ſanè illuſtriſſimam de *Radagaiſo* victoriam reportârat (*Paulinus in vita Ambroſ. ſub finem*) ſed ceſſerunt ultimis prima, & omnem egregiè factorum laudem perfidiæ crimen tandem obliteravit. Quod aliquandiu diſſimulatum, Baſſo & Philippo Coſſ. hoc eſt, A. V. 1160. patefecit.

Cogitans enim FL. EUCHERIUM filium ſuum ad imperium provehere, aliquandiu fovebat *Gothos* & *Alaricum*; dein, quod hic totus deſiderio ejus accedere nollet, *Suevos*, *Vandalos*, *Alamannos*, *Burgundiones*, ſolicitavit ingenti ſpe prædæ: Sic enim

ſperavit

ſperavit *Honorium* ad quævis compelli poſſe. Sed deprehenſis dolis, ſucceſſor illi miſſus eſt; ipſe autem *Ravennæ capite truncari juſſus* a. d. 10. Cal. Sept. dictis Coſſ. ut *Zoſimus* refert. Mox & *Eucherius* cum *Serena* matre interfectus. *Olympiodorus apud Photium Cod. LXXX.* Dignitatem & auctoritatem hujus viri cognoſcere licet ex *Inſcr. IV. p. 412:*

Flavio Stilichoni Illuſtriſſimo
VIRO. BIS COS. ORDINARIO
MAGISTRO. UTRIUSQUE MILITIÆ.
COMITI. DOMESTICORUM.
ET STABULI SACRI. ATQUE
AB INEUNTE ÆTATE PER
GRADUS. CLARISSIMÆ
MILITIÆ. AD CULMEN REGIÆ
ADFINITATIS EVECTO SOCIO.
BELLORUM. OMNIUM.
ET VICTORIARUM. ADFINI
ETIAM DIVI THEODOSI AUG.
ITEMQUE SOCERO
DOMINI NOSTRI HONORI AUGUSTI
POPULUS ROMANUS
PRO SINGULARI EJUS
CIRCA. SE. AMORE.
ATQUE PROVIDENTIA
STATUAM EX ÆRE ARGENTOQUE
IN ROSTRIS. AD. MEMORIAM
GLORIÆ. SEMPITERNÆ
CONLOCANDAM DECREVIT

EXE-

EXEQUENTE FL. PISIDIO ROMULO
V. C. PRÆF. URBIS.

Primam lineam repoſui ex *Inſcript. II. p. ejuſd.* Quòd verò *ſocer Honorii* dicitur, id ipſum tùm ex aliis, tùm ex *Marcellini Chronico* manifeſtum eſt. Nam *duæ Stilichonis filiæ:* MARIA & THERMANTIA, *ſingulæ uxores Honorii* fuêre. Sed nullum vinculum tàm firmum eſt, quod non diſſolvat perverſa dominandi cupiditas.

MARCUS quidam, cùm barbaræ gentes undique provincias diriperent, ab exercitu *Britannico Imperator* creatus eſt; & ab eodem ſublatus. *Olymp. apud Photium, & Zoſim. lib. VI. p. 824.* qui hoc factum ſcribunt Honorio VII. & Theodoſio II. Coſſ. hoc eſt, A. V. 1159.

GRATIANUS poſt Marcum Imperator ſalutatus eſt, & ſtatim peremptus ab eodem exercitu Britannico. *Olymp. d. l. & Zoſimus.* Adde *Sozomenum lib. IX. c. 11. Oroſium lib. VII. c. 40.* Numum hujus Gratiani exhibet *Octavius Strada p. 214.*

FL. CONSTANTINUS apud *Gallias* invaſit imperium, Honorio Auguſto IX. Theodoſio juniore Aug. V. Coſſ. A. V. 1164. ſecundùm *Marcellinum.* Sed *Olympiodorus* & *Zoſimus* Auguſtum ſalutatum inquiunt in *Britannia.* Factum id in civitate *Caerſegont*, ex *Nonnio* & *Gervaſio Dorobornenſi* ſcribit *Camdenus.* Accedit *Proſper Aquitanicus*; qui initium ejus collocat in A. V. 1159. quæ ita cũ *Marcellino* concilio, ut hic quidem de tempore loquatur, *quo in Gallia imperium* conſtituit; illi de anno, *quo primùm Imp. Aug.*

Aug. appellatus eſt. E Britannia ſolvens, *Bononiam Galliæ* appulit, omneſque Romanorum exercitus ad Alpes usque in belli ſocietatem pellexit. *Valentiam Galliæ* contra Honorii Aug. copias ſtrenuè defendit: *Rhenum* jam pridem neglectum præſidio munivit: Ad *Alpes Cottias*, *Pœninas* & *maritimas*, quâ viâ patuit, munimenta conſtruxit. Hinc in *Hiſpaniâ*, ductu *Conſtantis filii* res feliciter geſſit; *literisq́;* poſtea ad *Honorium* datis ſeſe excuſavit, quòd imperium ſuſcepiſſet: Coactum enim fuiſſe à militibus: Simul imperii ſocietatem popoſcit. Imperator ob impendentes varias imperii calamitates annuit, eiq́; purpuram miſit. Unde inſolentior factus, Alpibus ſuperatis Romam petiit; ſed acceptâ *Alarici* morte, quem ſibi adjunxerat, *Arelaten* receſſit; ubi ſedem imperii fixit, voluitque *Conſtantinam urbem* vocari; præterea, ut in ea *VII. provinciarum conventus* agerentur, hoc eſt, *Viennenſis, utriusque Narbonenſis, utriusque Aquitaniæ, Novempopulaniæ, Alpium maritimarum.* Unde imperium illud Septimania vocabatur. Hanc Conſtantini de *Arelate* conſtitutionem à *Franciſco Roaldo* ſecum communicatam, primus publicavit *Joſ. Scaliger lib. I. Auſon. Lect. c. 24.*

Inter hæc GERONTIUS *Britannus* milites in Conſtantinum concitavit; cùmq́; *Conſtantem* filium *Viennæ* trucidâſſet, patrem *Arelati* obſedit; ad quem oppugnandum cùm *Conſtantius*, Valentiniani III. pater, ab *Honorio* miſſus, infeſtis ſignis approperaret, *Gerontius ſibi vim attulit.* Ita *Conſtantinus* à Conſtantio graviſſimâ obſidione preſſus, & infelici

ſuorum

ſuorum pugnâ animum deſpondens, *poſitâ purpurâ*; inconvenienti fortunæ ſuæ tegumento, ædem ſacram ingreſſus, *presbyteri ſuſcepit dignitatem*; ſtatimq; *Arelate* deditâ, in *Italiam* ductus capite plectitur, cum *Juliano* filio; quem Nobiliſſimum dixerat. Videndi, quos in *Marci* & *Gratiani* mentione laudavi; &, qui hos inter ſe contulit, *Camdenus in Britanniâ*, ubi agit de urbe *Venta*.

FL. CONSTANS, Conſtantini filius, *è monaſterio revocatus*, & Cæſar appellatus eſt. Occiditur à *Gerontio*, ut dixi. Capite plexum ait *Marcellinus*. Hujus & patris numus exhibitus eſt apud *Stradam p. 214. 215.*

MAXIMUS, à *Gerontio* adverſus Conſtantinum Imperator Auguſtus appellatus, & purpurâ indutus eſt *Tarracona*. Sed poſt utriusque cædem & ipſe interemptus eſt, ut eſt apud *Sozomenum lib. IX. c. 13.* Sed *Oroſ. lib. VII. c. 42.* ſuo ævo inter barbaros in Hiſpania exulâſſe dicit. *Proſper Aquitanicus* ſub Coſſ. Honorio IX. & Theodoſio IV. hoc eſt, in commemoratione rerum anni 1163. Maximo in *Hiſpaniâ* degenti vitam conceſſam auctor eſt; eò, quòd modeſtia humilitasq; hominis, affectati imperii invidiam facilè aboleverit.

JOVINUS ac SEBASTIANUS in iiſdem *Galliis* res novas molientes interfecti ſunt, Theodoſio Imperatore ſolo Coſ. A. V. 1164. ut ſcribit *Marcellinus*. Meminit Jovini *Sozomenus lib. IX. cap. 13.* Studio *Goaris*, *Alani*, & *Guntiarii* (qui *Burgundionum* erat Phylarchus) tyrannidem adeptum *Olympiodorus*

dorus aſſerit. Sebaſtianum *Jovini fratrem* faciunt *Oroſ. lib. VII. cap. 42. Idatius in Chronico* & *Proſper Aquitanicus*, & *Olympiodorus*. Ut hallucinatus videatur *Camdenus*, qui *Conſtantini fratrem* fecit.

SARUS, *Gothus*, Ravennæ præfectus à Stilicone *(Zoſimus lib. V. p. 806.)* robore corporis & dignitate præſtans *(ibid. p. 810.)* idoneus ad incutiendum hoſti terrorem, ob fortitudinem & bellicæ rei peritiam *(ibid. p. 812.)* miſſus *contra Conſtantinum* tyrannum, vivo adhuc Stilicone, *Juſtinianum* ducem illius cum majore exercitus parte interfecit; & ingenti prædâ potitus *Valentiam* obſedit, in quâ ipſe Conſtantinus erat. Sed mox ſoluta obſidio per *Edobinchum* Francum, & *Gerontium* Britannum; & cùm in Sarum irruptionem feciſſent Conſtantini duces, vix ſalvus evaſit in Italiam. *Zoſimus lib. VI. p. 825.* Tandem & ipſe mutavit fidem affectatâ tyrannide, & interemptus eſt; ut notat *Sozomen. lib. IX. c. 13.*

FL. PRISCUS ATTALUS (ita dicitur in nummis) *Auguſti* nomen uſurpare cœpit illo ipſo anno, quo Roma primùm capta eſt; hoc eſt, A. V. 1162. *Alaricus* Gothorum Rex (ô Romani nominis pudorem!) hunc imperare juſſerat. *Zoſimus. lib. VI. p. 827. Sozomen. lib. IX. c. 8.* Eò verò inſolentiæ progreſſus eſt, ut *Honorium* dedignaretur, imperii conſortem; juberetque vel inſulam vel locum eligere, quem vellet; in quo privatus vitam ſuam transigeret, imperatorio cultu depoſito. Idem & *Olympiodorus* apud *Photium*. Hunc ut *Heraclianus*, qui Honorium ſectabatur, premeret (heu bellorum civilium nefas!) nihil

nihil frumenti in portum Romanum invehi paſſus eſt; unde tanta rerum omnium inopia fuit, ut ille jam veriſſimus metus eſſet, fore, ut homines paſſim in ſeſe mutuo impetum facerent; adeò ut Circenſibus ludis populus exclamârit: Pone pretium carni humanæ! *Zoſimus d. l.* Hinc *Alaricus* ob contrarium rerum omnium eventum in *Attalum* commotus, eum rurſus exauctoravit. Sic velut inane imperii ſimulacrum *Attalus* in *Hiſpaniam* cum *Gothis* abductus eſt; unde profecturus, & neſcio quid moliens, captus eſt in mari, & ad *Conſtantium Comitem* deductus, *truncatâ manu* vitæ relictus eſt. *Olympiodorus* & *Oroſius d. l. Marcellinus* id factum refert Theodoſio Imp. V. Coſſ. A. V. 1164. Sed *Proſper*, Honorio X. Theodoſio Juniore VI. Coſſ. hoc eſt, A.V. 1167.

HERACLIANUS Attalo non melior, quem oppugnaverat: Violatâ namq; fide, dominationem affectans, cum ter mille ducentis navibus *Romam* verſus *ex Africâ* navigavit; ſed repulſus à *Marino Comite*, cæſis quinquaginta millibus armatorum, refugit in *Africam*; & paulò pòſt *Carthagine*, in æde *Memoriæ*, per Honorium immiſſis percuſſoribus occiditur; ut ſcribunt *Oroſius* & *Idatius in Chron.* Sed *Marcellinus Comes* non niſi ſeptingentas naves & tria militum millia recenſet. Cæterùm factum hoc Luciano Coſ. A. V. 1164. ſecundùm modò laudatos & *Proſperum Aquitanicum. Baronius in A. C. 413.* Heraclianum occiſum ait Conſtantio & Conſtante Coſſ. hoc eſt, A. V. 1166. ex *Marcellino*: Sed neſcio, quâ editione uſus ſit. Nam repugnat illi tùm Onuphriana, tùm

tùm *emendatiſſima Sirmondi*. Hunc ſæviſſimum omnium tyrannorum fuiſſe ſcribit *Hieron. ep. 8.*

SABINUS, vir nobilis, *gener Heracliani*, cum eodem imperium invaſit. Poſt ſoceri cædem captus, & Romam ad ſupplicium miſſus eſt. Exilio damnatum ſcribit *Oroſ. lib. VII. c. 42.*

Ac quoniam *Heraclian* hiſtoria nos in *Africam* traxit, in eâdem reperio GILDONEM; qui cùm *Africæ Comes* eſſet, ab Honorio deſcivit, teſte *Claudiano, de bello Gildonico*; apud quem Theodoſius ſenior ſic ait:

> - - *auſus Latio contendere* Gildo?
> *Germani nec fata timet?* - - -

Id eſt, *Firmi*, de quo jam ſuprà diximus. Fuit enim huic quoque pater *Nubel*, Maurorum Regulus. Occidit fratris *Maſcizelis* filios duos, quos vindicaturus pater cum 5000. armatorum, Gildonem (cujus exercitus 70000. conſtabat) in fugam vertit; isque mox manus ſibi violentas intulit. *Marcellinus* id factum ait Honorio IV. Eutychiano Coſſ. hoc eſt, A. V. 1150. Adde *Baronium in A. C. 398. n. 53.* Interfecto Gildone, *Maſcizelem* quoque *contra Honorium* imperium arripuiſſe vult *Strada in Cæſaribus pag. 211.* quod neque apud *Zoſimum*, neque *Oroſium* (quorum uterque Maſcizelis exitum deſcribit) reperire eſt; Imò *Zoſimus* per ſummum nefas à Stilicone interfectum aſſerit.

PLINTA, Comes, idemque rebellio, apud *Palæſtinam* provinciam deletus eſt. Ita loquitur *Marcellinus in Chron.* Rebellio pro rebellis ſæpe dici-

tur inferioris ævi Scriptoribus; vide *Salmaſ. ad Trebellium p. 295.* Factum autem hoc, inquit, Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ. hoc eſt, A. V. 1170. Ergò diverſus eſt à *Fl. Planta*, qui A. V. 1171. Conſul reperitur, collegâ Fl. Monaxio, apud *Idatium* & ipſum *Marcell.* & *Proſperum Aquitanicum*, qui tamen collegam Maximum appellat, corruptè. *Inſcriptio VII. p. 1050:* PRIDIE. KAL. DECEMB. MONAXIO. ET. PLENTHÆ. VV. CC. CONSS.

JOVINIANUS. Numus apud *Occonem p. 574.* D. N. JOVINIANUS. P. F. AUG. Quamvis hinc non ſatis conſtet, cujus ætatis tyrannus fuerit, Reperio apud *Marcell. Com.* in anno 1174. ſub Coſſ. Honorio XIII. & Theodoſio X. *Maximum* tyrannum & *Jovinum*, ferro victos, abductos de *Hiſpaniis*, atq; interfectos eſſe. Non eſt hic Jovinus *Sebaſtiani frater*, de quo ſuprâ: Nam illum idem *Marcellinus* occiſum tradit in *Galliis*, Theodoſio V. ſolo Coſ. & confirmat *Idatius in Faſtis.* Suſpicor igitur hunc ipſum *Jovinianum* eſſe, atque ita deſcribendum fuiſſe *Marcellino.* Is ipſe, nî fallor, de quo *Olympiodorus*: Ab *Honorio* miſſum ad *Attalum* de conſortio imperii, tandemque apud Attalum manſiſſe; *illius Patricium* appellatum, cùm Honorii Præfectus atque Patricius fuiſſet ante. Sed in *Olympiodori* codicibus mira inconſtantia; nam modò Jovium, modò Jovinianum appellant. *Zoſimus lib. VI. pag. 828. & ſeqq.* Jovium appellans, *Præfectum prætorio* fuiſſe ſcribit ſub Attalo; nec Honorii ad Attalum, ſed *Attali ad Hono-*

Honorium legatum, ab Honorianis ſollicitatum *Alaricum* Regem mox ab eodem Attalo prorſus alienaſſe. Hæc *Zoſimus*. Videtur autem illo tempore, quo Attalus in Hiſpaniam abductus eſt, ſimul eò profectus, quòd Honorio diffideret. Ibique res novas molitus eſt cum *Maximo*, de quo dixi ex *Oroſio* & *Proſpero Aquit.* vixiſſe in *Hiſpaniá*; quamvis veniam ab Honorio impetrâſſet.

Octavius de Strada duos Maximos, horum temporum tyrannos agnoſcit, alterum, qui contrà Conſtantinum tyrannum à Gerontio ſubornatus eſt; & alium, qui captus in Hiſpaniâ & Romam perductus, ibique interfectus eſt Honorii juſſu; mihi unus idemque. Et cui poſt cæſum Gerontium vivere permiſſum eſt, nimis durum poſtea viſum eſt, in conditione humili acquieſcere.

SALUSTIUS, quem reperio apud *Idatium in Faſtis*; qui cæſum ait A.V.1164.

THEODOSIUS JUNIOR.

Stradæ *error*, Arcadii *factum imprudens*, *felix tamen in dando tutore*. Beſoldi *narratio confuſa*. *Theodoſii junioris mores*.

FL. THEODOSIUS, Fl. Arcadii filius ex Licinia Eudoxia (ut appellat numus apud *Occonem p. 571. & Baron. in A.C. 395. num. 4.* Promoti neptem facit *Zoſimus*. *Strada* Æliam Eudoxiam eſſe dicit, cujus numum ibidem exhibet *p. 204.* Sed hanc malim credere conjugem Theodoſii

 junioris;

junioris: *Nicephorus* enim in Chronologiâ Ἐυδοξίαν Ἀρκαδίου, Ἐυδοκίαν Θεοδοσίου τοῦ μικροῦ, nec aliter alii vocant) Theodoſii majoris nepos, natus eſt a. d. 5. Id. Apr. Rhaonio Vincentio Celſo, Fl. Fravitta Conſ. A. V. 1153. ut è *Socrate, Sozomeno* & *Marcellino* docet *Baronius in A. C. 401. n. 16.* Statim purpurâ fuiſſe tectum, ſcribit *Marcus Gazenſis Diaconus apud eund. n. 24.* Sed anno demum ſequente ſolenniter *Imperatorem* appellatum a. d. 17. Cal. Febr. docet *Onuphrius.*

Huic *Arcadius* pater *Isdigerdam*, Perſarum Regem tutorem credit, quod factum laudavit *Procopius*; ſed vituperavit *Agathias lib. IV. de Rebus Juſtiniani pag. 132: Quo pacto enim prudenter rectéque factum dici poſſit*, inquiens, *homini extero & barbaro & regiæ gentis infeſtiſſimo; neque ſatis noto, fidemne an juſtitiam coleret; quíq; præterea erroneæ eſſet de Deo, diverſæq; opinionis; quæ habebat cariſſima, traderet.* Si verò nihil omninò in infantem ſibi creditum deliquit, ſed hujus imperium ſartum tectum à curatore illi conſervatum eſt, Regis probitas, non Arcadii factum probandum eſt.

Sub eo *tertium Concilium Oecumenicum*, cujus Beſoldus meminit, habitum eſt à 200. Patribus *contra Neſtorium*; qui Chriſtum nudum hominem dicebat, & non Deum incarnatum; duos filios de uno Chriſto Deo prædicans, & duas ſubſtantias; & alium quidem natum eſſe ex patre, ſermonem; alium ex Maria natum hominem, ſecundùm χάριν unitum verbo, & *æquivocè* cum ipſo dici filium. Hinc non *Deiparam*, ſed *Chriſtiparam* dicebat S. Virginem, *Rittersh. lib. II. Sacr. Lect. c. 11.*

Huic

Huic Cæſari inſidias ſtruxiſſe *Stiliconem*, mox Beſoldus ſubjicit; quod cum Hiſtoricorum narrationibus parùm convenit: Omnia enim Stiliconis conſilia Honorium præcipuè petebant. *Marcellinus* in Chronico: *Stilico ſpreto Honorii regno, barbaras gentes contra Honorii imperium excitavit.* Conſtat etiam ex *l. 1. C. Theod. de litorum & itinerum cuſtodiâ*, Stiliconi propoſitum fuiſſe, litorum ac portuum cuſtodias invadere, ut penuriâ gravi afflictaret Occidentis imperium; quod Honorius regebat.

Mortuus eſt hic Imperator a. d. 4. Cal. Aug. Valentiniano VII. & Avieno Coſſ. de quo *Baronius in A. C. 450. n. 15. 16.* Fuit literarum amantiſſimus Princeps, uſus præceptoribus *Paulino* & *Placido*. Modeſtus prætereà, prudens & diſcurſibus admirandus; ut qui eum audirent, uſu & peritiâ rerum omnium inſtructum eſſe crederent. Patientiâ & clementiâ cunctos anteibat, & inſuper habitis Philoſophorum argutiis & diſputationibus, factis ipſis Philoſophum repræſentabat; compreſsâ iracundiâ, triſtitiâ ac libidine. Cædes tàm averſabatur, ut interroganti, cur ad delicta tàm conniveret, reſponderet: *Utinam & mortuos liceret ad vitam revocare!* Tamen idem in bellis *pecuniâ*, non armis, *pacem* quærens, *Eunuchis omnia committebat*; qui Principi magno dehoneſtamento fuerunt. Vide *Joh. Antiochenum in Exc. Peireſc. p. 850.*

CONSTANTIUS.

Locus ſuſpectus Olympiodori. *Conſtantii*

Conſulatus. *Ejusdem* nuptiæ *cum Placidia. Imperium breve. Habitus corporis & mores.*

FL. CONSTANTIUS, *Illyricus* è *Panaſo*, urbe Cadiæ (ita *Olympiodorum apud Photium* Schottus vertit. An in Græco legendum eſt: Κωνςάντιος Ἰλλυρικὸς ἦν τὸ γένος τῆς Ναΐσου πόλεως τῆς Δακίας. *Conſtantius Illyrici generis ex Naiſo urbe Daciæ.* Naiſum Daciæ mediterraneam urbem facit *Conſtantinus Porphyrogennetus.* Ipſam verò *Daciam Illyricum* complecti cœpit, ſub Claudio Imperatore; ut ad *Notitiam Imperii Orientalis pag. 41.* docet *Pancirolius.* Adde *Sex. Ruffum in Epitome*) multis obitis jam inde à Theodoſii M. temporibus muneribus militiæ, Honorio *adverſus Conſtantinum*, & tyrannos alios, ſtrenuam operam navavit. *Sozomenus lib. IX. cap. 13. & Oroſ. lib. VII. cap. 42.* Idem poſtea Gothos *Narbonâ* expulit, & *in Hiſpaniam* fugavit; intercluſo commeatu navium, & peregrinorum uſu commerciorum. *Oroſ. d. l. c. 43.* Magiſtrum utriusque militiæ in Conſulatibus deſcribunt Faſtorum inſtauratores ex *Proſpero Aquitanico.* Conſulatum enim primum geſſit A. V. 1166. collegâ Fl. Conſtante; ut ſcimus è *Marcellino. Idatius* & *Proſper Aquitanicus* cum *l. 8. C. de in integr. reſtit. & l. 3. C. qui in legit. perſ. ſtandi*, collegam ejus omittunt.

Non mentitus eſt *Marcellinus*, quem confirmat *Olympiodorus*: *Conſtantius olim deſignatus, Conſul aliquando Ravennæ creatur; cum quo Conſtantinopolitanum Conſulatum Conſtans gerit.* Sed ita tùm

moris

moris fuit, ut, cùm alter in Oriente, alter in Occi- ,,
dente crearentur, unum tantum nominaret, cujus ,,
notitia ſuccurrebat. *Syneſius* epiſt. 132: *Nudius tertius novus Conſulibus, quorum alter eſt Ariſtænetus; collegam ejus ignoro.*

Alterum Conſulatum geſſit cum Honorio XI. A. V. 1169. Quo ipſo *cum Galla Placidia*, Honorii & Arcadii ſorore *nuptias* celebravit. Nam cùm ipſa recuſâſſet, tamen *Honorius* die, quo Conſulatum iniit, *ſororem arreptam* Conſtantio in manum tradit; & connubiale ſacrum magno cum ſplendore celebratum eſt, ut auctor eſt *Olympiodorus*; à quo diſſentiunt *Caſſiodorus*, *Marcellinus*, *Proſper* & *Idatius*; qui nuptias iſtas rejiciunt in Theodoſii ſeptimum & Palladii Conſulatum, hoc eſt, in A. V. 1160. Ex hoc conjugio *Honoria* & *Valentinianus III.* poſteà Imperator, nati ſunt: *Honoriæ* meminit *Olympiodorus*; de filio dicam mox.

Tertio Conſulatu, quem geſſit collegâ Theodoſio jun. Aug. IX. Coſ. A. V. 1172. in conſortium imperii aſſumptus, & anno ſequente mortuus eſt; ut ſcribit *Proſper*. Sed *Idatius in Chronico*, qui mortuum ſtatuit in tertio Conſulatu, Agricolâ & Euſtathio Coſſ. anno etiam antè, hoc eſt, Monaxio & Plinta Coſſ. *Imperatorem* appellatum eſſe vult. A *Proſpero* ſtat *Caſſiodorus*. NOBILISSIMUM CÆSAREM deſcribit numus apud *Octav. Stradam p.209.* Sed Imperatorem tamen fuiſſe, *Olympiodorus* & *Reſcriptum Conſtantii* (quod ex vetuſto codice deſcriptum publicavit *Baronius in A.C. 420.n.2.*) ſatis demonſtrant.

Septimo imperii menſe extinctum, ſcribit *Olympiodorus*; qui adjicit, morbum contraxiſſe ex dolore animi concepto, quòd Theodoſius junior Honorii voluntatem in eo adſciſcendo improbâſſet; quódque aliàs pœniteret ſuſcepti imperii; nec jam ultrà eundi redeundique, quò & quando vellet, libertas eſſet; neque ludicris, quibus ſe oblectabat, operam dare Imperatori permitteretur.

Fuit ſubtriſti vultu ac tetrico, ingentibus oculis, ſublatâq; cervice & plano capite; *inclinans ſe omninò in equi*, quo vehebatur, *collum*; & ſic obliquè huc illuc torquebat oculos: Jucundus tamen, & feſtivus in conviviis; integer, ſanctus, moderatus & abſtinens; multâque famâ ob pecuniæ contemptum celebratus, *antequam Placidiam duceret*: Sed *uxor totum mutavit*, ut multos bonis ſuis per injuriam exueret; quòd apud eundem *Olympiodorum* legimus.

VALENTINIANUS III.

Valentinianus quo tempore natus? Cæſar & Imperator factus. Attilæ genus, horribiles tituli, *facta; & num de eo Romanis judiciis ſtandum ſit? Valentiniani mors.*

FL. PLACIDIUS VALENTINIANUS, Conſtantii & Gallæ Placidiæ filius, naſcitur a. d. 5. Non. Jul. Monaxio & Plinta Coſſ. hoc eſt, A. V. 1171. Sic habet *Marcellinus Sirmondi*. At *Onuphrius* a. d. 6. Non. Jul. quem ſequitur *Baron. in A. C. 418. n. 83.* Cæſar appellatus à Theodoſio conſobrino,

ſobrino, Victore & Caſtino Coſſ. A. V. 176. Idem *Marcellinus, Proſper*, & *Caſſiodorus*. Cum matre ſtatim mittitur ad vindicandum Occidentale imperium à *Johanne tyranno*. Idem cum *Socrate lib. VII. c. 23.* & *Idatio in Chron.* Quo victo, etiam *Auguſtus* appellatur, ſe & Theodoſio XI. Coſſ. *Iidem.*

Sub hoc Principe novam procellam *Septentrio* effudit in provincias Romanas, & omnium provinciarum caput *Italiam*. Irrupit enim *Attila*, genitus avo Velambro, qui primus *Scythiam* invaſit; & patre Mundzucco, quem alii Mundiuchum, alii Mazuchum, alii Bendecuzum ſcribunt. Legendus *Erycius Puteanus lib. I. Hiſt. Inſubr. p. 45.* Qui majorum ſerie ad ipſum *Nimrodum*, Noachi pronepotem, genus ejus producant, ſuprà docui.

Ferali hoc programmate ſeipſum jactâſſe volunt: ATTILA MUNDIZICZI F. & M. NIMRODI N. EDUCATUS IN ENGADI, DEI GRATIA REX HUNNORUM, MEDORUM, GOTHORUM ATQUE DACORUM, PAVOR ORBIS ET FLAGELLUM DEI; ut eſt apud *Bonfinium lib. III.* Ajunt etiam *Epiſcopo Tricaſſinorum S. Lupo* cùm obviam iret, ac quæreret: *Tu quis es, qui terram diſſipas atque conculcas?* reſpondiſſe: *Ego ſum Attila, Hunnorum Rex, & flagellum Dei.* Tunc rurſus Epiſcopum, reſeratis portis: *Ergò bene venerit flagellum Dei! Anton. Florent. part. II. tit. 1. §. 4.* Item, cum videret Romanum exercitum fugientem, dixiſſe fertur:

Stella cadit, tellus tremit: En ego malleus orbis!

Joh. de Thuroëz part. I. Chron. c. 16. qui auctor in rerum Ungaricarum Scriptoribus reperitur.

Volunt huic Regi animum potiſſimum feciſſe *gladium*, qui *Martis* olim creditus, & à *Scytharum Regibus* æquali cum Deo honore cultus, miro caſu in illius manus devenerit. Paſtorem, cùm pro more pecus cogeret, buculam claudicantem ex vulnere ſibi notâſſe, cauſæq; indagandæ cupidum omnia vaccæ veſtigia, quæ defluens ſanguis inſignia fecerat, curioſè relegiſſe; tandemque in hunc ipſum gladium incidiſſe, ſolâ cuſpide extantem. Hinc altiùs molitum, terram eruiſſe, & Attilæ donum tuliſſe; qui eâ ipsâ nocte ſibi in ſomnis armari præcingiq; à Marte viſus ſit. Ita veluti certum imperium orbis terrarum ſibi cum gladio offerri, eidem poſtea humani generis ſanguinem propinâſſe. Rem *Priſcus*, Attilæ σύγχρονος, & qui à Maximino Imperatoris Romani legato comes legationis aſſumptus eſt ad Attilam, primus hiſtoriæ ſuæ inſeruit; & ex eo deſcripſit *Jornandes*, ex hoc *Brunnerus lib. IV. Annal. Boicorum p. 472.*

Arma primùm convertit in *Gepidas*, deinde in *Sarmaticas* nationes; poſtea *Mœſiâ* & *Daciâ* & *Pannoniâ Viſegothos* exuit; & *Iſtri* fluminis propugnacula, queîs Romani ſe ab irruentibus muniebant, nullo labore ſuſtulit; & in *Macedoniam Aſiamque* penetravit: Quam ubi pacatam reperit, mox in *Pannoniam redit*, ibique ſedem ſuam figere decrevit; tàm locorum captus amœnitate, quàm opportunitate retinendi

nendi ſub ditione ſuâ nationes, quas devicerat. Sic in ea aliquantùm temporis inſumſit, & quamvis totius interim Occidentis imperium ſomniaret, tamen ſe continuit, donec à *Geizerico*, Vandalorum Rege, in *Africa* ſolicitaretur ad bellum *Theodorico*, Viſegothorum Regi, inferendum.

Tum ferè totus orbis colliſus eſt: Nam Viſegothis ſe adjungebant *Romani*, & Romanos ſequebantur *Franci*, *Saxones*, *Burgundiones*, *Alani*, *Riparioli*, *Lambrones*, *Sarmatæ*, *Armoritiani* & *Liticiani*; ac pænè omnes Occidentis nationes. *Theodoricus* immenſam Viſegothorum multitudinem trahebat cum duobus filiis *Thoriſmundo* & *Theodorico*: *Attalæ* auxiliares erant *Marcomanni*, *Quadi*, *Suevi*, *Heruli*, *Turcilingi* ſive *Tungri*, *Rugii*; ut quingentorum millium expleret exercitum. Primo impetu Tungri Coloniaq; deleta, Rex Burgundiorum, antequam *Theodorico* & *Aëtio* (id duci Romano nomen erat) ſeſe conjungeret; copiis & vitâ ſpoliatus, *Aurelianum* oppugnata & capta: Quò minùs diriperetur, Aetii adventum prohibuiſſe volunt.

Tunc *Attila* retroceſſit in campos *Catalaunicos*; quos alii propè *Toloſam*, alii propè *Aurelianum*, alii alibi collocant. In his campis celeberrima illa pugna depugnata eſt, quâ utrinque *centum octoginta millia*, vel ut alii, *centum ſeptuaginta millia*; vel ut ii, qui minimum ponunt, *centum ſexaginta duo millia* cæſa ſunt; exceptis nonaginta *Francorum* & *Gepidarum* millibus, qui ante hanc pugnam *mutuis vulneribus* conciderant.

Occu-

Occubuit & *Theodericus* Rex in victoriâ, cui filius *Thoriſmundus* poſtero die tùm vulnere, quod acceperat, tùm dolore amiſſi patris exacerbatus, admovit copias *Attalæ caſtris*, è continuâ *plauſtrorum ſerie* conſtantibus. Rex, licet ex deſperatione in ignem ſe injicere cogitaret, tamen collecto animo per varios dolos ab oppugnatione caſtrorum deterret hoſtem. *Aëtius* quoque metuens, ne *Hunnis* funditùs deletis, imperio Romano victores *Gothi* graviores eſſent, *Thoriſmundum* hortari cœpit; ut ad propria reverteretur, antequam *Valamerus* frater, vel alius quiſpiam ſceptri prædo illum excluderet. Ita dimiſſus *Attila*, in reditu *Tungrorum* metropolim diripuit; & hinc in *Pannoniam* ſe contulit, vires reparaturus; quod brevi factum eſt.

Sed *Attila* non jam *Gothos*, ſed ipſam *Italiam* petiit. Auxit Italiæ metum horrendum prodigium, *tres lapides è cœlo* lapſi. *Valentinianus* Alpes inſedit, Aquilejam munivit, *Aëtium* è Galliâ ad defenſionem Romæ accivit: Quibus rebus impeditus Attila, ſive *trans Danubium* hiematum ivit, ut quidam ajunt; ſive ad *Illyricum* & *Dalmatiam* ſe convertit, atque expugnavit *Tragurium*, *Sibinicum*, *Belgradum*, *Jadream*, *Segnam*, *Polam*, *Parentium*, *Æmoniam*, ut alii. Pubeſcente vere, & invitante molli Zephyro, ſe in *Italiam* vertit; & occurrentem Romanorum exercitum, haut procul *Tergeſtino* ſinu fudit, ac delevit. Sic effracto Italiæ obice, per *Carnos* in *Forum Julii* venit; & *Aquilejam* aggreſſus, toto *triennio* obſedit, donec caperet. Unâ eâdemque flammâ *Concordia*, *Opitergium*,

gum, *Altinum*, *Patavium*, *Ateſte*, *Mediolanum* conflagrârunt.

Per has ſtrages & ruinas ibat ad delendam Romam: Ibi *Leo* Pontifex obviam venit, & pro urbe iram ejus ſupplex mitigavit. Addiderunt, qui ad Sanctorum cultum delapſi, nil niſi Sanctorum apparitiones & miracula vel ab imaginibus, vel à reliquis edita; roborandis perſuaſionibus ſuis velut ex tabella recitant, *Attilam ſpecie D. Petri & Pauli territum*, auctoritati Pontificiæ ſe ſubmiſiſſe; & à Romanis civibus abſtinuiſſe manus. Nos ex *Priſco* (quem *Jornandes* citat) diſcimus, *Attilam* revocatum ab amicis, non quòd urbi conſultum vellent, ſed quòd *Alarici fatum* cogitarent; qui expugnatæ Romæ non diu ſupervixit.

Tradit etiam *Callimachus*, in eâ multos opinione fuiſſe, *Attilam* tractabili mitique naturâ in ſupplices, ingenio doctrinâque *Leonis* victum. Vultum avertent ad hoc verbum, quibus ex communi Scriptorum Romanorum conſenſu ſedet, Attilam tyrannorum ſæviſſimum fuiſſe, regnum in perniciem orbis terrarum iniiſſe; latronem potiùs quàm militem, velut in macello publico in omnes mortales gladium Martis, ſub inferorum incudibus, ad hanc lanienam percuſſum, ſtrinxiſſe; nec ſuâ naturâ unquam, niſi ad atrocia inclinâſſe. Ipſam faciem, mentis ſpeculum, intueri nos jubent; quam numi repræſentent, inhumano luridoque pallore, ac efferi oris monſtroſo ductu & torvâ oculorum nictatione terribilem. Numum talem in muſéo θαυματοταμείῳ Rudolphi II. Imperatoris

peratoris fuiſſe, teſtatur *Berneggerus in Diſp. de Regni Hung. th. 239.*

Ego verò ſcio Romanas artes: Romanis inimicus nunquam à Romanis expectat aliud, niſi perfidiæ, & crudelitatis elogium. Contra Principes ſuos quæ non ſcripſerunt apertè falſa & impudentia? quid externis faciant? Quod ſi excitari poſſent ab inferis, qui res Attilæ cognitas habuerunt, factionibus minimè dediti; quàm multa vanitatis, levitatis & impudentiæ manifeſta eſſent! Superſunt tamen, licet pauca, & disjecta paſſim, & quaſi in amplo quodam naufragio diſſipata; quæ per ſedulam operam vincere vulgi opinionem, conſenſum hominum inveteratum ſuperare; perſuaſionem de Attilæ feritate tollere poſſent.

Auctor eſt *Aventinus lib. II. Ann. Boicorum p. 103.* complura ſe vidiſſe de virtutibus Attilæ carmina, patrio ſermone, more majorum, perſcripta; & quidem in bibliotheca *B. Heimeracii* de rebus ab Attila geſtis, reperiſſe *opus heroico verſu*, & latinâ linguâ non ineleganter factum. Ex illo libro duos iſtos verſiculos deſcripſit:

Fœdera ſupplicibus donat, ſternitq; rebelles;
Ultra millenos fertur dominarier annos.

Quæ ipſa valdè ſtabiliunt *cauſam* illam poſteriorem, quam dedi, *cur Attila Romæ pepercerit?* Fuit hujus quoque ſententiæ *Thurocz*, rerum Hungaricarum Scriptor; cujus verba ſunt *præfatione in Part. I.* Chronici: *Externarum nationum invidiam exactis per ipſum Regem Attilam victoriis, condignum præconii ſubtraxiſſe ſtylum, & eidem Regi Attilæ gloriam imperia-*

imperialis nominis demſiſſe puto: Neque per ipſum geſtarum rerum in decus quippiam præterquam illatas miſerias, lugubris carminis inſtar, ſcripſiſſe inveniuntur. Idem judicavit *Alb. Molnarus in Lexico Latino-Græco Hungarico*, quod Heidelbergæ exſcuum eſt A. C. 1621: *Si Attilæ Homerus aliquis, aut Scriptor idoneus contigiſſet; rerum ab eo geſtarum laudes exuperarent etiam decantatiſſimorum Regum encomia, & epinicia. Quæcunque enim vel in infeſtorum ejus hoſtium monumentis de eo leguntur, bellicam prudentiam, ac planè heroicam magnanimitatem indicant omnia.* Hæc ille.

Ut à capite ordiar: Quamvis erroneæ religionis eſſet, natus parentibus Ethnicis; tamen piè ſentiebat: *Nullo ſanctiore ſacrificio Deos piari, quàm ſi juſtè & beneficè inter homines agitaretur*; teſte *Callimacho*, experiente Hiſtorico. A quo animo quis dubitet, multa laudabilia profecta eſſe? Religioni Chriſtianæ quantum honorem habuit in ipſis Epiſcopis? à *Lupo* Tricaſſinorum, à *Leone* Romanorum Pontifice *exarmari ſe paſſus* eſt; quod rariſſimè profectò accidit in bellis, quæ Chriſtiani contra Chriſtianos gerimus. Unde inter milites ipſius jactatum eſt per jocum: *Haud immeritò* Leoni *ceſſiſſe, qui* Lupum *in Galliâ reformidâſſet.* Item: *Plus apud Attilam poſſe ferarum nomina, quàm hoſtium armatas acies.*

Jam à *R. O. M. A.* hoc eſt, *Radice Omnium Malorum Avaritia*, quæ Romanos in bella non neceſſaria egit, Romanos magiſtratus ad cædes innocentibus

centibus parandas compulit, omneſque provincias omni Attilâ crudeliùs laceravit, fœdavit, exhauſit; tàm alienus Attila fuit, ut veteri inſtituto majorum pecunias & opes contemneret. Sæpè dicere ſolebat: *Miſeros eſſe mortales, qui ea curent, quorum in amiſſione plus doloris ſit, quàm in poſſeſſione voluptatis!* ut deſcribit idem *Callimachus.*

Jam ſingulari illâ *temperantiâ* quàm non plerosque in ruborem dare poſſit, cum *aqua* & *plebeja pulte* contentus in publico pranderet; & hoc exemplo ſuos etiam milites imbueret? ut apud eundem legimus. Sic factum eſt, ut luxum & inſolentiam Romanam Hunnica ſimplicitas & frugalitas ſuperaret.

Nihil dicam de *virtute militari*, quâ parem illo ævo vix habuit. Totum orbem ſedibus ſuis excitare Romani coacti ſunt, ut reſiſterent. Hæc verò & alia infinita eò usque admirationis perduxêre *Callimachum*, ut vix hominem crederet: *Si qua*, inquit, *humanæ virtutis modum in eo viro ſupergreſſa videbuntur, relato ad Deos originis argumento fidem accipiant.*

Sed urgent Romani *parricidium*: Fratrem enim *Bledam*, ut ſolus rerum potiretur, interfeciſſe dicitur. Quid ſtatuam? in mentem eſt illud Juvenalis, ſat. II:

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?
Quis cœlum terris non miſceat, & mare cœlo,
Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni?
Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegum.

Addo, ſi Attilam parricidii reum inſimulet parricida

Roma-

Romanus, *parricidio Roma dedicata eſt*; ait S. Hieron. ep. 4. *Primâ victimâ Remus munitionem urbis novæ ſanguine ſuo conſecravit.* Flor. lib. I. cap. 1.

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri:

Lucanus lib. I. Quis *Octavianus Auguſtus*, quem imperii Romani conditorem *Romulum* dicere noluerunt, quòd ſanctiore & reverentiore nomine dignus videretur (*Florus lib. IV. c. 12. §. 66.*) *Marcellum* generum, & è ſorore nepotem ſuum, adoleſcentem omninò alacrem, ingenio pollentem, ſed & frugalitatis continentiæque in illis aut annis aut opibus non mediocriter admirandum, patientem laboris, voluptatis alienum (*Senec. Conſol. ad Martiam c. 2.*) Antonii Muſæ medici flagitiis uſus, occidit, ut ex *Tac. lib. II. Ann. c. 41. & Plin. lib. VII. c. 45.* alibi probari memini.

Quid paganos loquor? *Conſtantinus M.* furore quodam concitus, ex ſuſpicione de nefariâ filii cum novercâ conſuetudine, eundem quamvis egregiâ virtute juvenem, veneno ſuſtulit. *Conſtantius* immaniter, vel in ſanguine conjunctiſſimos quosque ſæviit, interfectis *duobus patruis* & *ſex conſobrinis*, tùm ſuis tùm Juliani Cæſaris. *Conſtantem* etiam, Conſtantini M. filium, complures ajunt *Conſtantinum fratrem* natu majorem, fraude circumventum, nihil tale expectantem, immiſſis militibus necâſſe. Quæ poſſint eſſe triſtores cædium tragœdiæ, quàm iſtæ ſunt? Et tamen ſub Quirini nomine *Romulus pro Deo* cultus eſt: *Auguſtus Pontifex Max.* & *Pater patriæ* domi foriſque, & inter ſigna militaria pari honore affectus eſt. Idem venerationis genus Conſtantino M. habitum voluit.

Nimirum hîc molliores interpretationes invenîebant locum, conditionem fragilitatis humanæ non pati, ut uni perpetuam rectè factorum gloriam tribuamus; & quod *Theognis* ajebat, *virum bonum interdum malum eſſe; alias bonum eundem.* Attila ob idem facinus perpetratum atroci cum verborum contumeliâ execrabilis, diris devovendus, impuriſſimus, bellua denique vocandus eſt. *Iniquè verò iraſcimini alieno ſceleri, ſtultè ignoſcitis veſtro, quod idem eſt. Ut abſolvamini, ignoſcite*, moneo vos è *Senecæ lib. VII. de Benef. c. 8.*

Sed quid id dico? Unde ſumus certi, *Bledam* innocentem periiſſe, nullius conjurationis, nullarum inſidiarum reum? Hoſtibus adverſus Attilam loquentibus credere non poſſum; quia non erubuerunt, *falſiſſima* quæque *de Hunnis* poſteritati tradere; quale illud eſt: Dæmones per eremum vagantes cum magis mulieribus à *Filimere*, Gothorum Rege, expulſis ſe miſcuiſſe; unde natum ſit ferociſſimum Hunnorum genus. *Bernegg. de Hungaris, theſ. 107. 108.* At recepta JCtorum ſententia eſt, *inſtrumentum falſum in uno, falſum cenſeri in omnibus.* Quæ Attilæ reverentia fuit erga Deos & juſtitiæ ſtudium, à *Callimacho* deprædicatum; facilè arguunt, *non innocentem* periiſſe *Bledam*, quem *dominationis conſortem* per aliquot annos non dedignatus eſt; ut ex *Marcellini Chronico* patet.

At *in parricidio nulla ſatis juſta cauſa ad ſceleris patrocinia prætexi poteſt*, inquit *Juſtin. lib. XVI. c. 1.* Sed Hiſpanici Senatus judicium, de *Carolo*, ultimâ pœnâ afficiendo, urgere potuit *Philippus II.* pater; cùm

cùm clementiora cenſentibus reſponderet: *Ex naturæ lege ſe plus filium quàm ſemetipſum diligere; ex lege verò Dei ſalutem populi filio, & publicam charitatem privatæ antehabere.* Non immiſcebo me huic controverſiæ; ſed tamen affirmare poſſum, ingens injuſtitiæ & publicæ ſecuritatis nomine momentum, quibus manum poſcentibus prima ſemper auxilia debeantur. Ut juſtus, ut ſecurus ſis ab eo, qui rerum novarum convictus eſt, nec ſpeciem emendatioris vitæ præbet; etiam in fratrem crudelem eſſe præſtat. Paradoxa primâ fronte, ſed juſtiſſima nihilominus lex eſt, quâ *contra primas neceſſitudines gladius permiſſus eſt.* Quæ cùm ita ſint, ſatis apparet, quàm validas adhuc probationes deſideremus; ut *Attilam culeo dignum* cenſeamus.

Alterum Scriptorum argumentum petitum eſt à tot urbium cadaveribus: Reſpondeo *Flori* verbo *lib.III. c.21.§.24.* Bellum erat, & quidem ab ipſis Romanis illatum priùs: Contra *Theodoricum*, Gothum iturus erat; & legatos ad *Valentinianum* miſit Romam, conſtituiſſe exſcindere gentem, publicæ omnium gentium pacis perturbatricem; nil ſibi rei cum Romanis eſſe. Et viros eos fortes ac bonos credere, quorum imperium & latè pateret, & æquiſſimo à ſubditis ferretur animo. Pollicebatur prætereà, ſi ex uſu fore appareret, initurum ſe cum illis fœdus & amicitiam; viresq; & conſilia communicaturum. Ita refert *Callimachus.*

Sed addunt, fraudulenter egiſſe, ut Gothis & Romanis ſeparatis, utrumque dein faciliùs opprime-

ret. Quicquid ſit, *Aëtius*, Valentiniani dux, *invaſit* primùm *Attilam*, non Attila Romanos. Et quid tot urbium lamentantur ruinas? Roma, quæ nationes omnes ſceleribus, rapinis & cædibus irritavit, clementem victorem experire potuit, cùm ſupplex fieret; aliæ civitates non poterunt? Id verò mirum videatur, ni, quod exiſtimo, pleræque ad ultimum pertinaciter victricia arma moratæ ſunt. Fuit in illarum poteſtate, Attilam clementem an crudelem experiri mallent?

Aquileja reſtitit per *triennium*: Quid indignamur, ſi per vim expugnatâ, non deditâ, cives occiſi, & omnia inflammata ſunt? *Quantò bellum minoris periculi, tantò mitior victoria eſſe ſolet*, ait *Juſtin. lib. I. c. 7. §. 6.* Quod ipſum vult *Liv. lib. XXVIII.* dicens: *Mitior victoria fuit, nec tantundem noxæ admiſſum erat, & aliquantum iræ lenierat voluntaria deditio. Supplices nihil abnuendo veniam omnium accipiunt*, ut docet *Tacitus lib. II. Ann. c. 22.* Item: *Pœnitentia in tempore oboriens iis, qui peccárunt, ad veniam dandam provocare læſos ſolet*; verba ſunt *Procopii lib. II. Vandal.* Cùm in *Armeniâ* oppidani, portis ſponte patefactis, ſe ſuaq; *Romanis* permiſiſſent, id quidem ſalutem illis tulit; ut ſcribit idem *Tacitus lib. XIII. Annal. c. 41.* At *quibus ſurdæ aures ad utile conſilium, pertinacibus armis minùs placabilem victorem relinquunt ſibi & ſuis.* Idem *lib. III. Hiſt. c. 67.* *Adhæc victores, morantibus victoriam, irati trucidabant, quos pellere non poterant* Liv. *lib. XXII.* Sic commune victorum jus ſecutus eſt Attila, cùm duriùs haberet illos, qui capti quàm dediti eſſe maluerunt.

Quòd

Quòd ſi Attilam in comparationem venire juberem cum Romanis, næ ille præ iſtis ovicula videri poſſet. *Caucai*, populus *Hiſpanicus*, ſupplices ad *Lucullum* miſerunt, pacem & fœdus quacunque lege facturos: Ille obſides, argentum, & equites auxiliares imperat; quod illi in ſe recipiunt bonâ fide. Imperat porrò, ut præſidii loco duo millia millitum accipiant; obſequuntur. Sed hi portas occupant, Lucullus cum toto exercitu ſequitur; & inductis omnibus copiis, ſine diſcrimine, ſenes, pueri, viri, fœminæ interficiuntur. O ſanctum & egregium populum!

Cive Romano per orbem nemo vivit juſtius,
Quippe malo unum Catonem, quàm trecentos Socrates.

Ut Romanus Poëta cecinit. Eâdem virtute *Luſitanos* fœderatos invaſit *Servius Galba*: Et cùm omnia feciſſent ſedulò, quæ juſſerat; arma poſuiſſent, quæ contra populum Romanum non ſumpſerant; immiſſæ copiæ, quæ fidem ac Deos implorantes ad unum omnes occiderunt.

Quæſo vos, an tale quid unquam factum ab Attila? Sic *Auſonum* gens deleta eſt, ſic *Abderitæ*, vel ſecuri percuſſi, vel ſub coronâ venditi: Sic *L. Æmilius Paulus in Epiro*, cùm ſpecie liberandæ provinciæ in omnia oppida milites ſuos induxiſſet, *uno die oppida 70.* delevit; quot non, credo, per omnem vitam excidit Attila. Sed & egregium Romanorum morem notat *Polybius*, ſolitos captis civitatibus, non tantùm homines occidere; ſed & *canes diſſecare, & aliorum animalium membra truncare.*

Lipſ. lib. IV. Admirand. c. 8. excuſat, & ait, cauſam aliquam huic rei fuiſſe terrorem; cùm non facilè ſit alioquin, manum & finem bellis imponere, niſi hæc interdum frangendæ potentiæ adhibeantur. *Si hoc pro Romanis facit, faciet & contra Romanos pro Attilâ.* Et tantum afferre volui, ut Hiſtoricorum genius notior fieret, quàm eſt; & ſimul *ad libertatem* excitaretur *lector*, cui plerumque vim faciunt auctoritas, & multitudinis aſſenſus. Poſſem addere, non fuiſſe Attilam tam immitem adverſariis ſuis, quàm Romani temporibus *Sullanis*, *Marianis* & ſub *Triumviris*, multisq; Cæſarum fuerint ſibi & provinciis ſuis. Sed ſatis eſt.

Nunc ad VALENTINIANUM revertor, & in *Beſoldo* quidem non probo, qui legitimum hunc Imperatorem *in Synopſi minore* prorſus omittit; & *Attilæ* expeditionem contra *Daciam* & *Pannoniam* ſuſceptam ſcribit, imperante *Marciano*. Fallitur graviſſimè: Nam Hunnorum Reges, ut ſcribit *Marcellinus*, in Daciam, Pannoniam & alias Illyrici provincias irruperunt, Eudoxio & Dioſcoro Coſſ. A. V. 1194.

Altera expeditio Attilæ, quâ pænè totam Europam occupavit, incidit in Alypii & Ardaburii Conſulatum, hoc eſt, in A. V. 1199. cùm Marcianus Imperator appellatus ſit A. V. 1202. Valentiniano VII. & Avieno Coſſ. Pugnam demum *inter Aëtium, Theodoricum* & *Attilam* depugnatum quidam volunt (& ex his *Idatius in Chronico*) jam ad imperium evecto Marciano. Sed illud ipſum *Marcellinus* dubium facit, qui *Aquilejam* captam ait Herculano & Aſporatio

ratio Coſſ. hoc eſt, anno ſecundo Marciani. At eadem obſeſſa ferè per *triennium*, quod nemo negat. Ergo cœpta obſidio A.V.1201. Aſperio & Protogene Coſſ. anno ante Marcianum Imperatorem creatum. Rurſus & illud novimus, pugnâ illâ in campis *Catalaunicis* recentiorem eſſe obſidionem *Aquilejæ*. Unde dicendum foret, Poſthumiano & Zenone Coſſ. hoc eſt, A. V. 1200. biennio ante imperium Marciani pugnatum eſſe adverſus Attilam. Quicquid ſit, ſive in Marciani principium incidit illa pugna, ſive non; *falſum*, quod *Beſoldus* ait, *temporibus Marciani Daciam & Pannoniam occupatas ab Attila.*

Notandæ verò & aliarum gentium irruptiones in Romanum imperium præter illam, quam fecit Attila; ut cauſæ imperii Romani, penitus collapſi per illa tempora, magis cognoſcantur. *Bonifacius* dux maximus, *Aëtii* calumniis petitus, *Vandalos* in *Africam* pertraxit. Quod fuſiùs *Procopius* exponit *lib. I. Vandal.* Carthago capta a. d. 14. Cal. Nov. Theodoſio XVII. & Feſto Coſſ. A. V. 1191. *Idatius* & *Marcellinus*; niſi quòd hic 10. Cal. Nov. ſcribit.

Iisdem temporibus *Galliam* invaſére *Franci*; & quamvis *Aëtius* proſperè pugnâſſet, Felice & Tauro Coſſ. ut ſcribit *Proſper*, hoc eſt, A. V. 1180. tamen non diu pòſt cum *Attilá* ſe in *Gallias* rurſus immiſêre; ut ex *Sidonii panegyrico, Majoriano dicto*, apparet.

Idem fatum *Britanniæ*, quàm *Picti, Scoti, Angli* & *Saxones* ſuam fecerunt. In *Hiſpaniá Vandali* Carthaginem & Hiſpalim, *Gunderico*, Geiſerici fratre, duce, deſtruxerunt; Felice & Tauro Coſſ. A.V.1180.

Idatius. Sequente anno *Geiſerico* in Africanam expeditionem intento, *Suevi Hiſpaniæ* quasdam provincias depopulati ſunt; quod & factum ſequentibus annis. Suevorum tum Rex erat *Hermericus*, cui ſucceſſit *Rechila*; Rechilæ *Rechiarius* filius. *Idem*. Conſulendus etiam è recentioribus de tot nobiliſſimorum provinciarum jacturâ *Onuphrius in lib. de Imperio Romano p. 922. usque ad p. 936.*

Totius imperii Occidentalis ruinam & ipſe *Valentinianus* triſti fato ſecutus eſt, cæſus in ultionem *Aëtii*, & ob libidinem à *Fl. Anitio Maximo* a. d. 16. Cal. April. Se VIII. & Anthenio Coſſ. A. V. 1207. *Caſſiodorus, Idatius* & *Marcellinus in Chronicis, Evagrius lib. II. c. 7. Procop. lib. I. Vandal.*

JOHANNES TYRANNUS.

HIc imperium *Occidentis* invaſit, Honorio defuncto, Mariniano & Aſclepiodoto Coſſ. A. V. 1175. ut vult *Idatius*: At *Marcellinus*, ſequente demum anno rebellionis initium ponit. Theodoſius, cùm id accepiſſet, mittit *Helionem*, Officiorum magiſtrum; qui *Valentinianum* Cæſaris veſte induit. Nihilominus initia *Johanni* valdè proſpera; captus *Ardaburius*, & ad magnam deſperationem *Placidia*, Valentiniani mater, redacta. Sed paulò pòſt *Candidianus* rem contra tyrannum feliciter gerit, multis occupatis urbibus, ut ſcribit *Olympiod. apud Photium Cod. LXXX.* Ipſe tyrannus occiſus eſt, fraude tamen magis quàm virtute. *Procop. lib. I. Vandal.* Meminit ejus nummus apud *Goltzium*: D. N. JOHANNES. P. F. AUG.

MAR-

MARCIANUS.

FL. MARCIANUS (ita numus apud *Occon. p. 575.* appellat) Theodoſio juniore mortuo, *Pulcheriæ,* Theodoſii ſororis, *& exercitus ſtudio*, imperium *Orientale* adeptus eſt, Valentiniano VII. & Avieno Coſſ. A. V. 1202. *Marcellinus*, *& Idatius in Chron.* Statim hanc *Pulcheriam in matrimonium* aſſumſit. *Idatius d. l.* De hâc numus: FL. PULCHERIA AUG. Fuit Marcianus tum admodum ſenex, & Pulcheria etiamnum *virgo*, ſed *annorum unius & quinquaginta*; utpote nata ſub Coſſ. Theodoro & Eutropio A.V. 1151. *Baron. in A.C. 450. n. 17.* Idem *Thrax*, & filius cujusdam militaris.

Sub eo *quartum* habitum *Concilium Chalcedonenſe* contra Dioſcorum & Eutychen. *Rittershuſ. lib. II. Lection. Sacr. c. 11.* incidit in ipſius Marciani & Adelphii Conſulatum, hoc eſt, A.V. 1203. ſecundùm *Marcellinum.*

Contra *Hunnos*, qui multas Italiæ civitates diripuerant, idem Marcianus, *Aëtio* duce pugnavit feliciter; ut vult *Idatius.* Ipſe *Attila* paulò pòſt, cùm *nuptiis celebratis* (puellæ nomen, quam duxit, fuit *Hildico)* vino largiùs ſe invitâſſet, & ſupinus noctu quieſceret; *eruptione ſanguinis*, qui de naribus aliàs ſolitus erat effluere, *ſuffocatus* & extinctus eſt; ut ſcribit *Paulus Diaconus. Marcellinus* tamen ait, *hortatu Aëtii*, à muliere noctu confoſſum. En Romanam dextram, fidemque!

Jam ab Attilâ pacem Valentinianus emerat. Mortuo Attilâ populi, qui imperio illius ſuberant, ſe

in libertatem aſſeruerunt; *Gepidæ Daciam*, *Oſtrogothi Pannoniam*, à Sirmio ad Vindibonam, *Sarmatæ*, & quidam *Hunni* ſedes in *Illyrico* ad caſtrum Martenam; *Rugi* aliiq; Scandiopolim; Scythiam minorem & inferiorem Mœſiam *Siyri*, *Satagarii*, *Alani*, duce *Candace*, acceperunt; ut ſcribit *Jornandes in Geticis*. Ait ibidem, *Marcianum* Imperatorem illâ nocte, *arcum Attilæ fractum* eſſe (ſecundùm quietem objectâ divinitùs ſpecie) intellexiſſe.

Moritur hic Princeps Conſtantino & Ruffo Coſſ. A.V.1209. *Marcellinus* & *Caſſiodorus in Chron.* a. d.17. Cal.Febr. *Theodorus Lector in Lectionibus c.1*, Septimo imperii anno, *Idatius in Chron.* Rectè *Baronius in A.C. 457. n.2:* Poſt Conſtantinum Magnum non reperiri inter Orientales Imperatores, qui cum hoc comparandus fuerit.

MAXIMUS.

SEquuntur *in Occidente* non Principes, ſed *fungi*; qui ut nati ſunt, ſic perierunt. Dixit vetus Poëta:

Conſules fiunt quotannis & novi Proconſules:
Solus aut Rex aut Poëta non quotannis naſcitur.

Quod de bonis Principibus verum: Nam *inertium & malorum annona viliſſima eſt.* FL. ANICIUS PETRONIUS MAXIMUS (ita vocatur in numis) interfecto Valentiniano, Romæ Auguſtus factus *Eudoxiam*, Valentiniani viduam ipſe duxit; *Palladio* filio Cæſari, à ſe creato, filiam ejusdem uxorem dedit, Valentiniano VII. Fl. Antonio Coſſ. A. V. 1207. Occiditur tertio menſe, ut ſcribit *Marcellinus*; quarto, ut

to, ut *Idatius*. Fuiſſe ex ſtirpe illius *Maximi tyranni*, quem Theodoſius Magnus ſuſtulit, ſcribit *Procop. lib. I. Vandal.* Eodem anno urbs *Roma* à Vandalis *iterum capta* eſt; quos *Eudoxia* per ſummum ſcelus evocârat ex Africâ. *Baron. in A.C. 455. n.6. & ſeqq.*

AVITUS.

FL. MÆCILIUS AVITUS (ita deſcribunt numi) quem Maximus Præfectum prætorio creavit, occiſo eodem Maximo, à S. P. Q. R. Imperator creatus, *cum Marciano* Imperatore Orientali, *& Theodorico* Gothorum Rege *fœdus* iniit. *Idatius*. Erat domi militiæq; ſpectatus, nobiliſſimo ortus genere; ut eum deprædicat *Sidon. in Paneg.* ſive ſponte ſive coactus (nam utrunq; traditur) *abdicavit*, Johanne & Varane Coſſ. A. V. 1208.

LEO.

FL. LEO, *Thrax* genere, ut ſcribit *Nicephorus Calliſtus lib. XV. c. 15.* è Dacia Illyrica oriundus; ut *Candidus apud Phot. Cod. LXXIX.* Cùm militari agmini, *Selymbrianisq;* cohortibus præeſſet, *Aſparis* ſtudio imperium Orientale adeptus eſt; Conſtantino & Ruffo Coſſ. A.V.1209. Imperavit per annos XVII. Sub eo *Conſtantinopolis* orto *incendio ferè tota* conflagravit. *Marcellinus* rejicit in Conſulatum Baſiliſci & Hermenerici A.V.1217. Fama fuit, *à dæmone ſubditos* ignes. *Baron. in A. C. 465.*

MAJO-

MAJORIANUS.

FL. JULIUS MAJORIANUS apud *Ravennam*, poſt Avitum Occidentalis Imp. creatus eſt à militibus, annuente Marciano; Conſtantio & Ruffo Coſſ. hoc eſt, A. V. 1209. *Marcellinus in Chron.* Quarto imperii anno, Dagalaifo & Severino Coſſ. A. V. 1213. apud *Dertonem* juxta flumen interemptus eſt. *Idem.* Vide plura apud *Baron. in A.C.458.n.2.3.*

SEVERUS.

FL. LIBIUS SEVERUS (ita vocatur in numis *Occonis* & *Caroli Croyi*, *Illuſtriſſimi Ducis Arſchottani*; *Onuphrius* & *Goltzius*. VIBIUM dixerunt non benè) poſt Majorani cædem ſtatim Occidentale cepit imperium, adjuvante Fl. Ricimere. *Marcell. in Chron.* Sed, ut vult *Idatius*, à Senatu Romæ appellatus. Ejusdem *Ricimeris dolo* veneno tollitur, Herminerico & Baſiliſco Coſſ. A. V. 1217. *Caſſiodorus.* At *Sidonius* ait, ſuo morbo interiiſſe; quem *Paulus Diaconus* ſequitur. Ignotus & obſcurus, niſi quòd conſtitutio illius una vel altera ad nos pervenit. Poſt obitum ejus *interregnum* fuiſſe, ſatis manifeſtum eſt ex *Marcellino*, & *Caſſiodoro.*

ANTHEMIUS.

EO usque ventum eſt, ut terrarum Dea ne principem quidem facere poſſet; ſed neceſſe eſſet, ut *Imperator Occidentalis Conſtantinopoli* mitteretur. Igitur à Leone Auguſto FL. ANTHEMIUS

miſſus

miſſus eſt, Cuſæo & Johanne Coſſ. A. V. 1219. Marciani Imp. gener fuit. *Nicephorus Calliſtus lib. XV. c. 11.* Procopii frater. *Idat. in Chron.* Opibus & genere magnus. *Procop. lib. I. Vandal.* Occiditur à Fl. Ricimere, genero ſuo, Marciano & Feſto Coſſ. A. V. 1224. *Marcell. in Chron.* à quo diſſentit *Victor Tununenſis*; ſed quem non attendimus, ſæpe corruptiſſimum.

OLYBRIUS.

OLYBRIUS in Anthemii locum creatus, ſeptimo menſe imperii ſui defunctus eſt, ut ſcribit *Marcellinus*, *Idatius*, *Caſſiodorus* & *Paulus Diaconus*.

GLYCERIUS.

G*Undibarius*, Ricimeris nepos, quem Olybrius patricium fecit, *ſpretâ Leonis* Imperatoris *auctoritate*, Ravennæ GLYCERIUM imperii inſignibus induit. Hic Oſtrogothorum Regis fratrem donis & muneribus, jam ferè recepto more, excluſit. Imperio exuitur à Fl. Julio Nepote. *Anonymus Valeſii p. 477.* Attonſus, Clericorum ritu, *Epiſcopus* conſtituitur. *Malchus apud Phot. Cod. LXXVIII.* Factum id Leone juniore Coſ. A. V. 1226. *Marcellinus.*

LEO JUNIOR.

FL. LEO JUNIOR (ita deſcribit numus apud *Occonem p. 578.*) Zenonis F. Leonis Imperatoris N. ex *Ariadne* filiâ. Ab eodem avo materno

terno nominatur Auguſtus Orientis, Leone Auguſto V. Coſ. A. V. 1225. Moritur *infans, & prorſus ignarus, quid accepiſſet, quidq; moriendo relinqueretur;* ut ſcribit *Theodorus Lector.* Tanquam, antequam obiret, patrem Zenonem Imperatorem creavit. *Candidus apud Photium Cod. LXXIX.* Factum id Leone juniore Coſſ. A. V. 1226. *Marcell. in Chron.*

ZENO.

HUnc cùm *Leo ſenior* Auguſtum facere vellet, recuſavit ejus imperium populus. Sed tandem à filio *Leone juniore,* ut volunt, Imperator ſalutatus eſt. In ejus ſententiam ivit Senatus. Fuit Iſaurorum nobiliſſimus. *Anonymus Valeſii.* Natus patre Ruſumbladeoto; apud ſuos Taraſidociſa dicebatur. *Candidus d. l.* Sed ſtatim altero anno ſe II. Coſ. hoc eſt, A.V. 1227. *Verinæ* ſocrus ſuæ, & *Baſiliſci* fratris ejus inſidiis circumventus, cum *Ariadne* uxore, in *Iſauriam* profugit. Idem *Candidus.* Redit ab exilio, Baſiliſco & Armato Coſſ. A. V. 1228. Occaſio fuit hæc: *Verina* ſocrus cum Patricio magiſtro conſueverat; id ægrè ferens *Baſiliſcus* frater, hominem interfici jubet; & Verina ipſa, tum ob libidinem, tum ob res novas periiſſet; niſi eam *Armatus* clàm ſubduxiſſet. Armatus dein cum Baſiliſci uxore adulteratus, cùm ei bellum contra Zenonem committeretur, cum omnibus copiis ad eum defecit. Ita *Zeno* reſtitutus eſt. *Candidus in d. l.* Vitâ decedit, Olybrio ſolo Coſ. A. V. 1242. *Marcell. in Chron.* Vivum ſepultum eſſe ſcribit *Zonaras tom. III. Annal.* Nam uxor, inquit,

inquit, *ebrium ſepulchro inferri juſſit*, idq́; magno lapide obſtrui; ubi nemine ad clamores opem ferente mori coactus eſt. At *Cedrenus* illatum ait, cùm *comitiali morbo* correptus eſſet; & cuſtodes appoſitos *per duas noctes lamentationem* audiviſſe ex ſepulchro: *Miſeremini & aperite mihi!* reſpondentibus, alium jam imperare; precatum eſſe porrò, ut in *monaſterium* ſe abducerent, nil purpuram curare ſe. Adjicit ibidem, aperto tandem ſepulchro inventum eſſe Zenonem, *lacertis & caligis corroſis*; quas *præ fame* dentibus invaſerat.

BASILISCUS.

FL. BASILISCUS imperio privavit Zenonem, & ab eodem rurſus privatus eſt ſe & Armato Coſſ. A. V. 1228. Annum unum & menſes ſex tribuit *Baronius*. Sed alii ſuper annum, menſes octo. Vide de eo *Malchum apud Photium Cod. LXXVIII.*

MARCUS.

HUnc filium ſuum *Baſiliſcus* Cæſarem creârat, ac dein Imperatorem. *Candidus*. Sed cum patre & matre in *Cappadociam* miſſus eſt, ubi omnes *unà concluſi fame* contabuerunt. *Procop. lib. I. Vand. Marcellinus, Candidus,* & *Victor Tununenſis*.

JULIUS NEPOS.

LEo Imperator, auditâ Anthemii Occidentalis Imperatoris cæde, FL. JULIUM NEPOTEM, Nepotiani filium imperio *Italiæ* deſtinavit.

navit. Sed cognito, Glycerium creatum eſſe, miſit eundem Nepotem cum ingentibus copiis, isq; Glycerium regiâ poteſtate exuit; &, ut ait *Paulus Diaconus*, apud *Salonas*, Dalmatiæ urbem *Epiſcopum* fecit. Adde *Marcell. in Chron.* Oreſten poſt hæc contra *Gothos* in *Galliam* miſit; qui & ipſe genere *Gothus* erat. Sed hic cùm poteſtatem ſuam, vireſq; conſideraret, & contra Nepoti nullas eſſe; imperium cœpit meditari. *Gothis* igitur *Italicis* ſibi conciliatis, *Ravennam*, ubi *Nepos* degebat, ocyùs ſe contulit; incautumq; imperio ſpoliavit, & fugere coëgit *Salonas*, A. V. 1227. Zenone Aug. ſolo Coſ. *Marcellinus*; *Anonymus Valeſii*, *Candidus*.

AUGUSTULUS.

FL. Oreſtis Patricii *filius*, ROMULUS AUGUSTUS vero nomine dicebatur; ſed *ob puerilem ætatem* vulgò *Auguſtulus* ὑποκοριστικῶς vocabatur; ut ſcribit *Procop. lib. I. Gothic. in princ. Evagrius lib. XXVI. & Cedrenus p. 288.* Tamen quod mirere, etiam in numis legimus: D. N. AUGUSTULUS. PERP. P. F. AUG. Et: D. N. FL. MOMYL. AUGUSTULUS. P. F. AUG. Vide *Goltz. in Theſ.* De quo tamen valdè dubito, an numum poſteriorem candidè deſcriptum nobis dederit; videtur enim ſcriptum fuiſſe: D. N. ROMUL. AUGUSTUL. P. F. AUG. ſed jam detritum ex corruptioribus Hiſtoricis, qui Momyllium & Momyllum appellant, pro Romulo, ipſe perperam ſupple-

ſupplevit. Et niſi impediret alter, qui Auguſtulum manifeſtè dicit; putarem, nec Auguſtulus, fuiſſe ſcriptum; ſed Auguſtus. Quæ enim vulgus imponebat apud Romanos, ea reperire non licet in ipſorum Principum monumentis. Quis enim in numo legit unquam Caligulam? quis Caracallam? certè numus *Octavii Stradæ* ſic habet: D. N. ROMULUS. AUGUSTUS. P. F. AUG. Et alius, quem ſe vidiſſe teſtatur *Valeſius ad Anonymum ſuum p.440*: IMP. C. ROMULUS. AUGUSTUS. P. F. AUG. Sed, ut dixi, *alter ſuſpicionem abſtinere jubet*, in quo legimus: D. N. AUGUSTULUS. PERP. P. F. AUG. Et ne fidem *Goltzii* in dubium vocare poſſis, confer aureum *Caroli Croyi, Ducis Arſchottani, Tab. LXII.*

Exitum hujus Auguſtuli quod attinet (res enim geſtas habemus nullas, quòd initium imperii cum dejectione conjunctum ſit) *Odoacer*, Scyrorum & Herulorum Regulus, Ædiconis filium, *Auguſtulum purpurâ exuit*; ſed quòd admodū *formoſus adoleſcentulus* eſſet, vitam ei conceſſit, in *Campaniâ* ſecurè & lautè agendam: Nam indulſit præterea magnam pecuniæ vim. *Anonymus Valeſii.* Factum id Baſiliſco & Armato Coſſ. A.V.1228. ut eſt apud *Marcellinum.*

Hic finis Occidentalis imperii Romani veteris fuit; & *imperatorium nomen*, quod *in Auguſto* cœperat, *in Auguſto* extinctum eſt. Adempta quoque Senatui Romano auctoritas, Conſulibus dignitas; ſed quam *Odoacer* poſteà reſtituit: Et qui olim tot potentiſſimos Reges velut unâ manu vicerunt, vel precariò

regnare paſſi ſunt; iis vitam precariam, & leviſſimam priſcæ dignitatis umbram, venientes ex obſcuro Septentrionis angulo permiſére. Vis & poteſtas omnis penes *Herulos*, mox *Gothos*, denique *Longobardos* fuit, usque ad *Carolum M.*; qui totius Occidentis Monarcha potentiſſimus à populo Romano Imperator ſalutatus, idem magnâ virtute reſtitit.

Illud tamen hîc minimè diſſimulandum eſt, altero anno poſt exutum imperio Auguſtulum AMBROSIUM AURELIANUM, ut aliquod ſaltem veſtigium Occidentalis imperii ſupereſſe videretur, ſumtâ in *Britanniis* purpurâ, *Britannos ab Anglo-Saxonum tyrannide* ſtrenuè defendiſſe; quod ex *Gildâ*, *Bedâ* & *Adone* docet *Baron. A. C. 477. n. 30. 31.* Sed id bonum admodùm breve fuit: Quemadmodum illis ipſis temporibus SABINIANUS MAGNUS Illyricianæ militiæ ductor; qui collapſam remp. reſtituturus videbatur, & jam *Gothis* terrori eſſe cœperat; quemq; cum antiquis reipub. ducibus comparabant, antequam cœpti ſui compos fieret, rebus humanis exemptus eſt, A. V. 1232. Placido ſolo Coſ. ut ſcribit *Marcellinus in Chronico*.

TYRANNI.

SERVANDUM quendam, in Italiâ affectatæ tyrannidis reum, occiſum in tumultu militari, obſervavit *Strada*. Nos ARABUNDUM reperimus apud *Caſſiodorum*, ob affectatum imperium, *Anthemii* juſſu, deportatum A. V. 1221. Mariano & Zenone Coſſ. Quosdam ibi legere Ardaburium, ex

notâ

notâ *Sylburgii* cognoſes; quod non placet. Ardaburius, Aſparis filius, occiſus eſt Conſtantinopoli, Leone Auguſto IV. & Probiano Coſſ. hoc eſt, A.V. 1223. unà cum patre & fratre Patricio Cæſare. *Marcell. in Chron. Sidonius lib. I. ep. 7.* fuſè deſcribit judicium, quo Arvandus, Galliarum præfectus, læſæ majeſtatis reus, cauſam dixit ſub Anthemio Imperatore. Inſimulabatur tanquam *Galliarum particulas*, quæ adhuc Romanis parebant, *Erarico*, Gothorum Regi, *prodere* voluiſſet. Hujus igitur nomen ſubſtituam apud *Caſſiodorum*. Sed an idem cum Servando Stradæ? an intellexit Seronatum, qui Galliarum præfectus, ejusdem Anthemii temporibus, majeſtatis judicio poſtulatus, ſcelus capite luit; ut ſcribit idem *Sidon. lib. II. epiſt. 1.* Viderint, qui recentiorum tricas extricare poſſunt, & nos doceant.

FL. RICIMER P. F. AUG. deſcribitur eidem *Stradæ*, quod & ipſum nusquam obſervavi. FL. RICIMER, natione *Suevus*, ut *Ennodius* ait *in Epiphanii vitâ*; ſive *Vandalus* & genere materno deſcendens à *Valliâ*, Gothorum Rege, ut alii; totum ferè imperium per hæc tempora ſuſtinuit. *Avitum* Imperatorem diademate exuit, & è faſtigio ad vitam privatam detruſit. Patriciatus dignitate fuit ornatus à *Majoriano* Auguſto; Vir Illuſtris, *Comes & Magiſter utriusque militiæ* in epiſtolis appellatur, & in conſilium rerumq; omnium ſocietatem adſcitus. Hunc ipſum Majorianum è Galliâ revocavit, & imperio abdicare coactum apud *Iriam* fluvium prope *Dertenam* occidit. *Severo* auguſtalia inſignia injuſſu Leonis Impe-

ratoris Byzantini, *Ravennæ* detulit; *Beorgorem*, Alanorum Regem, prope *Bergomum* fudit ac peremit; quâ victoriâ elatus, magnificos adeò ſpiritus ſumſit, ut *Imperatorem* à ſe factum contemſerit, & *veneno* occultè necârit. Eodem ſcelere Anthemium ſocerum ſuum cum gravi calamitate urbis extinxit; ſed poſt tantum facinus haud ultra 40. dies vixit. Hæc omnia legimus: Sed Imperatorem Auguſtum appellatum apud neminem legere memini.

In Oriente invenio ASPAREM ipſum, tyrannidis affectatæ reum, & occiſum A. V. 1223. Leone Aug. IV. & Probiano Coſſ. apud *Caſſiodorum*. Unà periiſſe filios *Ardaburium* & *Patricium Cæſarem*, ſcribit *Marcellinus in Chronico*. Ex his Ardaburium Cæſarem facit *Evagr. lib. II. c. 15.* quem ſecutus eſt *Strada*. Sed à *Marcellino* ſtant *Victor Tununenſis* & *Candidus apud Photium*. Imò hic auctor eſt, Patricium Cæſarem, licet excepta plaga inopinatò ſalvum evaſiſſe, vixiſſeque: Sic & alium ex Aſparis filiis *Ermenarichum*, quòd tum fortè abeſſet à patre, cædem perinde effugiſſe.

L. AURELIUS TITIANUS P. F. AUG. reperitur in numo *Stradæ p. 250.* Hic verò dicitur, de quo *Aſpar* cum Leone acriter contendit; ut ſcribit *Candidus*. Titianum Conſulem ſuffectum facit *Onuphrius in A. V. 1218.* quo FL. LEO III. Coſ. fuit; quod quia ſine teſte dictum eſt, rejicit *Baronius in A. C. 466. n. 1.*

FL. BASILISCUS, Armati filius, à Zenone Imperatore Cæſar appellatus eſt. *Armato* id debebat

Zeno

Zeno perfidiæ præmium: Nam à *Baſiliſco* Imperatore, cujus *uxorem ſtupraverat*, miſſus contra Zenonem, ad eundem defecit; ut ſcribit *Candidus.* Armatius appellatur apud *Suid. & l. 28. C. de jure dot.* Aliquando & Armaſius, ſed corruptè, *l. 2. C. de Feriis l. 5. de Natur. lib.* Cæterùm non diuturnum proditionis fructum tulit. Occiſus eſt enim ab *Onulpho*, quem pauperem, & recens à barbaris venientem, humaniter ſuſceptum, Comitem primùm fecerat; dein Præfectum Illyricorum, & præterea multis pecuniis locupletaverat. Sed is barbarus homini perfido perfidâ manu gratiam retulit; ut eſt apud *Suidam*, qui haud dubiè *Malchum Sophiſtam* hîc exſcripſit, *Candidus* Armatum *in fruſta diſcerptum* ait; & *Baſiliſcum* ejus filium, Cæſarem *inter lectores in Blachernis profiteri* cœpiſſe. Adde Zonar. tom. III. *Ann. p. 44.*

FL. MARCIANUS, Anthemii Imperatoris filius, ductâ *Leontiâ*, Leonis Imp. filiâ, tyrannidem affectat, ac pugnâ gravi commiſsâ, adverſarios terga dare coëgit; potitusq́; fuiſſet palatio, *ſi tam victoriâ uti ſciſſet, quàm vincere.* Unius noctis mora ruinam illi attulit; nam poſtero die proditus à ſuis, & deſertus, confugit ad ædem ſacram; unde abreptus, *Cæſaream Cappadociæ* demigrat; ibiq́; *inter monachos* latitare voluit: Sed à Zenone Imperatore duci juſſus ad *Tarſum Ciliciæ*, comâ abraſâ, *presbyter deſignatus* eſt; ut ex *Euſtathio Syro* refert *Evagr. lib. III. c. 26.*

PROCOPIUS, ejusdem *Anthemii frater*, inſurrexit, & ſuccubuit eodem tempore. Victus ad *Theodoricum* in Thraciam confugit. *Candidus.*

LEONTIUS & HILLUS, *Iſaurus*, imperium arripuerunt Theodorico & Venantio Coſſ. hoc eſt, A.V.1235. *Marcellin. & Victor Tununenſ. in Chronicis.* Hillum *Zenonis magum* fuiſſe ſcribit *Suidas.* Armatum eò induxit, ut Baſiliſcum proderet. *Candidus.* Conſulatum geſſit ſine collegâ A.V.1229. Vide *Goltz. & Onuphr.* Cum Leontio deniq; in caſtello quodam Iſauriæ *decollatur*, Dynamio & Sifidio Coſſ. A. V. 1239. *Marcell. & Candid.* Ellum corruptè nominat *l. 7. C. de ſecund. nupt.*

ANASTASIUS.

FL. ANASTASIUS DICORUS, *Epirota*, Dyrrhachio ortus, *Ariadnæ* ſtudiis, quamvis nondum Senator eſſet, ad imperium evectus eſt. *Evagr. lib. III. c. 29.* Factum id A. V. 1242. Olybrio juniore Coſ. Vide præter alios *Anonym. Valeſ. p. 480.* Imperatorem factum, *Euphemio Patriarchæ* Conſtantinopolitano *ſuſpectum de fide* fuiſſe ſcribit *Baron. in A.C. 491. n. 7.* Hinc minitabundum compellâſſe illum in hæc verba: *Si ſecus feceris, reſectâ tuâ comâ in triumpho ducam te cum populo.* Sed *Suidas* hæc narrat non de *Anaſtaſio Imperatore*, ſed de *Anaſtaſi* adhuc *Silentiario*; ut docet *Caſaub. proleg. in Exercitat. Baronian.* Imperavit per multos annos. Deſiit enim vel *fulmine ictus*, quod complures volunt; ſeu *morbo* extinctus, quod *Anonymus Valeſii p. 484.* Magno Coſ. A.V.1269. a. d. 7. Id. Jul. Multæ ſub eo *clades* acceptæ *à Bulgaribus, Getis* & *Perſis.* Vid. *Marcell.*

TY-

TYRANNI.

LONGINUS SELINUNTINEUS & ATHENODORUS, *Iſauri*, res novas *contra Anaſtaſium* moliti, triſti fato perierunt. *Marcell. & Victor Tununenſ. in Chronicis.*

VITALIANUM tyrannum ſub Anaſtaſio nominat *Procop. in Arcanâ Hiſtoriâ p. 30.* Genere *Scytha*, ut ſcribit *Marcellinus*, filius Patricioli; ut idem *Procop. lib. I. de Bello Perſ.* Anaſtaſium miris modis vexavit, & urſit. *Cedrenus.* Extincto Anaſtaſio ad remp. revocatur à Juſtino, ſeptimoq; receptionis ſuæ die Magiſter militiæ ordinatur, ac dein Conſul. *Marcell.* Tantæ fuit apud Juſtinum auctoritatis, ut eo inſtante, *Severum* & *Julianum* hæreticos Imperatores *exulare* juſſerit; & *Hormisda Papa* ad eum ſcripſerit de gravioribus Eccleſiæ rebus, ut ex epiſtol. Juſtiniani ad eundem Hormisdam docet *Nicol. Aleman. ad Procop. Arcan. Hiſtor. p. 23.* Tandem Conſtantinopoli intra *palatium Delphicum* inſidiis Juſtiniani occiſus eſt. *Victor Tununenſis* & *Procop. in Arcan. Hiſt. p. 30.*

AREOBINDAM quoque Imperatorem flagitavit in ſeditione populus Conſtantinopolitanus, ut ſcribit *Marcell.* Sed quod petebat, ſucceſſu caruit. Ne confundas hunc cum Areobyndo, Projectæ marito; quæ Juſtiniani à ſorore Vigilantiâ neptis. *Nic. Aleman. in Arcan. Hiſt. p. 13.*

JUSTINUS.

POſt obitum Anaſtaſii JUSTINUS ad imperium *coactus* eſt, *Illyricianus*; ut ſcribit *Procopius*, cum *Victore Tununenſi*; ſive *Thrax*, ut *Zacharias apud Evagr. lib. IV. cap. 1. & Baſilius Cilix apud Phot. in Biblioth. Cod. XLII.* Sed ſpecialis patria fuit *Bederina*; quæ, quia in limitaneis *Illyriæ Thraciæq́;* agris ſita fuit, inde factum, ut hunc modò *Illyricum*, modò *Thracem* dicerent. *Auctor Chronici Alexandrini:* Ἰουστῖνος ὁ Βεδερίτης (ita legit *Alemannus*) ὁ Θρᾷξ, *Juſtinus è Bederinâ civitate Thrax.* Illuſtri loco natum alii dicunt, alii obſcuro ſordidoque; priores ſententiæ ſuæ firmandæ producunt numos, in quibus legitur: D. N. FL. ANIC. JUSTINUS P. F. AUG. ANNO VII. Qualem *Occo* exhibet *p. 581.* Nulla verò domus *Anicianâ nobilior*, aut illuſtrior. *Anicios pæne Principibus pares ætas priſca progenuit*, inquit *Caſſiod. lib. X. ep. 11.* Et:

- - - - - quemcunque requiris
Hac de ſtirpe virum, certum eſt de Conſule naſci;
Per faſces numerantur avi, ſemperq́; renatâ
Nobilitate virent; & prolem fata ſequuntur
Continuum, ſimili ſervantia lege tenorem:
Nec quisquam procerum tentat, licet ære vetuſto
Floreat, & claro cingatur Roma Senatu,
Se jactare parem. - - - - -

ut canit *Claudianus.* Liberâ rep. non multa *Aniciorum* nomina in Faſtis. *Lucium Anicium*, Lucii F. Marcii N. *Gallum* Proprætorem A. V. 586. de Rege *Gentio* & *Illyriis* triumphâſſe, ipſis Quirinalibus, auctor

ctor eſt, qui tabulas Capitolinas confecit. Ejus filius, *L. Anicius Gallus* Coſ. A. V. 593. reperitur in iisdem. Tum longè nobiliorem *domum Æmiliam* fuiſſe ſcribit *Liv. lib. XLV.* cap. 43: *Minor ipſe Imperator & nobilitate Anicius cum Æmilio, & jure imperii Prætor cum Conſule collatus.* Ubi fortaſſis vocabulum *nobilitatis* accipit *ſtrictè* : Nam apud Romanos cenſi *nobiles*, non qui longam majorum ſeriem ciere poſſent; ſed *qui parentes, avos, proavos magiſtratibus curulibus geſtis* claros, quamvis genere *plebeji* eſſent. Vide *Lipſ. lib. I. Elect. c. 29.*

Sic *Anicius Gallus* non ſtatim ex plebeja vel humili domo, etiamſi nobilitas illi minor eſſet. Nam & quidam *Patricii generis* viri, & ab antiquis Heroibus oriundi *minùs nobiles*; quod neque pater, nec avus, neque proavus ad magiſtratum curulem evectus eſſet. *Ælios Lamias* ex Romanâ loquendi conſuetudine (quamvis à *Lamo*, Neptuni filio, Læſtrygonum Rege derivarent genus) *ignobiles* dicere poſſum; quorum parentes & avi in Romanâ civitate neque Ædilitatem curulem, neque Præturam, neque Conſulatum geſſére.

Oppreſſâ rep. primâ, *Aniciorum, Faltoniorum & Proborum* mentionem reperio, *Inſcr. VI. p. 1025.* quæ referenda eſt ex ſubſcriptis Coſſ. ad A. V. 926. niſi quæ alibi ſuſpecta eſt, *Urſini* ſymbolam rejicimus: Ex *Urſinianis* enim ſchedis eam deſcripſit *Gruterus*. At ab anno Urbis milleſimo Anicii valdè celebres in Faſtis & Lapidibus. *Primi nobilium omnium Chriſtianam fidem* amplexi ſunt. *Prudent. lib. I. contra Symmach:*

Fertur enim ante alios *generoſus* Anicius *orbis*
Illuſtrâſſe caput - - - - - -

Hinc Scriptores *pagani* tam *illuſtri nomini* haud unam *labem adſpergere* conantur. *Amm. Marcell. lib. XVI.* pag. 68: *Aniciorum poſteritas in avorum æmulationem tendens, ſatiari nunquam potuit, cum poſſeſſione multo majore.* Item *Zoſim. lib. VI.* ait: *Cùm ſoli omnium penè opes poſſiderent, felicitati publicæ invidebant.*

Huic igitur tam claræ ſtirpi *Juſtinum* noſtrum inſerunt tum alii, tum *Petrus Bertius Præfat. in Boëthii libros de Conſolatione.* Utq; hoc perſuadeant magis, proferunt illa *Caſſiodori lib. VIII. ep. 1.* ad Juſtinum: *Non vos majorum purpuratus tantum ordo clarificat, &c. quantum longè lateq; potens gratia veſtra nobilitat.* Sed aliis, ut dixi, *ſordido loco* natus dicitur. *Zonaras tom. III. Annal.* armentarium fuiſſe ſcribit, & ſubulcum à teneris; quod ſi ut verum amplectimur, nihil Juſtini gloriæ detrahere dicit. Ex hâc *innoxia & ſincera ſecta,* ut appellat *Florus lib. III. c. 12.* quâ

Non alia magis eſt libera, & vitio carens
Ritusq; melius vita, quæ priſcos colat.

ut eſt apud *Senecam* Tragicum *in Hippolyto.* Deus Optimus Max. Patriarchas, Prophetas & Principes maximos quosq; ſubinde produxit. *Procopius in Arcan. Hiſt. p. 27.* agricolam facit, ut videatur ſuperioris ævi Principes ſecutus; qui cùm obſcuro genere nati eſſent, auctoritatis, an gratiæ parandæ? (nam Romani barbaram ὀνοματοθεσίαν abhorrebant jam ab antiquo) illuſtre nomen adſciverunt. Sic, ut ſuprà docuimus, *Aurelii* & *Valerii* & *Julii nomen* quàm plures uſurpârunt.

Caſſio-

Caſſiodori locus manifeſtè *corruptus* eſt; & rectè *correctus* mihi videtur ab *Alemanno*, qui legit: *Non nos majorum purpuratus &c.* vult dicere: *Non tam eo nomine clari ſumus, quòd pater, avus, proavus noſter Conſulatum geſſere, Regesq́ fuerunt; quàm quod tu nobis in tantum faves.* Nam *Athalaricus*, qui hæc ſcribit, reſpicit tum ad ſceptra regia, tum ad *Faſtos Conſulares; in quibus* annotati ſunt aliquot *Gothorum Reges.*

Theodoricus Amalus Rex, Walameris Regis filius. Patricius & *Coſ. factus* eſt, ut ſcribit *Anonymus Valeſii p. 478. 479.* Adde *Jornandem in Geticis c. 57.* Collegam habuit Fl. Venantium Decium. *Marcell. in Chronico.* Fl. Eutarichus Cillica Amalus, Athalarici pater, *Conſulatum* geſſit cum ipſo Juſtino A. V. 1271. Meminerunt idem *Anonymus, Inſcriptio X. p. 1053. & ſubſcriptiones aliquot Legum in Codice, l. 6. §. 4. C. de advoc. diverſ. jud. l. 7. C. de nat. lib.* Quod ſi quis tamen perpendere conetur, *Juſtinum per adoptionem in Aniciorum domum tranſiiſſe*, illi non valdè repugnabo. Quid enim Aniciorum aliquis hunc in gentem ſuam recipere dedignaretur, jam Patricium, Senatorem & Comitem prætorianorum?

Fuiſſe Deo Opt. Max. ſalutem ejus curæ, & hoc argumento colligi poteſt: Privatum adhuc *Joh. Gippus*, dux Anaſtaſii, miſſus cum exercitu adverſus *Iſauros*, incluſerat carceri, mox capite plectendum. Noctu Johannes per quietem videt nonneminem, qui proceritate & reliquo corporis habitu præſtantius quid homine præ ſe ferret; juberetq́; dimitti, quem

pridie

pridie tradidiſſet cuſtodiæ. Ille ſomno excitus non magni ducit, quæ in ſomno viſa forent; nocteq́; inſequente iisdem in quiete viſis & auditis, ac nihilominus neglectis, tertiò ab eâdem illâ ſpecie atrocioribus minis exagitatur, ut dicto pareat. Sic mortem evadere Juſtino contigit. Refert *Procop. in Arcan. Hiſt. p.28.* quamvis ibi adjiciat, dixiſſe illum, qui ſpecie hominis apparuerit: *Nam hoc homine, hujusq́; propinquis opus cumprimis erit; quia ira mihi mox concitabitur.* Quæ ſuſpecta mihi ſunt. Vult Juſtinum flagellum dicere irati Dei, quem alii ſummis laudibus extollunt.

Aliter ſanè de *Juſtino* & *Juſtiniano* reſponſum alio tempore: Nam cùm Anaſtaſius utrumque inſidiarum ſuſpectum tollere cogitaret, deterritus eſt & ipſe ſomno; cùm ei vir terribilis adſtitiſſe viſus eſſet, ac dicere: *Iuſtino ac Iuſtiniano ne quid mali feceris, nam uterq́; Deo ſerviet.* Ita referunt *Zonaras tom. III. Annal. p. 47. & Cedrenus. Anonymus Valeſii p.483.* memoriæ prodit, Anaſtaſium Imperatorem, cùm Deum de revelatione ſucceſſoris ſui rogâſſet, tuliſſe reſponſum: *Is, qui die craſtini primus adeſſe nunciatus fuerit, tibi ſuccedat!* factum eſſe, ut Anaſtaſio nondum cubiculum egreſſo, primus adeſſe nunciaretur *Juſtinus.* Adjicit ibidem, Juſtinum poſt hæc obſequii cauſa *feſtinantem*, per imprudentiã *chlamydem Imperatoris pede calcâſſe.* Tum Anaſtaſium hoc tantum dixiſſe: *Quid feſtinas?*

Imperator factus eſt Fl. Magno Coſ. & quidem legi-

legitimo modo à Senatu, ut ſcribit *Marcell. in Chron.* Ipſe ad *Hormisdam Papam* ſcribit: *Per has ſacras declaramus epiſtolas, quòd primùm quidem inſeparabilis Trinitatis favore, deinde ampliſſimorum procerum ſacri noſtri palatii & ſanctiſſimi Senatus, nec non electione firmiſſimi exercitus, ad imperium nos, licet nolentes & recuſantes, electos fuiſſe atque firmatos.* Extat apud *Baron. in A. C. 518. n. 67.* Sed *Evagrius lib. IV. c. 2. ex Zacharia Eutychiano* refert, eum *per vim ſeſe* Imperatorem *feciſſe*, occiſis Theocritiano & Amantio Præfectis cubiculi. Addit *Procopius*, à Juſtiniano interfectum Amantium, cum nonnullis aliis; ob leve dicterium in Johannem, urbis Antiſtitem, jactitatum.

Vide, quantâ *varietate affectuum* ſcripta ſit *horum temporum* hiſtoria! *Zonaras* interfectos quidem ait Amantium & Theocritianum; ſed in conſilio interficiendi Juſtini deprehenſos. *Marcellinus Comes* Juſtiniani Cancellarius, *in Chronico*: Amantium, Andream, Michaëlem & Ardaburium *Manichæorum fautores*, & Juſtini Auguſti proditores, deprehenſos eſſe. *Victor Tununenſis*: Amantium ſeditionem in populo ſuſcitaturum fuiſſe, ut Imperatorem alium faceret. *Jornand. lib. I. de Succeſſione*: Amantium regno Juſtini inhiâſſe, & Theocritum ad regnum clam præparâſſe.

Statim atque imperium Juſtinus adeptus eſt, *Concilium Chalcedonenſe*, quod Marciani temporibus contra *Dioſcorum* & *Eutychem* hæreticos habitum fuit, acerrimè propugnavit; exules & orthodoxos reſtituit. *Zonaras d. l. Acta Sabæ, apud Surium tom. VI.*

d. 5.

d. 5. Decembr. An ob id flagellum irati Dei? An mereri poteſt convitia hæc, quæ *Procopius* jacit, velut è plauſtro: *Nullo bono fuiſſe Juſtinum, inſignis hominem ſtoliditatis, ſummâ cum infantiâ, ſummaq; cum ruſticitate conjunctæ?* Si quid video, *à diverſitate religionis hæc proficiſcuntur*; & qui Amantii cædem, nequiſſimi Eutychianorum patroni, tàm moleſtè fert, quid de illius fide ſuſpicabimur?

Aliis *Manichæus* dicitur, ut *Marcellino & Actis Synodi Conſtantinopolitanæ apud Baron. in A. C. 518. n. 18.* Acclamat in iis populus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Trinitas vincit! Et nunc non timeas Amantium nec Manichæum. Iuſtinus regnat: Quid times Amantium?* A Tyriis vocatus eſt ἀντάρτης τῆς τριάδος, hoc eſt, *rebellis Trinitatis*; & à Byzantiis *Zummas*, ab inſigni Manichæo ejuſdem nominis; quod ipſe fatetur *Alemannus.*

Conqueritur ibidem *Procopius*, ſub Juſtino Juſtinianum impetum fecisse in opum alienarum rapinas, in cædes; ſicut pro nihilo duceret, innumeram perdere omnis criminis inſontem multitudinem. Ego apud alios reperio, ſolùm pulſos, & facultatibus ſuis exutos *hæreticos*; quoſdam & capite punitos. Vide *l. 12. C. de Hæreticis & Manichæis.* Magnam inprimis *Manichæorum cædem* editam, inquit *Cedrenus.* Non poteſt aliorum cædem objicere *Procopius*, quàm iſtorum; de quâ injuſtè conqueritur.

Non in eâ ſumus opinione, hæreticos & quoſcunque in religione errantes ſtatim ad ferrum & ad ignem damnandos eſſe: Non ſum Cyclops, aut Phalaris;

laris; cui ludo ac joco ſanguis humanus eſt: Sed hîc punienda fuit crudelitas & immanitas, quam iidem hæretici, ſub Anaſtaſio in orthodoxos exercuerant. Legenda ſunt *Acta Synodi Conſtantinopolitanæ contra Anthymum*, in quibus reperimus, multos occiſos, plures correptos, & in captivitatem tractos, veſtibus & pecuniis exutos. Hos igitur ut ulciſceretur, ipſa juſtitia cæleſtis Juſtinum juſſit: *Quomodo Reges ſervient Domino in timore, niſi ea, quæ contra juſſum Domini fiunt, religioſâ ſeveritate prohibendo atque plectendo;* ut inquit *B. Auguſtinus in epiſt. ad Bonifac.*

Eodem jure *Procopius* conqueritur de inſidiis *Vitaliano* ſtructis. Non ſatis æſtimat, quâ cupiditate invadendi imperii flagrârit, quamq; illius obtinendi hæreticos ipſos omnibus modis adjuverit. Legenda *Epiſt. LXII.* Legatorum Apoſtolicorum ſcripta *ad Hormisdam* Pontificem apud *Baron. in A. C. 519. n. 90.* Evagrius dignum cenſet Vitalianum hâc morte: *Has pœnas,* inquit, *pro ſceleribus, ſi tam inconſideratè contra imperium Romanum conſciverat, perſolvit.* At modum laudare non poteſt: *Ut eum deciperet,* inquit, *velavit odium fraudulentis blanditiis, ſimulato vultu. Quin unum ex ducum numero, qui Præſentes vocantur, eum deſignat; & quò magis in laqueos incideret Vitalianus, ad Conſulatus quoque faſtigium provexit.*

Eſt aliàs hic character tyrannici animi: Hinc enim Romani Scriptores perſtringunt Tiberium, qui *Libonis Druſi* exitio imminens, interim eum *ornavit præturâ, convictibus adhibuit, non vultu alienatus, non verbis*

verbis commotior. Vide *Tac. lib. II. Ann. c. 38.* De Nerone vide eundem *lib. XIV. Annal. c. 56.* De Baſſiano *Spartian. in Getâ p. 92. & in Caracalla p. 86.* De Domitiano *Suet. cap. 12.* De Vitellio *Tac. lib. II. Hiſt. c. 59.*

Sed meritò dubitat *Baronius*, annon hæc ipſa *Evagrius* hauſerit è *Zachariâ Eutychiano*. Sed eſto; „ feciſſe talia Juſtinum; patrocinatur hîc quoque ne- „ ceſſitas, quæ ſæpè cogit ab ordinariâ juris viâ defle- „ ctere ad verſutiæ ſemitam; cum vulpe vulpinari, & „ fraudis alienæ clavum alio veluti clavo pellere. Se- „ curitati ſuæ, quàm variis modis ſibi conſuluerint vi- „ ri magni, approbantibus magnis politicis, alibi do- „ cui ſæpiùs. Titus, Veſpaſiani filius, atrox commi- ſit inter ſacra menſæ, & coram hoſpitalitiis Diis; ſed hoc excuſat *Berneggerus ad Suet. Tit. c. 6. §. 9.* his verbis: *Stultè feciſſet, ſi in tali diſcrimine voluiſſet ordinario juris uti proceſſu.* Eodem modo hîc dico: Stultè feciſſet Juſtinus, ſi apertè voluiſſet aggredi Vitalianum; à quo metus erat, ne, inſidiis deprehenſis, magnum tumultum concitaret. *Fatetur* ipſe *Evagrius*, Vitalianum *aliâ ratione non potuiſſe de medio tolli.*

Ex his, ut puto, ſatis manifeſtum eſt, quàm lubricum ſit, inſiſtere *Procopio*; & quàm ille Scriptor odii & *diverſæ religionis* ſuſpectus haberi poſſit. Sed auctoritatem ſuam maximè convellit *pag. 81.* ubi inter Juſtiniani *graviora facinora* refert, quòd *Arrianis ſuis ritibus interdixerit.* Cogita, qui bonus es, & fatebere; vix aliam *Procopium* habuiſſe cauſam depectendi & deſtringendi *Juſtinum* & *Juſtinianum*;

quàm

quàm quòd hæreticis exilia indicendo, ſolitudinem alicubi feciſſent; & fortaſſe ſimul involviſſent nonnullos, quibus ipſe benè cupiebat.

Analphabetum fuiſſe hunc Principem, largior *Procopio*; & qui Procopium exſcripſit, *Suidæ*: Nam *codices* Scriptoris hujus *Vaticani* omnes non Juſtinianum, ſed Juſtinum analphabetum faciunt; ut deſinant nugari viri maximi, qui è *Suidâ* Juſtiniano tam craſſæ ignorantiæ crimen impingunt. Non dicam de aliis. Illud *Baronii in A. C. 563. n. 7.* quantum ruborem incutere debuiſſet ipſi auctori ſuo: *Juſtinianum, cùm expers penitus literarum eſſet, ita ut nec ad legendum ipſa elementa ſuppeterent; nihilominus voluiſſe omnium videri doctiſſimum Epiſcoporum.* Quam ſententiam ſuam repetit in *A. C. 565. n. 10.*

Scripſit *Anaſtaſius in Johanne II.* miſiſſe Juſtinianum fidem ſuam *chirographo ſcriptam proprio* ad ſedem Apoſtolicam. *Procopius lib. III. Belli Gothici* auctor eſt, *deſediſſe* ad multam noctem *in muſæo cum Senioribus quibusq́; attentiſſimo ſtudio*, arcana Chriſtianorum dogmatum inveſtigantem. Ad diſputandum provocabat hæreticos omnes, & eos valdè premebat, nunc probabilibus rationibus, nunc demonſtrationibus, nunc teſtimoniis Sacrarum literarum uſus; ut eſt apud *Euſtath. in vita S. Eutychii.* Novellas complures non per alios, ſed *ipſe conſcripſit*, ut colligitur ex *Arc. Hiſt. p. 63.* Quantum in Philoſophicis profecerit, docet *Agapetus in parœneſi* ad Juſtinianum: *Noſtris temporibus oſtenſum eſt, proſperæ vitæ tempus, quod prædixit quidam ex veteribus futurum;*

cùm vel Philoſophi regnarent, vel Reges philoſopharentur: Nam philoſophando digni habiti regno eſtis, & regnando à philoſophia non deſciviſtis. Vulgavit hanc ipſam parænesin *Baron. in A.C.527.* Nec ſparſum de Juſtiniano mendacium convincere potuit, quod miramur. Denique docti & ſapientiſſimi Principis titulum Juſtiniano *Theodahadus* tribuit apud *Caſſiodorum*, tum doctiſſimum appellatum in *MS.* quodam *Vaticano* obſervavit *Alemannus*, cujus verba ibidem recitat: *Quinta Sancta Synodus Conſtantinopolitana temporibus Juſtiniani doctiſſimi Imperatoris.*

Sed ad *Juſtinum* noſtrum: Cui licet magnum ornamentum attuliſſent literæ, ſi diſcere voluiſſet aut potuiſſet; tamen dum notitiâ deſtituitur, non ob id deteſtabilis & unco dignus. Quòd ait Procopius, *nunquam Romanis eveniſſe, ut haberent Principem tam imperitum*, qui ſubſcribere non poſſet: Habuerunt tamen *infantes* & *puerulos Principes*, quibus *ad ſubſcribendum magiſtri literarii manus tenuerunt*; ut loquitur *Vopiſcus in vita Imp. Taciti.* Et hæc pro Juſtino dicenda videbantur.

Mortuus eſt recrudeſcente vulnere, quod in pugna quondam acceperat; cùm vixiſſet annos LXXVII. imperâſſet annos IX. menſem I. dies 3. *Aleman. in Procop. p.44.* Incidit enim obitus illius in A.V.1278, quo Conſulatum geſſit Fl. Mavortius.

JUSTINIANUS.

SIc tandem ad Imperatorem deventum eſt, cujus nomen multos laudatores invenit; nec pauciores tamen,

tamen, à quibus multum infra mediocres Principes dejiceretur. Qualem *Auguſti fortunam* fuiſſe poſt exceſſum ejus notavit *Tac. lib. I. Ann. c. 1.* Cùm ait: *Apud prudentes vitâ ejus variè extollebatur, arguebaturve.* Nimirum Deus Opt. Max. partes agendas imponit Principibus in vaſtò admodum theatro: *Spectat fabulam, quam agunt, totus terrarum orbis: Tot judices ſunt, quot homines; & tam modeſtus nemo eſt, qui de illis ſententiam non ferat.* Nos nihil affectibus dabimus, quorum etiam cauſas procul habemus; ſed quod hiſtoriæ genuinæ me docuerunt, propinabo rurſus, nullo livore, nulla ambitione corruptum aut fermentatum. Utinam idem factitâſſent in hiſtoriis *poſteriores Græculi*, nihil ultra poſteritas ambigeret, jurene an injuriâ hoc vel illud diceretur? Sequar autem ordinem, quem *Giphanius* ſibi delegit in *commentariolo* de hoc ipſo Principe.

Natum eſſe Juſtinianum Fauſto Coſ. A. V. 1234. *imperante Zenone*, ſcribunt *Octavius de Strada* & *Giphanius*; è quibus hîc pro aſſertione ſua *Marcellinum in Chronico* citat. Sed neque in *editione Onuphriana*, neque in altera *Scaligeri*, neque in poſtrema, auctiſſimaque *Sirmondi* tale quid reperio. An *Onuphrium* ſecuti, qui in Faſtis Juſtinianum imperâſſe ſcribit annos XXXIX. vixiſſe annos LXXXIII. ſic colligerunt, detractis annis, quibus imperavit, remanere XLIV. At cùm imperium adeptus ſit Fl. Mavortio Coſ. A. V. 1278. natum videri A. V. 1234. quo ſecundùm *Marcellinum in Chronico* Conſulatum geſſit Fauſtus. Quan[illegible]em hoc ſolum dicit *Marcellinus* XLIV.

 annis

annis ante imperium Juſtiniani Conſulem fuiſſe Fauſtum; non autem illud, quod *Strada* & *Giphanius* concludunt, Juſtinianum Fauſto Coſ. fuiſſe natum.

Onuphrium quod attinet, *confidentior* eſt in affirmando, *quàm felicior* in probando: *Zonoras* ait, imperium adeptum, cùm natus eſſet annos XLV. Sed ſibi ipſi non conſtare, arguunt præcedentia Juſtini ad Senatum: *Vobis optandum eſt* (ſcilicet qui Juſtinianum mihi collegam tam avidè deſideratis) *ne purpuram junior aliquis induat.* Quomodo junior, ſi XLV. ætatis annum ingreſſus eſt? ut breviter dicam: Annus & Conſulatus, quo Juſtinianus lucem primitus adſpexit, me latet; ſed diem natalitium 5. Id. Maj. novimus, quo ludos eſſe celebratos ſcribit *Theophanes.*

Patriam Juſtiniani *Giphanius* è Procopio *Tauriſium*, ex Agathia *Boderinam*, ex Nicephoro *Achridum* appellat. *Boderina* vox nihili eſt. Ex melioribus codd. legendum, Βεδερίνη, *Bederina.* Diſtinctiùs præterea agendum fuit: Non enim unius ejusdem loci nomina ſunt, *Tauriſium*, *Bederina*, *Achridus* ſive *Juſtiniana prima.* Bederinam præſidium dicit Procopius, ejusq; vicinum oppidum Tauriſium: In hoc oppido natum eſſe Juſtinianum, non Bederinæ; idq; poſtea nomen tuliſſe *Quadriturritam.* Juxta *Quadriturritam*, ſive *Tauriſium*, locum natalem, Juſtinianum deniq; *Juſtinianam primam* urbem nobiliſſimam condidiſſe. *Giphan. & Baron. in A. C. 535. n. 55.* mutilum locum exhibent ex editionibus mutilis. Vaticanus codex ſic Latinè loquitur: *Apud Dardanos Europaeos, qui poſt Epidamniorum terminos habitant,*

ad

ad præſidium, quod Bederiana vocatur, oppidum eſt Tauriſium *nomine. Hinc Juſtinianus princeps, orbis reparator ortus eſt; eum locum muro circumdans quadrangulâ figurâ, ſingulis angulis turrim impoſuit; effecitq́, ut eſſet & vocaretur* Quadriturrita. *Juxta eundem locum urbem nobiliſſimam condidit, quam* Juſtinianam primam *appellavit; atque nutricationis officium altrici patriæ rependit.* Verus igitur natalis locus *Tauriſium*; at *Bederina* & *Juſtiniana prima* civitates *non procul Tauriſio* ſita. Tamen *Bederinam* eandem cum *Juſtiniana* facit *Agathias*: Nos *Procopium*, ut accuratiorem hîc ſequimur. Tot verò Imperatores *Illyricum* dedit, quot non ipſa *Roma*, ut ex Impp. catalogo facilè conſtabit.

Parentes Juſtiniani non potuit ſcire *Giphanius*; ſed nobis hodiè noti ſunt è *Procopio*, *Theophane* & *Theophilo*. Refert *Theophanes*, Praſinos populumq; Conſtantinopolitanum Juſtiniano publicè aliquando inclamâſſe: *Utinam in lucem Sabbatius non veniſſet, certè filium te non habuiſſet ſanguinarium.* Scriptoris ejus narrationem è *Vaticana bibliotheca* primus publicavit *Nic. Alemannus ad Procop. p. 63.* Hic igitur Sabbatius Juſtiniani pater; quamvis *Procopius Arc. Hiſt. p. 57.* anilem fabulam non erubeſcat inſerere, *matrem Juſtiniani* nonnullis *affinibus retuliſſe*; hunc non Sabbatii conjugis, aut hominum cujuſpiam eſſe ſobolem; ſed eo gravida antequam eſſet, quandam *genii ſpeciem* ad ſe ventitâſſe; quæ non ad viſum, ſed contactum ſe præberet, accubaretq́; ſibi, & quaſi maritus ſe conjugem iniret; deniq; veluti per inſomnium evaneſceret.

Matrem Biglenizam *Theophilus in vita Juſtiniani* prodidit. Eandem, quòd filium à *Theodora* nuptiis revocare non potuiſſet, mœrore animi contabuiſſe, ſcribit *Idem*. Fallor, an hujusdem nomen tulit ſoror Juſtiniani, quam *Vigilantiam* appellant *Procop. lib. I. Vand. & Victor Tununenſ. in Chron.* Nam bar-„ bara formabant ad Latinæ linguæ ſuavitatem. Sic „ cùm ipſe Juſtinianus à popularibus ſuis Illyriis U-„ PRAUDA nuncuparetur (ut eſt apud eundem „ *Theophilum*) Romanis JUSTINIANUS appellatus eſt. Fuit autem hæc Bigleniza ſoror Juſtini Imperatoris, adeoq; Juſtinus Juſtiniani avunculus; quem ipſe Juſtinianus *in Conſtitutionibus* ſæpè *patrem* appellat, quòd ab eodem adoptatus eſſet.

Reliquam familiam Juſtini quod attinet, ei, neſcio quo applauſu, *Badoarios* Venetos inſerit Giphanius Quicquid ſit, Badürium, Baduarium & Boraidem ex hac gente obſervare licet. Badurius *Vigilantiæ* filius, & *Juſtini junioris* frater, avunculum habet *Juſtinianum*, patrem dulciſſimum; Comes factus Imperatorii ſtabuli. Meminit ejus *Theophanes* ad annum Juſtini octavum. *Diaconi* locum notatu dignum, jam obſervavit Giphanius. Baduarius gener fuit Juſtini junioris, ducta hujus filia *Arabia*; quod nomen è Πατρίοις Conſtantinopolitanis primus eruit *Alemannus*. Boraides Juſtiniani Imperatoris nepos ex fratre. *Procop. lib. III. Goth.* Nec aliter apud eundem legit *Photius Cod. LXIII.*

Ipſe Juſtinianus filium habuit *Theodorum*

Tzιron,

Tziron, cujus *Theophanes* apud eundem *Phot. Cod. LXIV.* memoriam conſervavit. Sed is è Theodora non fuit, de qua mox: Nam quamvis Theodora *S. Sabam* de precibus ad Deum fundendis rogâſſet, *pro impetranda ſobole maſculâ*; tamen fruſtra fuit, ut docet *Baron. in A. C. 530. n. 24. 25.* Unam ex hac filiam habuit, & ex ea natus *Anaſtaſius*, Johanninæ maritus, Beliſarii & Antoninæ gener; quod ex *Procopii Arcana & Vandalica* didicimus. Nomen incompertum eſt. Ex his patet error *Conſtantini Manaſſis*, qui negat, Juſtiniano *filium* & *filiam* fuiſſe. Mentitur etiam *Pſeudogordianus in Epiſtolis*, qui Theodoræ plures liberos tribuit. Invenimus & privignum Juſtiniani *Johannem*: Nam *Theodora*, antequam Juſtiniano nuberet, *Arabem* quendam in matrimonio habuit; ex quo natus eſt iſte. *Procop. in Arc. p. 76.*

Propagata quoq; Juſtiniani domus per *ſororem* Vigilantiam & *fratrem* Anonymum. E Vigilantia & dulciſſimo ejus marito nati Juſtinus junior Imperator, Badurius, Comes imperatorii ſtabuli, de quo dictum eſt; & Marcellus, quem *Corippus lib. II.* nominat. Denique Projecta filia, conjux Areobindi, Præfecti prætorio Orientis & Africæ, & poſtea Johannis Pompeji *filius*. Anaſtaſii Imp. pronepotis. *Procop. lib. II. Vand. lib. III. Goth. Marcell. in Chron.* E fratre anonymo ſunt Boraides, Juſtus & Germanus. *Procop. lib. II. Perſ. Marcell. & Jornand. in Get.* Germani conjux prima Paſſara, quæ illi Juſtinum, Juſtinianum & Juſtinam

peperit. *Procop. lib. II. Goth. & in Arc. Hiſt. p. 23.* Secunda Mathaſuenta, Eutharici & Amalaſuntæ Reginæ filia. *Idem lib. III. Goth.* Mater Germani Poſthumi *Jornandes in Get.* Hæc Juſtiniani familia, quam conferes cum *Giphanio*; & videbis, quantum poſt illum obſervatum ſit.

Poſt hæc agit de Theodora, Juſtiniani conjuge; in cujus gratiam multas leges pro commodo ſequioris ſexus Imperator tuliſſe dicitur. In Cypro natam vult idem *Giphanius*, ſecutus *Nicephorum*, *Zonoram*, & alios. At Byzantinam fuiſſe, ferè colliges è *Procopii Arc. Hiſt.* pag. 40: *Acatius quidam*, inquit, *erat Byzantius, beſtiis ad amphitheatrales Praſinorum venationes alendis præfectus*; *quem vocant* Urſarium. *Hic, Anaſtaſio Principe, morbo periit; tribus fœmellis relictis*: Comitonâ, Theodorâ, & Anaſtaſiâ; *quarum natu major vix ſeptimum annum attigerat.* Hæc ille, quibus conciliandis cum *Nicephoro* & *Zonorâ*, dicendum erit: *Acatium, Theodoræ parentem* relictâ Cypro Conſtantinopolim veniſſe cum tribus filiabus, nec diu admotum ἀρκτοτρόφον, hoc eſt, *urſorum altorem* fuiſſe, morte interceptum.

Sed alia ſunt ulterioris examine indiga, quæ idem *Giphanius* adfert è *Nicephoro*: Ait enim, Juſtinianum in Theodoræ gratiam, *natalem civitatem ejus in Cypro* non minori ſplendore, quàm ſuam exornâſſe; & *Juſtinianam ſecundam* appellaſſe. Primum, Juſtinianam ſecundam alii *non* habent *in Cypro*, ſed *apud Dardanos Europaeos*; & *Ulpianam* quondam fuiſſe ſcribunt. *Procop. lib. IV. de Ædific. Juſtin.* Juſtinia-

nam

nam *novam in Cypro* agnoſcit *Concilium Trullanum in Can. XXXIX.* Forſan hanc nominare debuit *Nicephorus?* At quæro iterum, ſi Juſtinianus in Theodoræ gratiam eam exornavit, cur non appellat *Theodoriadem*, aut *Theodoropolim?* quæ certè in illius honorem conditæ, inſtauratæ, exornatæ ſunt, ejus etiam nomen ferebant. Theodoriadem propè Carthaginem novam ponit *Proc. d.l.IV.* Theodoriadem in confinibus Colchidis *Agath. lib. V.* Theodoriadem in Aſia minori *Concilium quintum Conſtantinop.* Theodoropolim non unam *Procopius* idem; nec parùm genuina *Nicephori* narratio mihi videtur.

Mores hujus fœminæ ſi minùs commendo, nec id proficiſci putes ab animo feſtivis illis Cypricæ Deæ ſacris non initiato; atque adeò in ſexum muliebrem duro & adverſo: Sic me docuerunt veteres & recentiores plerique omnes. Ajunt enim, cùm primum ad ætatis florem perveniſſet & maturitatem, *ſcenæ deſtinatam in matre*, ſtatimq; *inter proſtibulas* habitam. Nolo cetera. Cùm *Juſtinianus* amore faſcinatus, *eam* tandem *duxiſſet*, nullum tam inauditum, tam exſecrandum piaculum fingi animo poſſe, quin graviora molita ſit; & ipſa re perpetrârit, in Senatum, in Magiſtratum, in plebem, in Deum & Dei filium. Imperatorem ipſum velut ſub imperio conjugis fuiſſe. Vide præter *Procop. & ejus interpretem Aleman. Baron. in A.C. 535. n. 61. & Giphanium* ipſum.

Cùm Senatus olim in honorem *Liviæ*, Tiberii matris, nobiliſſimæ fœminæ decreturus eſſet, ut Mater Patriæ diceretur, ut nomini Cæſaris adſcri-

beretur, Juliæ filius! Tiberius id prohibuit, *moderandos fœminarum honores* dictitans; & *muliebre faſtigium* accipiens *in diminutionem ſui*. Ut ſcribit *Tac. lib. I. Ann. c. 14.* Juſtinianus noſter ſcenicam mulierem omnis poteſtatis participem facit: Juratur *per Juſtiniani & Theodoræ fidem*: Communis utrique titulus ſcribitur in monumentis publicis: Imò quod *Zonoras* ait, plus Imperatore ipſo pollet uxor. *Heu miſerum virum, in cujus domo gallina canit!* ajebant olim Romani, ſi *Donati ad Terentium* credimus.

Sed quid? Idem infortunium, eadem calamitas omnium ferè magnorum virorum extitit, ut *uxores* haberent verè *carcinomata*, & *maculas laudum* ſuarum. *Multis illuſtribus dedecori fuit uxor*, inquit *Plinius* in paneg. c. 83: *Foris claros domeſtica deſtruxit infamia; & ne maximi cives haberentur, hoc efficiebat, quòd mariti minores erant.* Quæ cauſa? quia conſilium hîc omne fortuna in poteſtate habet: *Equus, bos, aſinus, canis & viliſſima mancipia probantur, & ſic emuntur: Sola uxor non oſtenditur, ne prius diſpliceat, quàm ducatur*; ut ait, neſcio quis, apud *Bernegg. ad d. l. paneg.* Inter omnia humana decora difficillima virtutum cenſura eſt, quarum ſedes in animo, eoq; ab oculis remota; & argumenta, quæ in mulieribus foras prodeunt, non ſemper ſincera ſunt; ut verba *Brunn. lib. VII. Ann.* leviter immutem. *Similes* ſunt *Candidatis in campo Martio*, in quos optimè conveniunt illi Plautini in *Capt. act. 2. ſc. 1*:

Nam

Nam ferè maxima pars morem hunc, homines habent: Quod ſi voluit,
Dum id impetrant, boni ſunt: Sed id ubi jam penes ſeſe habent,
Ex bonis peſſimi & fraudulentiſſimi
Sunt. - - - - -

Nondum maritatæ virtutis vultum induunt; adeptæ ſpolium, quod concupivere, in omnem inſolentiam ſtatim effunduntur.

Sed Juſtinianus norat *ſcenicam* eſſe, & parere debuerat illis, qui matrimonium infame diſſuadebant. Ut cenſuræ ſeveritatem mitiges, obſerves maximorum Principum exempla; quibus adverſus omnia infractus animus, ſed in muliebrem formam imbecillis fuit. Theodoræ *forma cælitùs lapſa* videri potuit, ut hîc *Capitolini* verbis utar, in Maximin. *Omnibus una omnes ſurripuit Veneres!* ut verſu *Catulli*.

Qualis ubi Oceani perfuſus lucifer undâ
Extulit os ſacrum cœlo, tenebrasq; reſolvit;
Talis erat Theodora. - - - -

Ut *Virgilii* verſus huc accommodem. Nam ita *Procopius* ipſe *lib. I. de Ædific. Juſtin.* de ſtatua Theodoræ à Byzantinis poſita: *Præſtantis quidem figuræ imago eſt, ſed à pulchritudine Auguſtæ longè abeſt; cùm ejus formæ præſtantiam humanum non potuit artificium vel ſermone declarare, vel exprimere ſimulacro.* Ejusdem imaginem ex muſivo opere *Alemannus* in ære Cyprio exhibet *ad Procop. p. 42.* unde nihil mentitum hîc eſſe *Procopium*, facilè animadvertimus.

Igitur cœleſtis illa forma, pro imaginibus majo-

rum

rum pro virtutis ſuffragio, denique omni alia re efficacior fuit; & Juſtinianum ipſum in poteſtatem redegit. Sic olim *Cleopatra Julium Cæſ.* heroëm incomparabilem; ſic *Auguſtum Livia*; ſic *Germanicum Agrippina*; ſic aliæ alios ad voluntatem ſuam habuere. *Gallos veteres* fortiſſimos viros, & qui arma victricia per Europam Aſiamq; circumtulêre, *cum Annibale fœdus* iniiſſe legimus apud Plutarchum in *lib. de Virtutibus Mulierum*; cujus hoc caput ad memoriam noſtram pervenit: *Si quis Carthaginenſis homini Gallo fraude dolove malo injuriam feciſſet, ejusce injuriæ auctorem apud Carthaginenſium duces præfectosq; reum peragendum eſſe. Quod ſiquis Gallo* litem *intendiſſet, cauſæ cognitionem* ad Gallorum uxores *pertinere; easq; ex æquo & bono arbitras & judices fore.*

Mox *Giphanius* è *Cedreno* deſcribit *Juſtiniani formam* & *ſtaturam* corporis; eam *Procopius* ita depingit: *Corpore neque procero fuit, neque puſillo nimis, ſed quo ſtaturam corporis non excederet; neque omninò gracili, ſed ſucci moderatè pleno; vultu tereti, nec invenuſto, quippe* qui poſt biduum ruberet jejunus: *Ejus ſpecies, ut verbo ſtatuam, Domitianum Veſpaſiani filium plurimum referebat.* Hæc *Procopius in Arc. Hiſt. p. 37.* At ſi numos *Domitiani*, quorum multos habemus, cum imagine *Juſtiniani* (quam ex opere Muſico *Alemannus* exhibet) conferimus, ea ſimilitudo vix apparet.

„ Sed non ob id Procopii deſcriptionem rejecerim. Eſt, ut aliarum rerum, ſic perpetua formarum mutatio; & qui nunc ſimilis videbatur huic,

alio

alio tempore diſſimilis effectus eſt. Unius principis „ monetas qui conſpicit, pro diverſitate loci & tem- „ poris Proteo mutabiliorem effictam & excuſam ejusdem formam deprehendet. *Quoad ruborem* non disſimilis eſſe potuit Domitiano; nam de hoc *Suet. in ejus vita*, cap. 18: *Commendari ſe verecundiâ oris adeò ſentiebat, ut apud Senatum ſic quondam jactaverit: Usq; adhuc certè animum meum probâſtis & vultum.* Item: *Vultu erat modeſto, ruborisq; pleno.* De eodem *Tac. in Agr.* cap. 45: *Sævus ille vultus & rubor, à quo ſe contra pudorem muniebat.* Item: *Plin. in paneg.* cap. 48: *In ore impudentia, multo rubore ſuffuſa.* Hîc nota: Cùm rubor ſit verecundiæ color, *Domitianus* cùm erubuit, *omnem verecundiam detriviſſe* videbatur.

Similem etiam reddidit, ni fallor, *calvities.* De Domitiano *Suet.* dicto loco: *Poſteà calvitie quoque deformis.* De Juſtiniano Chron. Alexand: *Fuit Juſtinianus rotundâ facie, pectoroſus, candidus, raro capillo, recalvaſter, rotundis oculis, formoſus, florido aſpectu, ſubridens, ſubcanus, mento raſus, ritu Romanorum; naſo juſto, ſubalbus.* Volui hac occaſione locum totum deſcribere. *Interpres Procopii* erudititiſſimus de calvitie non credit his Faſtis; hinc *tumultuariè* iſta hinc indè *deſcripta* pronunciat *p. 28.* & *Cedrenum*, qui tribuit κεφαλὴν ἐψιλωμένην, emendat, ac legit, ἐψαλλισμένην. *Nemo enim eſt*, inquit, *qui Juſtiniani calvitiem in antiquis numis viderit.*

Verùm hoc; & præter alios fidem facit *aureus Caroli Croyi Ducis Arſchottani*, in quo nihil capillorum deficit, nulla in Juſtiniani calvâ nuditas apparet:

Sed

Sed nollem ex hac ratione, ſanè quàm levi, ſcalpellum criticum adhibuiſſet. *Statuariis ſolenne* novimus, *non exprimere vitia corporis*; & notum illud *Dionis Chryſoſtomi* Orat. XXXVII: *Ageſilaus nunquam corporis ſui imaginem vel fictam vel expreſſam fieri voluit; non quia claudus erat, & parvæ ſtaturæ: Quid enim prohibuit, quò minùs ſtatua grandis eſſet? Quid, quò minùs integris pedibus; quemadmodum Euphranoris Vulcanus.*

Idem faciebant *monetarii*: Hinc enim *Domitianus* in numis omnibus, quos vidi, *benè capillatus*; & grande *piaculum* fuiſſet, ſi monetales exhibuiſſent *calvaſtrum*; cùm vel ad calvitii mentionem leviſſimam excandeſceret. Nec immeritò *calvities* apud Romanos *urbanorum dicteriis* nimis erat *obnoxia*; nam & *mimi* apud eosdem introducebantur *calvi*, deridiculi gratia: Et in palliatis *leones* & *paraſiti*, etiam *calvi* vel *deraſi*. Sæpè in comœdiis legas *calvos pro ignominioſis*; qui nec *pilum bonæ mentis* haberent. *Salmaſ. in Epiſt. de Cæſar. Vir. p. 237.*

Unde nihil mirum, ſi *capillatos Principes* videmus *in numis*; qui aliàs calvitio deformes & ridiculi fierent. C. *J. Cæſarem Dictatorem* obſervant antiquarii noſtri plerumq; *in numis velatum*, *prominente* ſupra frontem *laureâ*; non tam, ut ſignificarent Pontificem Max. & triumphalem, quàm *ut calvitiem ejus abſconderent*. Vide *Gorlæum in numis gentis Juliæ.*

Ex eadem cauſa factum, ut qui naturâ pilis defecti eſſent, & calvi adſcito capillitio, quod deficiebat, explerent; & calvam veſtirent nudam. *Caſaub. ad Suet. Oth. c. 12.* obſervat non tam viris, quàm *fœminis uſitatum*

tatum fuiſſe, *adſciſcere* id *genus capillitium* ex illo *Tertulliani* de cultu fœminarum: *Affigitis præterea, neſcio quas, enormitates ſutilium & textilium capillamentorum; nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis & operculum verticis; nunc in cervicem retro ſuggeſtum.* Meminit ejusdem conſuetudinis *Avienus*:

Nam mox dejecto nituit frons nuda galero.

An uterque Domitianus & Juſtinianus, cùm id genus adſcititio capillamento in numis expreſſus eſt? dubito.

Hinc ſe confert *Giphanius* ad deſcribendas animi dotes; & primùm, *qualis domi ſuæ* fuerit; dein, *qualem ſe publicè gëſſerit*, breviter ac velut ſummatim docet. Juſtinianum non fuiſſe ἀγράμματον, *contra vulgus aſſerit*, & rectè. Vide, quæ ſupra diximus *in Juſtino*. Tum *prudentiam* & *fortitudinem* paucis commendat è *Procopii Vandal.* de utraque pluribus agendum erit in commemoratione rerum geſtarum.

Poſthæc *comitatem* & *facilitatem in audiendis* hominum deſideriis deprædicat è *Zonora*. Nimium autem humanitatis fuiſſe vult *Procop. lib. II.* Perſic: *Chosroæ legatum* Isdigunen *ea humanitate & honore Juſtinianus, quo nullum antehac legatum, excepit; cùm enim ille ſecum epularetur*, Braducionem, *ejus aſſectatorem ac interpretem, in menſa apud ſe decumbere voluit: Quod nunquam ex omni anteacti temporis memoria uſurpatum fuit. Nam interpretem cum vel infimi ordinis, Magiſtratu, nedum cum Imperatore, ad menſam conſidere, nemo eſt, qui viderit. Quin &* Isdigunen *ipſum longe honorificentiùs, quàm pro legati* con-

conditione excepit, ac remiſit; licet nullam rem ejus legatio contineret. Sic *Alemanni* ore loquitur *Procopius*; nam quædam ſecus accepit & reddidit *Raphael Volaterranus.*

Cæterum non magni momenti hæc accuſatio videtur. Revocat ad ſuperiorum Principum faſtum, qui imperium, quod Auguſtum æternum & adamantinum feciſſe ſibi viſus eſt, turpiter amiſerunt; & ad illorum conſuetudinem Juſtiniani mores exigit. Imò plerumque maximorum heroum character eſt *συνανθρωπεῖν*, ut loquitur *Plutarch. in Præcept. de Rep. gerend.* vel *ἀνθρωπεύεσθαι*, ut *Ariſt. lib. X. Nicomach.* hoc eſt, [illegible]igium ſuum in planum deducere. Quid de *Theodo[illegible] Magni* φιλανθρωπίᾳ *Claudian. Paneg. in Conſul VI. Honorii?*

Alternos cum plebe jocos dilectaq; paſſus
Jurgia, patriciasq; domos privataq; paſſim
Viſere depoſito dignatus limina faſtu.

Procopius aliquis à *Theodoſio* alienus judicâſſet, non meminiſſe illum, ſe Imperatorem eſſe. Contra morem ſuperiorum Principum egit *Julianus*, qui Cal. Januariis creatis novis Coſſ. Mamertino & Nevitta, officio Conſulari cum aliis honoratis *adfuit pedes*; quod alii reprehenderunt & vile & indignum Imperatorio culmine, ut ſcribit *Ammian. lib. XXII. p. 209.* nos iis accedimus, qui laudârunt. Nam & in hiſtoria *Marc. Antonini*, quam ille æmulabatur, ut perfectiſſimum civilis virtutis exemplar, reperio ipſum ſic honorâſſe filium ſuum Conſulem factum, ut in officio cum aliis *pedes curreret.* Vide *Capitol. in Marco.*

Quid

Quid de *Alexandro*, *Mammææ* filio dicam? *qui cum amicis tam familiariter vixit, ut communis ei eſſet ſæpè conſeſſus, iret & ad convivia eorum; aliquos autem haberet quotidianos, etiam non vocatos: Salutabatur verò quaſi unus ex Senatoribus, patente velo, admiſſionalibus remotis; aut ſolis iis, qui miniſtri ad fores fuerant: Cùm antea ſalutare principem & videre non liceret.* Auctor *Lampridius* ex emendatione *Salmaſii* & *Caſauboni*. Addit ibidem: *Salutabatur nomine* (hoc eſt, *ave Alexander*) *ſiquis caput flexiſſet, aut quid blandius alicui dixiſſet; uti adulator vel abjiciebatur, vel ridebatur ingenti cachinno.* Moleſtum quidem hoc erat Mammææ matri, & uxori Memmiæ, dicentibus: *Molliorem tibi poteſtatem & contemtibiliorem imperii feciſti*: Sed ille reſpondit ſapientiſſimè: *Sed ſecuriorem atque diuturniorem.* Hic profectò civilitatis fructus eſt, ad tuendam imperii felicitatem his artibus opus:

Publicus hinc ardeſcit amor, cum moribus æquis
Inclinat populo regale modeſtia culmen,

ait in ſuprà citato paneg. *Claudianus*; & quod *paradoxon* videri poſſit, *ſurgit, qui deſcendit.* Sic enim de *Antonino Pio* Capitolinus: *Imperatorium faſtigium ad ſummam civilitatem deduxit, unde plus crevit.* Non fecit ad aulicorum doctrinam *Auguſtus*, qui, ut ſcribit *Suet. in ejus vita*, cap. 73: *Suppellectile uſus eſt, quâ privatus aliquis nollet; ne toro quidem cubuit, niſi humili, aut modicè inſtrato; nec veſtem aliam, quàm domeſticam induit, ab uxore & filia neptibusq; confectam.*

Fortunam quoque ſuam ignoravit *Carus*, de

quo *Syneſius in lib.* περὶ βασιλείας, cùm in expeditione Perſica Legati hoſtium eum adiiſſent, circumdatum quidem frequenti milite, ſed auro & argento nihil cultum: Ipſum autem tunicâ indutum, *in herba veſcentem pulmento* quodam *piſeo, & fruſtis ſalſæ ſuillæ carnis inveteratis.* Alii de *Probo* referunt.

Ut è recentioribus nonnihil addam, *Rudolphus I.* erudiendus etiam fuit in Procopiana ſchola, qui mirâ civilitate ſemper uſus, etiam *veſtitu nihil à plebejis* differebat. Jucundum eſt, quod de illo præter alios refert *Lipſ. lib.II. Monit. & Exempl. polit. c.15. exempl. 5.* Manè egreſſus ſolus (& aura frigidior erat) videt *in piſtoris domo carbones* de fornace recentes, ignitos. Intrat fidenter, adſiſtit, calefacit: Cùm mulier eum adſpicit, & ex veſtitu æſtimans: *Heus*, inquit, *mi homo, parum decet vos, ad mulierculas & in alienam domum ſic venire.* Rudolphus: *Mea mater, miles ſum, qui meas res in obſequio & comitatu Imperatoris contrivi; at ille parum benignè me nunc habet, nec pro ſpe aut meritis muneratur.* Mulier ad illud Imperatoris nomen cœpit ſtomachari, & multa mala in Rudolphum dicere: *Quin iſte vir eſt*, inquit, *qui nos & noſtra perdit, pauperum ſcopulus & exitium. Meritò vobis hæc eveniunt, qui adhæretis, & ſequimini; atque ut plura eveniant, opto.* Rudolphus delectatur procaciâ mulierculæ: *Sed mulier*, inquit, *de me miſſum face: Vos propriè quâ re læſit?* ibi mulier exclamare: *Illene? qui omnes piſtores hujus urbis, lautos ſatis anteà, fortunis evertit: Nec facilè reſurgemus. At tu bone vir, fabulari deſine; nec ultrà moleſtiæ, aut impedimento*

mento nobis eſto, abi! Aliquid voluiſſet etiam Rudolphus, ſed illa Amazon vas aquarium in prunas accenſas jecit; & fumo, vapore, cinere perfuſum ejecit. Carolus V. (quo poſt Carolum primum majorem principem Germania non habuit) celebratus ob id pulcerrimis iſtis verſibus:

Carole, mortales dubitant, homo ſisne, Deusne:
Sunt tua ſceptra hominis, ſunt tua facta Dei.

Et ab eodem Rudolpho oriundus, vix intellexit, quid imperatoriam majeſtatem deceret; viderunt in *atra lanea penula, & vili pileolo.* Multi calumniati ſunt, & Principem requiſiverunt; ſed ut cenſet *Lipſius*, virorum vaniores.

Memorabile eſt, quod de eodem referunt alii: Quum jam ſenex regna omnia *Philippo filio* tradidiſſet, ad eumq; *Fliſſingæ in Selandia* ventum expectantem, quo navigaret in *Hiſpaniam, Seldius* à fratre *Ferdinando* legatus veniſſet; cũ eo multam in noctem producto ſermone, Imperator ſuis ſignum volà dedit; ut ſcilicet facem aliquis Seldio à ſe digredienti præferret. Verum enim verò nemine miniſtrorum apparente (alii enim cubitum, alii aliò conceſſerant) Imperator *accepto cereo, Seldium, quamvis reluctantem, per ſcalam ipſe deduxit.* Compara mihi Principem iſtum cum *Juſtiniano*, nam multò obſervantiorem hunc dices faſtigii ſui. Et quantum receſſit à decoro, ſi non *legatum* modò, ſed & *interpretem* in tantum honoravit? Interpres nonne in legati comitatu magna pars?

At *comitibus legatorum* æquè proſpectum atque *legatis* voluerunt *Athenienſes, Lacedæmoniique*; ut eſt

apud *Thucyd. lib. IV.* Nihil etiam frequentius in hiſtoriis, quàm egregia *munera* tùm legatis tùm comitibus eorum data eſſe. Juſtinianus verò *menſâ* dignatus eſt; quod ego non abſque ſingulari conſilio factum reor: Scimus enim, quàm efficax res ſit humanitas, ad tentandos & explorandos & devinciendos exterorum animos. Certè *Chosroës*, Perſarum Rex, illum *interpretem* poſt reditum *egit in crucem*, ſuſpectam habens effuſam illam Juſtiniani benevolentiam; quod alibi prodidit idem *Procopius lib. VIII.*

Ab humanitate atque facilitate *Giphanius* progreditur ad *pietatem*, virtutum principem. Sed *Procopius in Arc. Hiſt. p. 83.* vitio vertit, quod ille laudat, animo ad ſublimia traducto, Dei naturam curioſiùs perſcrutatum eſſe. Nobis cùm hic Scriptor omnia detorquere videatur in pejus, ſeparabimus ſeparanda. Fuit Theologicis ſtudiis imbutus à *Theophilo Abbate præceptore*, nec aliis poſtea delectabatur magis; ut ſuprà diximus è *Procop. lib. III. Goth.* Perpetuò, ſine cuſtodibus, *deſedit ad multam noctem in muſæo*, cum ſenioribus quibusq; Sacerdotibus; *attentiſſimo ſtudio arcana Chriſtianorum dogmatum inveſtigans.* Hæc laudi, quàm culpæ viciniora ſunt; ſi attentiſſimo ſtudio ſcrutatus eſt, quæ in ſacris myſticisq; libris referantur. Hoc ipſe Salvator non ſolùm ſacræ confeſſionis homines, ſed omnes juſſit, ut *ſcrutarentur Scripturas.* Inculcant idem ſanctiſſimi quoque Patres; ut *Chryſoſtomus*: Οἱ βουλόμενοι σωθῆναι προσεχέτωσαν ταῖς γραφαῖς. Hoc eſt: *Si quis vult ſalvari, ad Scripturas animum applicet.* Cujus etiam hoc eſt: Τοῦ

πάντων

πάντων αἴτιον τῶν κακῶν, μὴ εἰδέναι τὰς γραφάς. Hoc eſt: *Malorum omnium hæc cauſa, quod Scripturæ ignorentur.*

Plura verò ſcire velle, quàm quæ revelata ſunt, id neque culpâ neque periculo caret. Dico cum illo *Phileta apud Stobæum* lib. II. Eclog: *Deum eſſe, crede & colito, ſed non quærito.* Et cum *Ariſtotele*, quem *Seneca lib. VII. Nat. Quæſt. c. 30.* laudat: *Nunquam nos verecundiores eſſe debere, quàm cùm de Deo agitur.* Tunc & locum habet, quod *Euripides* ait in Alceſte:

Οὕτως δὲ θνητοὺς θνητὰ καὶ φρονεῖν χρεών.

Hoc eſt, interprete Cantero: *Mortalia autem ſapere mortales decet.* Adde quædam apud *Agath. lib. II. p. 59. Bernegg. in Germ. Tac. q. 154. Lipſ. lib. I. Polit. c. 2.* Sed quàm ſobriè ac circumſpectè Juſtinianus noſter! Non ſedet inter calidos & ambitioſos juvenes, quibus diſcendum potiùs eſt, quàm docendum; ſed, inquit, ὁμοῦ τοῖς τῶν ἱερέων ἐσχατογήρῳσιν. Hoc eſt, ut è *Salluſt. Catil. c. 6.* vertam, *delectis, quibus corpus nimis infirmum, ingenium pietate ac ſapientiâ validum erat, ſibi bonoq; publico conſultaret.*

Ab hoc pio ſtudio profecta ſunt peregregia multa. Nam initio ſtatim imperii *edictum* promulgavit *de fide orthodoxa, l. 5. Cod. de Summ. Trinit.* & hæreticos omnes, qui Eccleſiam *ſub Anaſtaſio, Gothis & Vandalis* graviter perſecuti erant, juſtis animadverſionibus ultus eſt: Sed & neminem ad dignitatem publicam admiſit, niſi qui fidem ſuam approbâſſet. Sed in eam hæreticorum perſecutionem *Procopius* non ſemel invehitur, notatque ab hæreticis pœnas exactas

non tam pietatis zelo, quàm pecuniæ cupiditate; præterea exhauſtum & deſtructum imperium tot millibus ſpoliatis, fugatis, cæſis.

Cæterum ex actis illorum temporum probari non poteſt, Juſtinianum, religione prætextâ, *cupiditatibus* ſuis feciſſe ſatis. Hæreticos non tam *edictis*, quàm *colloquiis* inſtitutis reducere voluit ad ſaniorem mentem *Baron. in A. C. 532. n. 30.* Qui obſecuti ſunt, nihil accepêre moleſtiarum.

Pecunias quàm neglexerit, tot urbes loquuntur, quas extruxit; tot baſilicæ, tot templa; & in primis illud *S. Sophiæ* Conſtantinopolitanum, quo abſoluto exclamavit: VICI TE SALOMON! juſſitque *Regis ejusdem ſimulacrum* è regione S. Sophiæ collocare, *mœſti & genas carpentis*; *quaſi* ejus ædificii mole ac pulchritudine *ſuum templum ſuperatum doleret*; ut ſcribit *Auctor Originum Conſtantinopolitanarum.* Quid dicam de immenſa pecuniæ vi, quam pro imperii ſecuritate largitus eſt barbaris, ne provincias inſectarentur? Videndi *Agath. lib. V. Euphrem. in Chron.* Ipſe *Procop. lib. VIII. & in Arc. Hiſt. p. 49.*

Scio, quid dicant, rapuiſſe, ut prodigeret; quod qui faciunt, liberales dici non poſſunt. Nos, quas reprehendunt *impenſas*, maximam partem *neceſſarias* fuiſſe, dicemus poſteà. Interim ne longiùs abripiamur ab inſtituto, prò Juſtiniano conſulendam putamus *Novellam XVII. cum edicto ſecundo*; unde conſtat, *quæſitores hæreſeon, quod provinciales avaritiâ ſuâ graviter onerarent, planè ſuſtuliſſe.* Sic calumnia eſt, quod dicitur, pecuniarum quærendarum cauſa hæreticos invaſiſſe.

Ac

Ac ſanè opportunum adeſt, quod *ibidem* diſcimus, *quæſitores impotentiùs egiſſe in officio ſuo*. Largimur igitur *Procopio* & aliis, multos ſub Juſtiniano bonorum naufragia paſſos eſſe, per vim & injuſtitiam; ſed *à præſidibus* potiùs, quàm ipſo jubente. Non ſit " autem Principi fraudi, aliquando peccâſſe mini- " ſtros; ſed peccâſſe ſciente illo, nec puniente. " Nullum imperium tam ſanctum fuit, ſub quo non " eſſent præſides avari ac malitioſi: *Nec deerunt un-* " *quam*, donec imperia, donec mundus erit. *Vitia* " *erunt, donec homines*, ait Cerealis apud *Tac. lib. IV. Hiſt. c.74.* Mirarer, & ſtuperem, velut prodigio conſpecto; ſi Juſtiniani imperium non habuiſſet homines malos: Nunc, ſi habuit, tanquam in hac terreſtri fæce, & in amplo & diffuſo imperio, quid eſt, quòd tantoperè commovear? ſub omnibus Principibus fuerunt id genus quæſitores; fuerunt *Triboniani, Addæi, Petri, Johannes, Ætherii*; & quos alios rapaces & flagitioſos nominant *Procop. Evagr. Theophan. Suid.*

Principes extra culpam, niſi de induſtria conniverent, & omnia omnibus per ſocordiam permitterent. Sed eſto: Juſtinianum non omnia facinora latuiſſe; multa etiam tam crudelia, quæ *Procopius* memorat, jaſſiſſe: Hîc nobis incidit, quæ apud *Tacitum lib. III. Ann. c. 54. §. 4.* legimus: *Ne corporis quidem morbos veteres & diu auctos, niſi per dura & aſpera coërceri.* Et, quod ait *Publ. Syrus:*

Crudelem medicum intemperans æger facit.

Conſtantinus *Arium* & *Arianos deportari* juſſerat:

Theodoſius, Valentinianus & Arcadius legem tulerant, quâ *omnis denegabatur hæreticis facultas militandi*; quin imò *extra urbis mœnia depulerunt*, ut eſt in *Cod. Theod.* Aliquot concilia ſanctiſſimorum Patrum habita erant, quibus damnati ſunt; nullum non remedium adhibitum fuit.

Sed & mirificum *ignominiæ genus* excogitârunt: Nam *Byzantii in publicis latrinis hæreticorum anteſignani ex marmore ſculpti humi jacuerunt, ut in abominanda capita ventris onera plebs egereret.* Annales Conſtantinopolitani: *Eo in loco, ubi* Arius *deteſtandam mortem ſubiit, à piiſſimo Theodoſio ſculptus eſt ex marmore, humi hærens; & unà cum illo* Macedonius, Sabellius *&* Eunomius *ad improperium; ut prætereuntes ſputis, urinâ ac ſtercore eos deturparent.* Quin aliquot Principes verſis gladiis pugnaturi, pacem & quietem indulſerunt; ut pœnitentiæ ſpatium darent. *Ammianus lib. XXX.* de Valentiniano: *Inter religionum diverſitates medius ſtetit, nec quemquam inquietavit; neque ut hoc coleretur, imperavit, aut illud; nec interdictis minacibus ſubjectorum cervicem ad id, quod ipſe coluit, inclinavit.*

Talis etiam fuit *Leo*, ut ipſe *Giphanius* notavit: *Sed quid moderatione profectum eſt? Totum* Orientem *tum alia, tum* Eutychiana *&* Neſtoriana; Occidentem Ariana *hæreſis invaſerat, occupaverat, & ima ſummis miſcuerat: Hoſtibus & barbaris nationibus proditi & expoſiti cives, multi bonis exuti, nec pauciores occiſi.* Quòd ab imperio tot provinciæ avulſæ ſunt, non levem cauſam hæreticorum perfidiam exiſtimat. Sic

verbis

verbis *Salluſt. in Catil.* cap. 52. *manſuetudo & miſericordia bonis in miſeriam vergit.*

Quid Juſtinianus faceret? Conſumta erant omnia remedia; verſabatur ob oculos certa pernicies, nulla unitas, nulla ſocietas, nulla fides in rebus jam profanis ſupererant: Ni vinci mallet, induendam ſeveritatem videbat. Sed hîc deploras ſolitudinem ingentem factam cum Procopio, & ex *Lucano:*

Heu quantum terræ potuit pelagiq́; parari
Hoc, quem civiles hauſerunt ſanguine dextræ.

Siſte lacrymas, mi homo! *Lycurgus* Reip. admotus, vidit *Spartanos* κακονομωτάτες σχεδὸν πάντων ἑλλήνων, hoc eſt, *ex omnibus Græcis peſſimis legibus uſos*, ut *Herod. lib. I.* ſcribit. *Omnes ſolutis moribus viventes,* ut *Juſt. lib. III. c. 3. §. 10.* Quid faceret? nihil proficí videns mitioribus remediis, per ſeveriſſimas pœnas quærit Reip. ſalutem; *Ibis* inde cognominatus, ut ex *Ariſtoph. in Avib. & Plutarchi Lycurgo* colligit *Valeſius ad Amm. lib. XXII. p. 26.* Unde ſparta plus crevit, & totius Græciæ principatum adepta eſt.

Nimirum *exilium malorum, ingens bonorum ubertas eſt; nec alia terra citiùs habitantur, quàm ubi bonis benè, malis malè eſt.* Quin ut plures falſæ religiones convellunt pacem & felicitatem publicam (negant alii, ſed contra experientiam: Quæ de Turcis & aliis afferunt, ad ea ſatis reſponſum à *Lipſio in lib. contra Dialogiſtam)* ita una vera diſſidiorum faces extinguit, vacantes ſedes novis bonorum colonis explet; & nullus non divinæ benedictionis fructus paſſim apparet.

Non evagabor per hiſtorias paſſim; ſed imperium *Juſtiniani* ſaltem conſiderabimus. Quàm multi pii ac boni ſuccreverunt, exciſis impiis turbatoribus? Non credo ſub alio Principe tot Reges, tot millia converſa ad Chriſtianam fidem, quàm ſub Juſtiniano. De Rege Herulorum *auctor Miſcellæ lib. X.* in princ: *Interea* Rex Erulorum, Gethes *nomine, venit Conſtantinopolim cum populo, & rogat Imperatorem de ſacris Chriſtianis ſecum communicandis; qui baptizatum in Theophaniis ſuſcepit eum ex baptiſmate, re promittentem auxiliari ei, in quibuscunque voluiſſet!* En maximam utilitatem! pulſis impiis, novo Chriſtianæ reip. cive, novis auxiliis firmatur imperium.

Paulò pòſt & *Hunnorum Rex* Chriſtianis ſacris initiatus eſt. *Auctor* idem: *Tunc &* Rex Hunnorum, *qui ſunt juxta Boſphorum, nomine* Gorda, *acceſſit ad Imperatorem, & factus Chriſtianus ſuſceptus eſt; & multis præſtitis donis, miſit eum in regionem ipſius, ad cuſtodiendas Romanas res, & Boſphorum civitatem.* Aliquot abhinc annis *Adadi* Regis Axumitarum *legati magnificentiſſimè accepti, cum Johanne Epiſcopo dimittuntur, ut ab eodem Chriſtianis ſacris initiarentur*; quemadmodum ſcribit *idem.* De hac ipſa converſione Cedrenus: *Adadus,* Axumitarum Rex, *poſt victoriam de Damiano reportatam, Deo gratias agens, miſit ad Juſtinianum; ab eoq́; ſibi Epiſcopos & Clericos mitti petiit. Ita tota regio Chriſti fidem amplexata eſt, baptizatiq́; ſunt, & Chriſtiani facti.*

De *Theodomiro,* Suevorum Rege, *Gregorius Turonenſis in Rebus S. Martini,* & *Iſidorus* in

Chron:

Chron: *Poſt multos deinde Reges, regnum Suevorum ſuſcepit Theodomirus; qui fidem Catholicam adeptus, Arianæ impietatis errore deſtructo, Suevos unitati fidei reddidit.* Hi ſunt illi Suevi, qui ante Juſtinianum Principem non modicum damnum ſacris & profanis intulerant.

De Abſagis populis *Evagrius lib. IV. cap. 21.* è Procopio: *Meminit præterea idem Scriptor,* Abſagos *ad mitius humanusq́; vitæ genus traductos, iisdem temporibus fidem Chriſtianam recepiſſe; Juſtinianumq́; miſiſſe quendam ad illos, qui vetaret mares caſtrari.* Fuerunt populi *ad Caucaſum,* qui multos *mares caſtrando* necaverant. Nam ex *nonaginta* vix *tres* reſervabantur, ut ſcribit ipſe *Juſtinianus Novell. CXLII.*

De Tzanis *Procopius lib. de Ædif.* Juſtiniani: *Juſtiniano imperante à Romanis pugnâ victi, & jam amplius certamini non fidentes, ſtatim ſeſe omnes dediderunt; magis deligentes quietam ſervitutem, quàm libertatem periculoſam; & mutatá religionis opinione, omnes Chriſtiani facti ſunt; & vitam humaniorem amplexi, dimiſſis latrociniis, Romanos in ſuos hoſtes egreſſos ſemper comitati ſunt.*

De Blemmyis & Nabathæis idem *d. l. & lib. I. Perſic:* *Hæ gentes cùm alios Deos, uti Græci, tùm* Iſidem *&* Oſirim *magnoperè colerent, nec minùs etiam* Priapum; *nonnunquam humana hoſtia* Soli *facerent:* Narſes, *Juſtiniani mandato, templa delevit, Sacerdotes vinxit, & ſtatuas Conſtantinopolim miſit. Imperator animas omni ſtudio ſervare volens, Chriſtianis ſacris imbuit; & ab obſcœnis patriæ moribus ad meliorem vitam traduxit.*

De

De Mauris Idem dicto loco: *Omnes à Juſtiniano perſuaſi Chriſtianorum dogma ſponte amplexi ſunt; vocanturq́, nunc* Pacati, *quod Romanis ſemper confœderati ſunt.* Tam uberem in Chriſtiano agro meſſem fecit hic Princeps, & ſi nullum aliud meritum ei *Magni* cognomen peperiſſet, hoc unum debuiſſet.

Ipſe quàm ob ſingularem pietatem & propagandæ orthodoxæ fidei ſtudium Deo Opt. Max. acceptus fuerit, apparuit in *ſæviſſimo* illo *morbo*, qui omni medicorum peritiâ diligentiâq́; ſuperior fuit; quem in eodem *Tractatu de Ædif.* deſcribit *Procopius.* Apparuit in *ſeditione* omnium *atrociſſima*, quam *Hypatius, Pompejus,* & *Probus* in eum concitârunt; & deſcribit *Marcell. in Chron.* Apparuit in diſcriminibus aliis, quibus ſuperatis imperium diutiùs tenuit, quàm Imperatores alii vixerunt. Plura de Juſtiniani pietate, de templis, monaſteriis, ptochotrophiis, & aliis ab eodem extructis, quæ dici poſſunt, jam præcepit *Giphanius.*

Illud tamen probare minimè poſſum, ſi verum eſt, quod refertur; *Theologicas quæſtiones* imperiali *faſtu dirimere* voluiſſe: *Agapeto* namq́; diſſentienti & meritò Juſtinianum minatum ſcribit *Anaſtaſius* in Agapeto: *Aut conſenti nobis, aut exilio deportari te faciam!* Simul erroneum dogma de incorruptibili poſt unionem Chriſti humanitate, *Eutychium* pro imperatoria poteſtate ratum habere, aut exulare juſſiſſe refert *Euſtathius,* Scriptor σύγχρονος. Etiam omnes Epiſcopos, qui in diſceptationibus de fide ac religione à ſe diſſentirent, vel conjeciſſe in vincula,

vel

vel ſupplicio affeciſſe; teſtatur *Victor Tununenſis in Chron.* & *Liberatus Diaconus in Breviar. c. 34.*

Profectò limites ſuos exceſſit, namq; *Eſ. XLIX. ꝟ. 23.* ſcriptum eſt: *Erunt Reges nutricii tui, & reginæ nutrices tuæ*; nihil aliud vult, quàm Principem hoc tantum juris habere, ut vim, fraudes, turbas & externa hæc mala ab Eccleſia arceat; & quod in ipſo eſt, pacata ſacra præſtet, ac quieta. Sic *Auguſtinus tractatione III. in Joh.* ſtatuit: *Pertinet hoc ad Reges ſeculi Chriſtianos, ut temporibus ſuis pacatam velint habere matrem ſuam Eccleſiam.* Sic *Leo I. ad Leonem* Imperatorem: *Debes, Imperator, incunctanter advertere, regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collocatum.*

At controverſias de fide decidere pro Imperatoria poteſtate nec poteſt nec debet. Placet *Marciani* Imperatoris modeſtia, de qua *Facundus Herminianenſis* hunc in modum: *Eccleſiaſticorum Canonum executor eſſe voluit, non conditor, non exactor.* Qui & de *Leone* Imperatore: *Piæ memoriæ Leo,* inquit, *quietem non conturbavit Eccleſiæ, quia non ſuo arbitrio ac poteſtate præſumſit doctrinæ Dominicæ decreta ſtatuere; nec quicquam ſolis creditum Sacerdotibus uſurpavit. Neq; ſolùm non extorquere, ſed nec præire tentavit ſententiam Sacerdotis.* Sed hæc infrà dicenda fuerunt in Eccleſiaſticis cum *Giphanio*: Nos verò religionis ſtudium domi cultum eò usque abduxit, ut & ea, quæ publicè fecit Eccleſiæ, ſubjiceremus.

Jam ad eundem *Giphanium.* Is, relictis domeſticis, de publicis verba facturus, omnia Juſtiniani *di-*

vidit

vidit in ea, *quæ nondum Imperator*, & ea, *quæ Imperator* geſſit: *Nondum Imperator* cum Juſtino avunculo, ipſo quoque adhuc privato, juſſu Anaſtaſii Imperatoris, in carcerem conjectus eſt; perduellionis inſimulatus. Ereptum ajunt, cùm Anaſtaſium per quietem à cæde *Sergius* & *Bacchus* martyres deterruiſſent. Eos *pro tutelaribus* divis jamdum colere cœperant *Dardani* & *Illyrienſes*. Quam ut hominum, ad ſuperſtitionem proclivium, vanam perſuaſionem eſſe credimus: Ita non dubitamus, fuiſſe Angelos, certiores interpretes & internuncios divinæ voluntatis. Quamvis ipſi, *Juſtinus* & *Juſtinianus*, velut à martyribus accepto beneficio, ſuperbiſſimum iis templum ad urbem *Scodram*, *Barbanamq́*; fluvium, excitârint; ut narrat *Theophilus*, Juſtiniani præceptor. Notanda verò vox, quâ Anaſtaſius à cæde revocatus eſt: *Parcendum iis, qui futura eſſent vaſa, conſilio providentiæ divinæ exequendo apta; qui & ſuo tempore ſtrenuam operam navaturi*. Vide *Cedrenum*, *Zonaram*, & *Ephrænium*.

Juſtinus poſteà Imperator factus, *Juſtinianum* in locum cæſi Vitaliani magiſtrum militum deſignat; ipſo Vitaliano & Ruſtico Coſſ. hoc eſt, A. V. 1271. ut ſcribit *Zonaras*; qui, ut tempus ſcias, cum Marcellino conferendus eſt. Μονοςράτηγον τῶν Ῥωμαϊκῶν ϛαγμάτων, id eſt, *ſolum Romanarum legionem ducem*, deſcribit *Conſtantinus Imperator lib. I. Them. 12.* Altero anno, qui fuit ab A. C. 1272. cum Valerio Conſulatum geſſit; de quo hunc *Marcellini* locum affert Giphanius: *Famoſiſſimum hunc Conſulatum Juſtinianus præ Conſulibus omnium Orientalium utilitatibus edidit*:

edidit. Nam 288. ſolidorum ſeſtertiûm libera Conſulum profecta munificentia in populum, inque ſpectacula, ſive ſpectaculorum machinam diſtributa ſunt, XX. leones, XXX. pardos; exceptis aliis feris, in amphitheatro ſimul exhibuit.

Nihil fœdiùs corruptum, quod ipſe *Giphanius* vidit; ſed ob manuſcriptorum penuriam emendare non potuit. *Sirmondi* liber ſic habet: *Famoſiſſimum hunc Conſulatum Juſtinianus Conſul, omnium Orientalium Conſulatu profecto munificentior, his liberalitatibus edidit. Nam* CCLXXXVIII. *millia ſolidorum in populum, inque ſpectacula, ſive in ſpectaculorũ machinam diſtributa, XX. leones &c.* Hæc omnia ſana ſunt: *Profectum Conſulatum*, illius ſeculi conſuetudine, dicit eum, qui *proficuus* erat, *munificentiâ* ſplendidus.

Inſanam munificentiam vocat *Procopius in Arc. Hiſt.* Tanquam non à Conſtantini temporibus furentem illam plebem moris eſſet conciliare ſtupendis congiariis. Tantò verò ſuperare debuit omnes Juſtinianus, quantò ſummæ ſpei propior erat. Meminit ejusdem Conſulatus *l. 8. C. qui teſtamentum facere poſſunt, vel non.*

Poſt Conſulatum factum eſſe *Patricium*, ſcribit idem *Giphanius*; quod unde ſit, alii viderint. *Victor Tununenſis* Patricium fuiſſe dicit eo tempore, quo Vitalianus occiſus eſt: *Vitalianus*, inquit, *Conſtantinopoli, intra palatium loco, quem Delphicum Græco vocabulo dicunt, Juſtiniani Patricii factione dicitur interfectus fuiſſe.*

Refert dein *Giphanius*, quantis precibus Juſtinum

num fatigârint proceres, ut Juſtinianum imperii conſortem faceret: idque cùm obtinere non poſſent, *Nobiliſſimum* eum feciſſe; quæ *Nobiliſſimatus* dignitas *filiis Imperatorum* fuerit propria. Secutus eſt *Zonaram Marcellinus*, à Juſtiniano *Nobiliſſimum deſignatum* ait; *quia ſcilicet Senatus voluntatem confirmavit.* Locum illius *Baronius in A. C. 527. n. 1.* peſſimè accepit: *Jamdudum à ſe Nobiliſſimum (nempe Cæſarem) appellatum, regni ſui ſucceſſorem deſignavit Calendis Aprilibus.* Exiſtimavit per *Nobiliſſimum* ſtatim ſubintelligi *Cæſarem*; in quo fallitur. Alius per illa tempora *Nobiliſſimus*, alius *Cæſar*; ut eruditè docet *Alemannus apud Procopium p. 42.* Et ſunt exempla paſſim obvia. Ex his verò conſtat de ſumma omnium optimatum benevolentia in Juſtinianum; ut profectò inſigni virtute præditum fuiſſe, & reliquis ducibus omnibus excelluiſſe, nemo dubitare poſſit.

Tandem etiam *Cæſarem* fecit (ut ſcribit *Victor* Tununenſis) *ad perpetuam Senatus ſupplicationem*; ſive (ut *Cyrillus*, Scythopolitanus) *univerſo Senatu comprobante.* Sed & ex *Zonara* jam audivimus, quis animus procerum in Juſtinianum fuerit. *Procopius* ait: *Cum avunculo Romanorum Cæſar appellatur, ſi tamen bono id jure factum*; nam metu ac minis Senatus populusque perterritus in eam impellitur ſententiam; quæ *Zonaræ*, *Victori*, & *Cyrillo* planè contraria ſunt. Vult, à Juſtino hunc invitum impoſitum Senatui populoq; Romano. Vel hinc conſtare poteſt, *quo veritatis ſtudio Arcanam* ſuam *ſcripſerit Procopius.* Nos pluribus teſtibus, qui nihil gratiæ dederunt, fidem adhibere

adhibere malumus, quàm uni, ad convicia ſpargenda tàm avido.

Creatus eſt igitur Juſtinianus tàm legitimè, ut vix unum vel alterum è tanto Cæſarum & Imperatorum numero nobis dare poſſis, cum iſto comparandum. *Auguſtus* quibus artibus Principatum fecerit ſuum, docet *Tacitus lib. I. Ann. c. 10.* Qui ſecuti ſunt, *à Senatu imperium accepiſſe videri volebant*; ſed non niſi *ab invido* acceperant, vel *prorſus non* acceperant; Imperatores per *tumultum* militarem, per *ludum* ac *jocum* facti. Oppidò paucos excipiemus.

Diem, quo Cæſar ſalutatus eſt, *Marcellinus* notavit: *Creavit*, inquit, *Calendis Aprilibus.* Conſentit *Theophanes*, cujus verba ſunt: *De prima menſis Aprilis indictione quintâ, die feſto Paſchæ, Imperator Juſtinus ægrotans, adhuc vivus, ad imperium promovit Juſtinianum nepotem; eumque coronavit.* Sed *Procopius in Arc. Hiſt.* dominationem Juſtinianum ſuſcepiſſe dicit, *tertio ante feſtum Paſchatis die.* Quæ conciliari poſſe putat *Alemannus* cum *Marcellino* & *Theophane.* Tertio ante feſtum Paſchatis die adoptatus, & in collegium adſcitus eſt à Juſtino: Ipſo die feſto Paſchæ, ut ſolennia ſolennibus augerentur, & populi major confluxus eſſet, repræſentatus; & ab omnibus fauſtis acclamationibus Imperator ſalutatus eſt.

Ita mentem ejus interpretor, nec aſſentiri recuſo; niſi *Procopius* in odium Juſtiniani hoc finxit, ut perſuaderet poſteris, *inauſpicato die inauguratum* Juſtinianum; atque hinc funeſtiſſimi imperii omen potuiſſe

tuiſſe capi: Nam tertio ante Paſchatis celebritatem die, qui *Cœna Domini* vocatus, *nulli dicere ſalutem vel pacem, fas erat*; ut ipſe notat. Cujus conſuetudinis veſtigia in *Eccleſiâ Romanâ* ſupereſſe notavit idem *Alemannus*. Nam eo die, licet inter miſſarum ſolennia *pacem*, de more ſacrorum, à Deo petat Sacerdos; qui tamen myſteriis interſunt clerici ac plebeji, *ob mœſtitiam* Chriſti paſſionis, *à læto pacis oſculo* & ſalutatione *temperant*.

Seu finxit *Procopius*, illo die Juſtinianum Imperatorem deſignatum, ſeu verum eſt; voluit *Procopius* id, quod *Suetonius in Vitellio* cap. 11: *Magis deinde ac magis omni divino humanoque jure neglecto, Alienſi die Pontificatum maxumum cœpit*. Sed Tacitus quàm ſapienter *lib. II. Hiſt.* cap. 91: *Apud civitatem cuncta interpretantem, funeſti ominis loco acceptum eſt, quòd maximum Pontificatum adeptus Vitellius.* His enim verbis, qui Tacitum ſeriò inſpiciunt, intelligent, *ſalsè ridere* civitatem Romanam; quæ ex hiſce *rebus tàm nullius momenti* auguria *rerum futurarum* ducat capiatque. Stultè horrebat illum diem, quo non tantùm infortunium perpeſſa eſt, ſed & Duce Lucullo, *Armenios* & *Tigranem* magno prælio devicit; ut eſt apud *Plutarchũ in Camillo. p. 138.* Magno animo *Julius Cæſar* nullâ id genus obſervatione à quoquam incepto abſterritus unquam, vel retardatus eſt; ut ſcribunt *Suetonius in ejus vitâ, c. 59.* & *Appianus extremo lib. II. de Bellis Civilibus*, qui Cæſarem cùm Alexandro Magno comparans, *utrumq́; fuiſſe* ſcribit *contemtorem religionum*, id eſt, omina, auguria, vaticinia flocci-

pendiſſe.

pendiſſe. Quanquam *Alexander* ad extremum mutatus, *minima & leviſſima quæque in omen vertit*; ut eſt apud *Plutarchum in ejus vitâ.* Sit ergò Juſtinianus die minùs læto inauguratus, quid tum erit poſtea? Tàm id apud ſapientes & generoſos nullam Juſtiniano ignominiam parit, quàm nihil laudis vel Neroni, vel Domitiano, vel Heliogabalo; ſi die quàm feſtivo, quàm auſpicatiſſimo honores adepti ſunt.

Cæterùm non diu ſupervixit Jüſtinus: Nam eodem anno, Cal. Sextil. ut ſcribit *Cyrillus Scythopolitanus*, & *Evagrius lib. IV. c. 9.* ex *ulcere pedis*, quod in bello contraxit; accepto vulnere, extinguitur; ut eſt in *Faſtis Alexandrinus.* Adde *Onuphrium.* Sic rerum Juſtinianus ſolus potitus eſt, de quo verè dicere poſſum, quod de Bruto, & ad Brutum *Lucanus*:

O decus imperii, ſpes ô ſuprema Senatus,
Extremum tanti generis per ſecula nomen!

Nemo labentibus imperii rebus fortiorem ſuppoſuit manum; nec poſt illum repertus eſt, qui Romani nominis majeſtatem virtute pari tueri poſſet. Omnia ejus poſt obitum rurſus collapſa ſunt, & tàm oriens, quàm occidens alienum jugum ſubire cœpit. Verè igitur MAGNUS cognominatur à non paucis Scriptoribus: Vide *Nicephorum in Chronologiâ, auctorem Chronici Alexandrini, & alium, qui ſcripſit Antiquitates Conſtantinopolitanas.* Nec aliter judicârunt gentes exteræ. Quàm tibiam ſuam inflat *lib. IV. c. 12. Florus* in deprædicandâ Octavianâ Auguſti magnitudine! *Illi quoque*, inquit, *qui immunes imperii erant, ſentiebant tamen magnitudinem & victorem gentium; po-*

 pulum

pulum Romanum reverebantur. Nam & Scythæ miſére legatos, & Sarmatæ amicitiam petentes &c.

Si rem exactè conſideres, longè majorem dices Juſtiniani gloriam; quam non tantùm ii venerati ſunt, qui arma Romana nunquam experti; ſed maximè, qui Romam à ſe nuper captam, multos exercitus cæſos gloriari potuerunt. Juſtiniano-maſtix *Procopius* hoc fatetur, *barbararum gentium*, quæ ad ortum & occaſum pertinent; quæve ad meridiem & ſeptentriones, ipſorum etiam Britannorum & aliorum ubique locorum; quorum nomina ne Romani quidem antè norant, ſub Juſtiniano *Conſtantinopoli* ſe vidiſſe *legatos*. Sed quemadmodum aranea omnia vertit in venenum: Ita *Procopius* hoc ipſum factum ait, *ut pecunias acciperent:* Notam enim fuiſſe gentibus omnibus *prodigalitatem Juſtiniani.*

Mihi quidem perridiculum hoc eſt, tàm abjectum, & pauperem fuiſſe orbem reliquum terrarum; ut omnes pecunias ab uno petierint. Athalaricus, Gothorum Rex, *magnis opibus*, è primis fuit; qui per legatos eminentiſſimos amicitiam petiit, iisque ferendas dedit literas; in quibus hodiè legimus: *Illud eſt mihi ſupra dominatum, tantum Rectorem habere propitium. Non enim in totum à parentibus deſtituimur, qui tali protectione fulcimur.* Leguntur apud *Caſſiodorum lib. VIII. ep. 1.* Quid? ipſe *Procopius lib. I. Vandalicorum* auctor eſt, Hildericum, Vandalicorum Regem, frequenti legatione conveniſſe Juſtinianum *pro pace*; & muneribus frequentâſſe, plurimumque coluiſſe. Amalaſuentha Juſtiniani benevolen-

volentiam omnibus officiis demereri ſemper ſtuduit; quod idem *Procopius lib. I.* docuit. Quàm multi Reges *ſacrorum Chriſtianorum causâ* venerint Conſtantinopolin, jam ſatis expoſui. Finxit igitur *Procopius in Arcanâ* ſuâ cauſas quaslibet.

Illud tamen non diſſimulârim, Juſtinianum exterarum gentium *legatos ingentibus muneribus* proſecutum. Sic ſcribit *Theophanes*, cùm Rex Iberorum, Zamanarſus, cum uxore & regni ſui primatibus Byzantii acceptus, Romanorum ſocietatem petiiſſet; Juſtinianum gratam rem habuiſſe, eumque & illius Principes magnis largitionibus cumulâſſe: Theodoræ verò, Zamanarſi uxori, quamplurima donâſſe ornamenta gemmis diſtincta. Sic Regis Abarorum, ſic Regis Azumitarum, ſic Regis Ermechiorum, ſic Regis Perſarum legatos habuit humaniſſimè & lautiſſimè; nunquam pecuniæ parcus. *Procopius* & alii nonnulli culpant, nimis profectò moroſi, iratisque adeò Lubentiis ac Gratiis nati; quæ in aliis veteres ſatis laudare non potuerunt.

Vix quisquam fuit, qui Monarchiam & potentiam maximam adeptus eſt; quin eam, ut adipiſceretur, ſolis ferè largitionibus effecerit. *Alexandrum* filium *Olympias*, ſagacis ingenii mulier, hoc præcepto imbuere non deſtitit; ut, quos poſſet, *humanitate aut pecuniâ* in amicitiam illiceret. Contra nitebatur pater, falli, qui regium id putaret, miniſtri & diribitoris officium eſſe (*Plutarchus in Apophthegmatis, Cicero lib. II. de Offic. c. 15. Valerius Maximus lib. VII. c. 2. ex. 8.*

Sed Alexander præferebat *conſilium matris*, gnarus *oraculi*, quod in ore habuerat pater:

Haſtis pugna argentatis, atque omnia vinces.

An illius Pythagorici, *hæc duo divinitùs homini data, eſſe pulcerrima: Veritatem amplecti, ac liberalitati operam dare.* Ut refert *Ælian. lib. XII. Hiſt. Var. c. 59.* Igitur illius congiaria fuerunt urbes.

Alexandri æmulus, cùm adhuc quæſtor eſſet, ſed Alexandro poſteà major, *C. Jul. Cæſar* victoriis ſuis uſus eſt liberaliſſimè; dum ex iis nihil ſibi reliquit, niſi diſpenſandi poteſtatem. *Seneca lib. III. de Irâ c. 30.* Senatus magnam partem non ſolùm fœnore levavit, ſed & uberrimo congiario proſecutus eſt, *L. Paulum*; ne contra ſe ſtaret, *quingentis talentis* flexit, id eſt, nongentis millibus Philippicûm. *Curionem* majore etiam ſummâ, id eſt, quindecies centenis millibus Philippicûm. Militibus dedit prædia tota, & ſingulis aliquando veteranis *quingentos Philippicos* (eorum militum erant minimum *triginta millia*, non accenſitis Centurionibus, Tribunis, Præfectis, atque ipſis Equitibus) Populo, qui è publico paſcebatur, id eſt, *trecentis viginti millibus* civium, *tres milliones*, ducenta millia Philippicûm; præter *frumentum & oleum.* Super hæc Reges & provincias per orbem terrarum illiciebat (attende, & mirare factorum utriusque, *Jul. Cæſaris, & Juſtiniani*, ſimilitudinem) aliis captivorum millia dona offerens; aliis quò vellent & quoties vellent, auxilia ſubmittens; ſuperque *Italiæ, Galliarum, & Hiſpaniæ, Aſiæ* quoque & *Græciæ* potiſſimas *urbes* præcipuis opibus exornavit. Hæc cùm expendiſſet

diſſet *Lipſius lib. II. Admir. c. 12.* alti ſpiritus virum non lacerat, ut Juſtinianum *eſurientes Graculi*; ſed ſtupet, & animo recollecto acclamat: *Nil niſi novus quidam Triptolemus hîc eſt, qui ſublimi vectus curru, ſemina non frugum, ſed liberalitatis ſuæ per terrarum orbem ſpargit!*

Secutus eſt *Auguſtus*, de quo dubitat *Idem*, annon ut diuturnitate imperii, ſic & *liberalitate* Jul. *Cæſarem*, patrem adoptivum, *ſuperarit*. Antequam Conſulatum primum gereret, nondum XX. annorum adoleſcens, *unum millionem* in milites & evocatos, quos metu Antonii contraxit, & in Quartam Martiamque legiones effudit. In ipſo Conſulatu, cùm ſignis à Mutino motis urbem intraret; dedit, quæ deduxerant, octo legionibus, *ſex milliones*. In Philippenſi prælio, ubi de Principatu actum & libertate, promiſſi & repræſentati, *centum quinquaginta milliones*. Jam in Principatu largitionum aliquot meminit *Ancyrarum monumentum*; quod *Busbequio*, qui ex Oriente ſecum attulit, debet reſp. literaria. Primùm ex teſtamento Cæſaris univerſis civibus dati viritim tres Philippici. Secundò poſt Actiacam victoriam in ſexcenta millia dedit *ſex milliones*. Tertiò populo viritim diſtribuit XX. Philippicos; idque factum in Conſulatu decimo. Quartò cùm Conſul eſſet XI, in magnâ caritate annonæ extra ordinem, & de ſuo, dedit ſingulis menſibus frumentationes. Quintò cùm è Galliâ rediret, plebi refovendæ & conciliandæ viritim largitus eſt triginta Philippicos. Sextò cùm XII. Conſul eſſet, eidem *duos milliones* largitus

eſt. Nec intra hæc liberalitas illa ſtetit, cùm *in eruditos* ſeorſim etiam mirum quantum liberalis eſſet. Quæ *omnia vera* eſſe deprehendens *Lipſius*, adeſſe jubet omnes, qui novum orbem & novas in eo divitias reperierunt; & intueri effuſionem tantam opum ferè in unâ largitione.

Nihil hîc dicam de nonnullis ejuſdem ſucceſſoribus, ſed illud tantùm; non potuiſſe feroces illos Romuli nepotes ad flagra deduci, ſi tantum pecuniæ noluiſſent impendere Cæſares. Hoc *Tacitus* & alii confitentur apertè. Quid eſt igitur, quòd eundem liberalitatis ſuccum, in Juſtiniano exundantem, tantoperè *umbratici illi, & ad ferulam ferendam aptiores*, quàm digni heroicæ magnitudinis, & *ingentium conſiliorum interpretes*, averſantur, damnant & conviciantur?

Specie liberalitatis imponit hæc profuſio, inquiunt; perdere ſcit, donare neſcit *(Tacitus lib. I. Hiſtor. c. 30.)* habuit ſinum non facilem, ſed perforatum; ex quo multa exciderint, non exierint *(Seneca lib. I. de Vitâ Beatâ c. 23.)* uno verbo: Verum redituum imperialium uſum ignoravit. Hæc interpretatio ſubtilium & ingenioſorum eſt cenſorum. At ſi *ſapienter agit, qui donat ſummo conſilio*, ut judicat idem *Seneca d. l.* næ Juſtinianus hîc quoque magnum Principem egit, in cujus liberalitate judicium deſiderare non poſſumus. Donavit ex rectis & probabilibus cauſis. Simul enim imperio potitus eſt, liberationem Occidentis meditari cœpit; ſive (ut ipſe loquitur *Novell. XXX. in f.*) ſpem concepit, *cæteras gentes, quas ſocordiâ ſuâ Romani amiſiſſent, cùm utriusque Oceani terminos tenerent*,

nerent, iterum ditioni ſuæ adjungendi. Ut voti compos fieret, iisdem modis utendum videbat, quibus imperii conditores, *C. Jul. Cæſarem*, & *Auguſtum* uſos ex hiſtoriarum lectione cognoverat: Hi, *ut imperium conderent, imperium ferè donare coacti ſunt.* Sed ut illos pecuniarum cumulos haberet, uſus eſt eorundem conſiliis, & jure damnatorum opes huc transtulit; quanquam & vectigalia, & tributa, & poſtea triumphales manubiæ ſtupendam vim ſuggererent.

Sed quorſum me iſti abripiunt? Hoc volebam, magnum fuiſſe Juſtinianum habitum & à remotis gentibus, & legationes paſſim miſſas, reverentiæ ergò; data munera, reparandi & ſtabiliendi imperii.

Ejus verò res geſtas *Giphanius* exponit in tribus membris: 1. Agit de *Eccleſiaſticis*, 2. de *civilibus*, 3. de *militaribus*. De Eccleſiaſticis multa jam diximus ſuprà, nec quisquam inficiari poteſt, Juſtinianum imperio accepto ſtatim ad utilitatem Eccleſiæ converſum, multa & magnifica templa erexiſſe, lapſa inſtaurâſſe, hoſpitales domos extruxiſſe; hæreticos, qui pacem & tranquillitatem publicam turbaverant, multos orthodoxos occiderant, vel bonis ſpoliârant, juſtâ vindictâ perſecutum. Vide *Baronium in A.C. 527. n. 44.* Sacerdotum nefariam libidinem, ut meritò deteſtatus eſt, ita puniit. *Theophanes* in rebus anni ſecundi: *Hoc anno Eſaias, Epiſcopus Rhodi, & Alexander, Epiſcopus Diſpoleos, in Thraciâ exauctorati ſunt; utpote maſculorum corruptores deprehenſi, & ab Imperatore ſeverè puniti; nam exſectis genitalibus, per urbem ducti, præcone proclamante: Quicunque eſtis Epiſcopi,*

reverendam dignitatem veſtram ne dehoneſtetis! Hoc rurſus indignè fert *Procopius* cenſor in *Arc. Hiſt.* pag. 33: *Poſthac*, inquiens, *turpes puerorum amores lege vetuit, & in reos nullo prorſus decoro animadvertit.* Sed jam pro ſe reſpondit Juſtinianus, quæſitus à neſcio quo, cur id faceret: *Annon ſi ſacrilegium commiſiſſent, manus illis amputandæ fuiſſent?* Auctor *Zonaras.*

Nimirum ſpectârunt hoc ſemper antiqui legum conditores, ut *quâ parte quis peccâſſet, eâdem puniretur*; ut loquitur *Caſaubonus, ad illa Lampridii in Alexandro Severo*, pag. 168: *Notarium, qui falſum cauſæ brevem in conſilio Imperatorio retuliſſet, inciſis digitorum nervis, ita ut nunquam poſſet ſcribere, deportavit.* Multis idem firmat *Cujacius lib. VII. Obſerv. c. 13.* Et ſanè flagitabat atrocitatem pœnæ neceſſitas, cùm iratus tanto ſceleri Deus, famem & terræ motus & peſtilentiam immiſiſſet. Vide *Novell. LXXVII.*

Eâdem animi virtute non tàm provincias, imperio Romano antiquitùs ſubjectas, quàm quas recens ipſe ſubjugârat, ab omni pudentis luxuriæ cœno expurgavit; lenonum cloacas exhauſit, & *monaſterium* extruxit *ad recipiendas miſeras proſtitutas*; quæ reſipiſcere, & in poſterum Deo ſervire vellent; ut eſt in *Novell. XIV.* & alibi *de lenonib. Cod. II. tit. 1.* Quod qui legit, næ cogitur, divinum Principem appellare; tam ſapienti moderatione, cum juſtitiæ ſtudio mixtâ, tot animas, ferè deperditas, in meliorem viam reducentem.

Objicit verò eidem Juſtiniano *Procopius*, ſub ejus

ejus Principatu nullam firmam de Deo fuiſſe ſententiam vel fidem; ſcilicet quia multæ hæreſes temporibus illis extiterunt. Fatemur hoc, ſed & cauſam ſcimus, quòd, efflorescente verâ religione ſub pio Principe, ſemper negotioſiſſimus ſit diabolus in ſeminandâ Zizaniâ. Conſtantini tempora habuerunt *Donatum*, *Meletium*, *Arium*, & ejus aſſeclas, *Euſebios*. Temporibus Theodoſii *M. Jovianus*, & *Vigilantius*, & *Originis* fautores; *Johannes*, Epiſcopus Hieroſolymitanus; *Ruffinus*, Aquilejenſis presbyter; *Palladius* Galata graſſati ſunt: Ita ſub aliis pientiſſimis Principibus alii.

Sed quid in illâ hæreticorum copiâ facit Juſtinianus noſter? Suum agit, & pro illorum converſione tùm alia conatur, tùm preces fundere non deſinit ad Deum. Ipſe apud *Innocentium*, Maroniæ præſulem, in epiſt. ad *Themadem* ſic loquitur: *Ingreſſus ſum in oratorium glorioſi Michaëlis Archangeli, rogavi Dominum: Fac, ut in veritate velociter nobiſcum conſentiant, &c. Et cognoviſtis, quàm propoſitionibus rationabilibus & pacificis, cum omni manſuetudine & patientiâ prolatis, à nobis vir Reverendiſſimus Epiſcopus Philoxenus perſuaſus eſt! Tamen & ipſum tandem prolapſum in hæreſin Aphthardocitarum, vel Severitarum; quæ carnem Domini, ex quo aſſumta fuit, immortalem & paſſionum inexpertem ſtatuit; atque ita factum, ut quod de Eccleſiâ Romanâ viri magni aſſerunt, dum maximè Chriſtum colere ſe putat, in impietatem prolaberetur, ferè conſenſu traditum eſt.* Præter *Evagrium*, qui cum *Procopio* ejusdem in Juſtinianum affectus

Scri-

Scriptor eſt, vide *Victorem Tununeſ. Euſtath. in vitâ S. Eutychii, Theophanem, Zonaram, Cedrenum, Nicephorum*, & alios.

- - *Adeò nihil omni ex parte beatum eſt.*

Nam totis viribus in id incumbit Satanas, ut magnas animas trahat in caſum; & de iis tropæum ſtatuat. Sed hîc quidem unâ vel alterâ velitatione ſuperior fuit, ad ultimum Juſtinianus diſcrimini ſeſe eripuit. Aſſertionis enim improbæ pœnituit, & *S. Eutychium*, quem à ſe diſſentientem relegârat, *ab exilio revocavit*; ut Conſtantinus M. S. Athanaſium. *Nicephorus Calliſtus lib. XVII. c. 31.* Damnat *Evagrius lib. IV.* extremo: *Juſtinianus*, inquiens, *cùm omnia omninò turba & tumultu complevaſſet, mercedemque his rebus debitam in extremo vitæ ſuæ tempore reportâſſet; ad ſupplicia juſto Dei judicio apud inferos luenda profectus eſt.* Cujus ſententiam etiam *Baronius* ſequitur *in A. C. 565. n. 6.*

Nec aliud agit *Nic. Alemannus, in Arc. Hiſt. p. 73.* ubi reſpondet ad omnes titulos, qui Juſtiniano poſt mortem, ut beato Principi, dati ſunt. Eſto, titulos illos omnes communes eſſe cum deterrimis Principibus, dum alibi divinæ memoriæ Juſtinianus, ὁ ἐν ἁγίοις, *pius, ſacer*, dicitur. Eſto, *Johannem Chalcedonium*, qui, ut eſt apud *Nicephorum*, in Sophiæ templo quotannis Juſtiniani memoriam magnificè celebravit, fuiſſe *Græculum ſchiſmaticum*; quod tamen ulteriorem probationem deſiderat. Quid? falſumne illud, quod ſcribit *Nicephorus*, extremo ſpiritu Juſtinianum facti pœnituiſſe, & Eutychium revocaſſe? Hoc eſt, quod ſolidis argumentis confutandum eſt.

eſt. Sed cùm id factum non ſit hactenus, fas, pietas, & Chriſtiana modeſtia requirunt, ut in benigniorem ſententiam inclinemus.

Fecit id *Agatho Papa*, cujus epiſtola extat in *Synodo ſextâ, act. IV.* ubi poſt enumeratos orthodoxos Epiſcopos, qui adverſus hæreticos fidem catholicam propugnârunt, hæc de Juſtiniano ſubjicit: *Et præ omnibus æmulator veræ & Apoſtolicæ fidei, piæ memoriæ Juſtinianus; cujus fidei rectitudo quantum pro ſincerâ confeſſione Deo placuit, tantùm remp. Chriſtianam exaltavit. Et ubique ab omnibus gentibus ejus religioſâ memoria veneratione digna cenſetur; cujus fidei rectitudo per auguſtiſſima ejus edicta in toto orbe diffuſa laudatur.* Idem in epiſtolâ aliâ: *Sicut extremi quidem, præſtantiſſimi tamen omnium, Magni illius Juſtiniani; cujus ut virtus, ita & pietas omnia in meliorem ordinem reſtauravit: Cujus inſtar fortiſſimæ veſtræ clementiæ Principatus, virtutis quidem conatibus remp. Chriſtianam tuetur, & reſtaurat in melius; pietatis ſtudiis Catholicæ ſuccurrit Eccleſiæ.* Quo judicio multum aliud poteſt eſſe honorificentius.

Et quæ *Baronii* contrà argumenta ſunt? Multa de horrendis ejus ſceleribus, de avaritiâ & crudelitate conſtant ex *Procopio* & *Evagrio*. Secundò nihil ominari boni poteſt ob ſacrilegiorum immenſitates; ut in *Vigilium*, Romanum Pontificem; & *Eutychium*, ſanctiſſimum Antiſtitem Conſtantinopolitanum. *Procopii* auctoritas apud me quidem prorſus eviluit: Quicquid tandem moliatur eruditiſſimus interpres. Memorat cædes & exilia, & rapinas; ſed certum eſt, reſpicere

„ ſpicere ad pœnas hæreticorum, quas ægrè fert ipſe; „ *neſcio cujus religionis*: Modò enim de verâ religio- „ ne rectè ſentire videtur; modò aliter. Hoc non „ ignorat *Alemannus*, & inſuper tamen habet. Ego „ verò præcipuum eſſe reor, quod in Hiſtorico atten- „ dendum ſit. Quomodo convenire potuit Procopio cum quovis orthodoxo Principe, ſi de Deo permittit optionem, utrum malit quiſque defendere; vel caſu res humanas & fortunæ temerario impetu ferri, vel Dei providentiâ gubernari. At hoc facit Procopius: Igitur, ut obſervavit idem *Alemannus*, à quodam orthodoxo cenſore ad codicem Procopii manuſcriptum, qui ſervatur in bibliothecâ Vaticanâ, notatatum: οὐκ ὀρθῶς ταῦτα παρεισφέρεις τῇ τῶν Χριστιανῶν πίστει: Id eſt: *Non rectè hæc ingeris Chriſtianæ religioni*. Et alibi: Σημείωσαι, εἰ ὀρθόδοξός ἐστιν ὁ συγγραφεύς. Id eſt: *Nota, num auctor ſit orthodoxus*.

Quòd ſi Conſtantini, Theodoſii M. & Marciani temporibus vixiſſet & ſcripſiſſet, eâdem ſtyli atrocitate infeſtâſſet illos ipſos; quorum tamen memoriam Eccleſia hodieq; veneratur. Quòd enim in Juſtinianum eum concitavit, idem fecerunt illi; & in Arianos & Eutychianos ſeverè animadvertendum cenſuerunt. Ita *perridiculum* eſt, Eccleſiaſticorum annalium Scriptorem invadere Juſtinianum ex *Procopio*; qui ob hoc maximè infeſtus eſt, quòd ea fecit, quæ paſſim commendat ipſe. Nihil hoc eſt aliud, quàm *in ſeipſum ſpuere*.

Evagrium quod attinet, meminiſſe velim, illuſtrem Cardinalem, quod ipſe ſcripſit in *A. C. 519. n. 92.*

iniquè

inique ſolere agere, dum ſequitur *Zachariam*, Eutychianum hæreticum. Ergò nullum judicium adhibuit in exſcribendis iis, quos ád manus habuit. Aſſentiar *Gyphanio*, qui ex virulento *Procopii* ſcripto illum bibiſſe putat. Refutat hoc *Alemannus p.83.* ex eo, quòd *duorum* quorundam *Venetorum* nomina prodidit *Evagrius*; quæ non extant in Procopio. Ergò, inquit, de Juſtiniani flagitiis aliunde accepit ſua. Quæ concludendi ratio quàm indigna tàm literato viro! nonne unum vel alterum ex alio potuit immiſcere, etiam cùm Procopium exſcriberet? Multa Nic. Damaſcenus exſcripſit è *Dionyſio Halicarnaſſæo*, & *Cteſiâ*; *Quinctilianus* ex eodem *Dionyſio*; Diodorus Siculus ex *Polybio*, *Timæo* & *Poſidonio*; Zonaras è *Dione*; Johannes Antiochenus ex *eodem*, *Eutropio*, *Plutarcho* & *Herodiano*. Rurſus Dio multa per fraudem abduxit *Plutarcho*, Jornandes *Floro*, alii aliis: Et ſemper furtum ſuum interpolant, hoc eſt, aliunde quid petitum interſerunt.

Sic *Evagrium* feciſſe puto, & *Procopium* clàm adeptum ex ambitione pari; ut ſcilicet per ruinam tanti nominis ad gloriam & famam aliquam perveniret, eadem in ſua retuliſſe; additis tamen nonnullis, ne fraus tàm manifeſta foret. Neque ſtatim inde collegeris: Ergò & alii ſcripſerunt tàm infanda de hoc Principe. Quidni enim unius & alterius *Veneti* nomen proderet, qui Juſtinianum magnis extulit laudibus? Addo, *nec Arcanam Hiſtoriam ad nos integram perveniſſe*; ut ipſe *Alemannus* fatetur *pag. 48.* Qui

ergò

ergò certi ſumus, non eadem extitiſſe quondam in *Procopio*, quæ hodiè tantùm in *Evagrio* reperiuntur?

Vigilii Papæ vicem nunquam dolebit, qui hominis ſcelera legerit apud *Platinam in Pontifice LXI.* & *Revium in Hiſt. Pontif. Roman. p.39.* Vel ſi veteres malumus, apud *Anaſtaſium* & *Liberatum.* Excuſat *Baronius* Pontificem factum, quem privatum contra tot Scriptores non potuit; & ſive læta ſive triſtia Juſtiniano acciderunt, non aliâ ex causâ prodit orta, quàm ex obſervantiâ vel contumeliâ in hunc Pontificem. Ob eam judicii temeritatem perſtringitur à *Caſaubono prolegom. in Exercit. Baron.*

De multis hæc habe: *Sylverium* Pontificem ut *Vigilius* expelleret, *Eutychianis* hæreticis clam *favit*; & ob id *Theodoram* adjutricem habuit. Sed Juſtiniano Sylverii cauſam poſteà cognoſcere ſatagente, Vigilium Conſtantinopolim vi abripi juſſit; quod factum acclamante populo: *Malè meritus eſt de Romanis, mala omnia tecum ſint!* Conſtantinopolim ubi advenit, oblitus reverentiæ, quam ex Chriſti & S. Apoſtoli mandato debebat Cæſari, *ad Diocletianum ſeſe venire*, impudentiſſimè dixit. Hinc ab adſtantium quodam alapâ acceptâ, in Baſilicam confugit. Extractus inde, & fune ductus, multa aſpera perpetitur; ſed non indigna. Pejus actum cum *S. Eutychio* diximus; ſed unà illud, rediiſſe Juſtinianum in meliorem viam.

Converto me ad res civiles. Hîc etiam literarum pænè rudes celebratas audiverunt conſtitutiones ab eo factas, leges veterum Impp. in Codice ordine diſtributas; vel antiquorum ſapientum reſponſa

ex

ex immenſâ congerie pulchrè digeſta, vel hæc eadem ad inſtitutionis modum enucleata. De his quid poſt *Giphanium* dicam, non habeo; & num debeam, jure dubito. Ut enim de pictore, ſculptore, fictore, niſi artifex judicare; ita niſi exercitatiſſimus JCtus non poteſt perſpicere tantum Legislatorem; ut verbis Plinii *lib. I. ep. 10.* leviter immutatis utar.

Lipſius nunquam agnovit pro ingenti merito, ſed pro damno potius, tùm alibi, tùm *lib. II. Monit. & Exempl. Polit. c. 10.* ſcribens: *À Juſtiniano leges plurimæ, quibus utimur; Lothario Imperatore, cùm diu ſiluiſſent, eas reducente. Nam Gallia, Hiſpania, Germania, earum ad id ævi expertes erant. Receptæ igitur ſunt, & quo fructu? Certè illo litium, nemo negaverit; quæ ex eo nimirū quantum ſuccreverunt. Europam vide, & mentior, niſi maxima ejus pars circa iſtas occupatur: Alii judicant, alii inſtruunt, alii agunt; & qui miſerrimi ſunt, eas alunt. Bone Lothari, manes tui per me quieſcant; ſed roſæ aut lilia ſepulchrum tuum non ornent, qui tot tricas & ſpinas ſeviſti nobis.* Hæc Lipſius. Cui ut fuſiùs reſpondeam, nemo me rogabit, qui hoc ipſum feci *lib. I. Animadverſ. Pompon. c. 6.*

Obiter & illud nota, *Lipſium* hîc ſecutum eſſe vulgatam fabulam; *Juſtinianeas leges* in ſcholas *Lotharii juſſu* & auctoritate *reductas*: Nam *putidum commentum* eſſe, probat *Hermannus Conringius, V. C. in erudito commentario de Orig. Juris Germanici, c. 21.* tùm ex defectu meliorum teſtimoniorum, tùm argumentis aliis invictiſſimis.

Reperiuntur præterea (vide ac ride de uno

Principe judicia tàm contraria!) qui mallent conſtitutiones Principum omnes integras, & JCtos veteres, *Tuberones, Servios, Alphenos, Maſurios, Ovilios, Javolenos, Mæcianos, Julianos, Papinianos, Cajos, Pomponios, &c.* hoc eſt, reſponſa Prudentum infinita, & per innumerabiles libros ſparſa. Hanc *Salmaſio* fuiſſe mentem accipio, qui *præfatione in Exercitationes Plinianas* de *Triboniano* conqueritur; compilando ac colligendo corpore juris civilis nihil aliud poſteritati dediſſe, quàm centonem ex pluribus pannis Nomicorum conſutum. Salmaſio reſpondeo ex ipſo Salmaſio: *Niſi hæc haberemus, nihil haberemus. Ea* (inquit præfatione in Ampelium) *ſocordia fuit illorum temporum, quibus barbari literatum & Romanum orbem inundare cœperunt; ut niſi extitiſſent, qui nobis has tanquam ex naufragio tabulas ſervârunt, certum ſit, nihil prorſus ex illorum monumentis ad nos fuiſſe perventurum. Atqui præſtat hæc qualiacunque nos habere, quàm nihil. Malo certè, quod ad me pertinet, ſic eos majore ſui parte eſſe deperditos, quàm ſi toti funditùs periiſſent. Qui reliquias ſanctorum corporum conſectantur, ac ſtudiosè religioſeq; eas perquirunt; ſatis habent, ſi vel uno oſſiculo potiri queant.* Et mox gratiam habendam cenſet iis, qui veterum Scriptorum reliquias ad nos transmiſere; niſi maximè ingrati eſſe velimus. Quod hìc facimus, & Triboniano, vel Juſtiniano potiùs, gratias agimus; quòd JCtos veteres abbreviavit, effecitque, ne illorum placitis omninò careamus hodiè; quàm ut operam iſtam damnemus, & dicteriis petulantibus inceſſamus.

Ad

Ad res civiles Juſtiniani pertinet, quod è *Zonarâ* ſcribit Giphanius: *Omnes ſua deſideria & querelas ad ipſum detuliſſe; viros, fœminas, pueros, ſenes; quos interdum & ipſe ſublevârit atque confirmârit, majeſtatis ac purpuræ ſplendore velut perſtrictos & attonitos; nullius humilitatem aut inopiam non modò tribunali, ſed ne domo quidem excluſam.* Hoc invidioſiſſimè narrat *Procopius in Arc. Hiſtor. p. 64.* nulli in orbe Romano liberam jurisdicendi poteſtatem permiſſam; ſibi omnia arrogâſſe, non ex juſtitiæ ſtudio, ſed *turpis lucri*, & ex impudenti faſtu. Quàm ex veri tripode *Ariſtoteles in Metaphyſicis*: κατὰ τὰ ἔθη τὰς ἀκροάσεις συμβαίνειν, id eſt, *pro ſuis quemque moribus accipere, quæ audit?* Quemadmodum arquatis omnia lutei coloris apparent, quæcunque oculis obſervantur; propter læſam videndi facultatem: Sic iis, qui raptantur ab impotenti affectu, non adeſt rectum judicium; ſed perinde res ſingulas æſtimant, ut ſuadet opinio. Denique infenſis, quæ fiunt dicunturque ab illo, cui iraſcuntur, omnia prava & improba videntur. Exemplum ejus rei ſanè quàm luculentum præbet hoc loco *Procopius*; apud quem ipſa virtus calumniarum incitamentum eſt.

Fecit Juſtinianus, quod antiquiſſimi quique Regum ſedentes ad portas & muros urbium; ut querelas prætereuntium exciperent & cognoſcerent. Apud Hebræos id fuiſſe, ſacra hiſtoria docet; & apud Lydos *Nicolaus Damaſcenus in Excerpt. Peireſc. p. 496.* Leges & jura Deus in manu Principis cum ſceptro poſuit, cur judicis munus refugiat, & aliis de-

mandet? Non ſemper minoribus illis & delegatis judicibus tanta reverentia, tantum virtutis ſtudium. Vide *Lipſium lib. II. Exempl. & Monit. Polit. cap. 9. mon. 3.* In quæſtione ſubjectâ, *Piccartus in Philoſophiâ Altdorphinâ, Diſp. XXXI. q. 3. p. 321.* Nec id fecit Juſtinianus ex aliâ causâ, niſi quòd ita faciendum videret. Malumus enim ex *Zonarâ* Juſtiniani factum interpretari, quem nullas favoris in Juſtinianum cauſas habere ſatis conſtat; quàm ex *Procopio* ſiniſtri quid illi adſpergere, cujus livor ex ipsâ impietate & atheiſmo ortus tàm maniſeſtus eſt.

Ultimum membrum, quod *Giphanius* fecit, agit de re militari & bellis à Juſtiniano geſtis. Hîc ſincerè dicam, ſi parem virtutem attuliſſent unus & alter è ſucceſſoribus illius, potuiſſe non ſolùm totum imperium vetus recuperari; ſed & omnes illius æmulos tantæ poteſtatis acceſſionem fieri. Stabilitis imperii fundamentis, miſit ad *Perſas*, qui res imperio per vim ereptas repeterent; negantibus bellum indictum, & *Beliſarius* cum copiis immiſſus. Rem fuſè exequitur *Procopius in Perſicis*; nec opus hîc ſingula repetere. Victi primùm *Perſæ* in *Meſopotamiâ*, & qui olim *Theodoſio M.* pugnanti *adverſus Eugenium* ſpiravit, idem numinis favor erga Juſtinianum in eo prælio cognitùs eſt; cùm *vi ventorum* Perſarum ſpicula cæteraq; miſſilia, in Romanos intorta, præpedirentur; atque inefficacia penitùs redderentur: Contrà verò impetu validiore in Romanorum jacula vibrarentur. Sic res Perſarum in Meſopotomiâ collapſæ.

Eadem Romanorum fortuna in *altero prælio*, cùm

cùm *in Armeniâ majore* vires inſtauratæ eſſent. Tùm *Narſes* Perſa cum fratribus ad Romanos defecit, & à Juſtiniano magnis honoribus attolli cœpit. *Tertium prælium* commiſſum ad *Daram*; quo victus Mirthanes, dux ſuperbiſſimus Perſarum, à Rege ſuo gravi pœnâ adfectus eſt.

Sexto ferè anno poſtquam bellum cœperat, pace factâ, expeditio contra *Gilimerem*, Vandalorum in Africâ Regem, ſuſcepta eſt; ſucceſſu longè meliore, quàm ſub Leone Imperatore. Statim ubi Romana claſſis appulit, recepta Carthago; Zanzo, Gilimeris frater, occiſus; ipſe verò per deditionem in poteſtatem redactus; quodq; ab aliquot ſeculis nec Roma vetus nec nova conſpexerat, Rex potentiſſimus, nepos illius (qui dominam rerum ipſam victricibus armis occupaverat) in triumpho *Beliſarii* ductus eſt. Factum id, Juſtiniano IV. Coſ. A. V. 1285. ut *Marcellini Chronicon* nos docet; 96. poſt occupatam à Vandalis Carthaginem; 108. poſt ingreſſum eorundem in Africam.

Receptâ Africâ, Præfectus prætorio ejusdem regendæ creatus eſt Archelaus. *Baronius in A.C. 534. n. 56. & ſeqq.* Sed perpetua in eâdem cum Mauris bella fuerunt, donec eò miſſus *Salomon Spado*, rei militaris peritus, compreſſis hoſtibus, pacem provinciæ reddidit, ſub annum Juſtiniani XIII. Biennio verò pòſt, deſtitutus à ſuis, in conflictu cecidit; ac barbari, reſumtis animis, Romanorum irritati crudelitate ac perfidiâ, multis eos cladibus affecerunt. Mox & *Guntheris*, Salomonis anteà ſatelles, *Areobindum*, Ju-

ſtiniani affinem, interficit; & rurſus ab *Artabane* Perſâ interficitur. Vide *Procopium* & *Marcellinum.*

Nono anno Juſtiniani *bellum Gothicum* ſuſceptum eſt, quòd *Theodahadus Amalaſuntham* occidiſſet. Initium belli *Sicilia*, quam *Beliſarius* Gothis totam extorſit. Gothorum Rex ita perterritus eſt, ut ceſſurum ſe bonâ fide Imperatori Principatum promitteret; ſi prædium aliquod, è quo mille ducentos aureos caperet, daretur. His lætus Imperator, remiſit legatum, pluraq; indulſit, quàm Rex rogaverat: Sed is non diu pòſt fidem mutavit. Hinc reſumpta arma: & Beliſarius miſſus iterum *Syracuſis* & *Panormo* valido præſidio firmatis, *Meſſanâ Rhegium* trajecit; & ductis per *Brutios Lucanosq;* copiis, *Neapolin* obſedit. Comperto, per aquæ ductum in mœnia acceſſum eſſe, quadringentos ſtatim milites immiſit; urbemque occupavit. Gothi *Theodahadi ſocordiam* ægrè ferentes, occiſo illo, creârunt *VVitigem*, bello ſpectatum virum; qui ſtatim totis viribus in Beliſarium ivit. Quæ dein geſta ſunt, è *Procopio* multis docent præter Giphanium, *Erycius Puteanus lib. I. Hiſt. Inſubr. & Baronius in A. C. 535.*

Summa eſt: Gothis Romam, quam hactenus obtinuerant, deſerentibus, *Beliſarius* ingreditur; & *Witigem* poſt diuturnam obſidionem cum triginta millium ſtrage rejecit. Paulò pòſt ipſe *Witiges*, cum Ravenna in Beliſarii poteſtatem venit; & *Conſtantinopolin* abductus eſt. In locum Witigis creatus *Ildobaldus*, ac poſt eum *Alaricus*; quo intra paucos menſes peremto, *Totilas* regnum accepit. Hic, dum *abeſt Beliſarius*,

ſarius, Gothorum vires reſtaurat, *Veronam* recuperat; Romanos, qui caſtra caſtris oppoſuerant, fœdè proterit; *Florentiâ* fruſtrà tentatâ, *Cæſennam, Petram*, & hinc in *Samnites* movens, *Beneventum*, *Cumas*; omnemque *Brutiorum agrum, Lucaniam* prætereà & *Apuliam*, totamque *Calabriam* occupat; tùm & *Neapolin* recipit. Hinc Beliſarius redit; ſed cùm haberet vires non magni momenti, Totila victor nihil interpellatus eſt; *Roma* ipſa, commeatibus aliquoties interceptis, gravi alimentorum penuriâ paſſâ, Totilæ *à quatuor Iſauris proditur*, non niſi *quingentis* civibus ſuperſtitibus. En rerum viciſſitudinem! Hæc eſt illa Roma, in quâ *ſub Claudio* Imperatore cenſita ſunt *ſexagies novies centena ſexaginta quatuor millia*; ut eſt apud *Tacitum*. Incidit hæc calamitas in A. V. 1298. annum ſextum poſt Conſulatum Fl. Baſilii; *diem 16. Cal. Jan.* ut eſt apud *Marcellinum in Chronico*. Aliter *Goltzius & Giphanius*.

Cogitabat & *Totila* diruere totam, niſi *Beliſarii literis* perſuaſus, ſententiam mutâſſet. Interim cùm *Totilas Ravennam* pergeret, Beliſarius urbem per 40. dies ita deſolatam, ut ſaltem cubile beſtiarum eſſet, recuperat; & partem murorum inſtaurare incipit. Supervenit *Totilas*, ſed repulſus, *Tibur* ſe confert. Eodem tempore *belli Perſici, neceſſitate* flagitante, Beliſarius revocatur: *Diogenes*, dux fortiſſimus, cum tribus millibus haſtatorum præſidio relictus gnaviter rem gerit; ſed urbs *ab Iſauris rurſus prodita*, Gothis ceſſit; multi cives & milites cæſi: Sed poſteà *Totilas* in literis *à Francorum Rege* graviter notatus, quòd ur-

bem dominam deſolatam relinqueret, ac ſeipſum magnâ gloriæ parte ſpoliaret; cives omnes revocavit, inflammata vel diruta inſtauravit, Patriciis ſua reſtituit, & commeatus undique portari juſſit. *Procopius* iterum captam indicat ſub initium anni XV. ex quo bellum Gothicum cœperat. Capta eſt igitur anno nono poſt Conſulatum Baſilii, anno ipſius 1301. Cujus ſententiæ *Baronius* quoque fuit. In *Marcellino* neque dies neque annus hodiè ſignatus apparet.

Sed Juſtinianus Italiam non amiſit, licet adverſam fortunam hactenus expertus. *Narſetem* ſummæ rei præfecit. Is *Hunnos, Herulos,* & *Longobardos* in auxilio habens, Totilam *illo ipſo loco, quo Galli quondam à Camillo cæſi erant,* magno prælio devicit; interfectis ſex Gothorum millibus, & ipſe Rex paulò pòſt ex accepto vulnere moritur; quod factum anno undecimo, poſt Conſulatum Baſilii; ſive A. V. 1303. Reliquias exercitus Gothici collegit *Tejas*, vir rei militaris præſtantiſſimus; ſed & ipſe victus occidit, *ultimus Gothorum Rex.* Hic belli Gothici finis, & Gothorum terribile nomen tandem *ſub Juſtiniano* extinctum.

Pax reducta videbatur, non erat: Nam mox Italia claſſico novo inhorruit, *Francis* & *Alemannis* irruentibus; quos Gothi fugâ elapſi concitârunt. Ipſi quoque variis cladibus attriti, Italiam relinquere coacti ſunt. Meminit hujus belli *Conſtantinus Porphyrogennetus lib. II. Them. 11.* Et Ducem Francorum alterum Βυτιλῖνον appellat; quem *Giphanius* modò Bucellinum, modò Bultinum. *Sigonius lib. XX. de*

Occi-

Occident. Imp. Francorum ſtragem *in agro Campano* editam ſcribit *ad Caſilinum*, ſeu *Caſadinum*, fluvium; qui olim *Vulturnus*, nunc *Sanguino* ab hac cæde (ut *Morellus* ſuſpicatur) nominari ſolet. Idem Morellus *Agathiæ* carmen, quo Juſtiniani victoriam de Francis celebravit, ſic vertit:

Plena cadaveribus taboque infecta fluenta,
Tuſca Caſilini cœpit arena rubens:
Cùm Francos acies populos Romana cecidit,
Et quot parebant agmina Butilino.
Næ felix amnis, qui præfert ſigna tropæi,
Dum rubet æternùm ſanguine barbarico.

Dum cum Gothis bellum geritur, etiam in Oriente multum Juſtiniano negotii à fœdifragis Perſis fuit: Nam *Chosroës* anno quinto belli Gothici, cùm non eſſet, qui reſiſteret, per *Meſopotamiam* irruptione factâ, in *Syriam*, longè latèque graſſatus eſt: Nec antè calamitati finis, quàm Juſtinianus quinquaginta nummûm aureorum perſolviſſet; totidemque per annos ſingulos danda paciſceretur. Magnam ignominiam hanc fuiſſe dicit *Baronius in A. C. 540. n. 40.* Et ſanè in hoc & aliis ſimilibus factis ſævidicum ſtylum *Procopius p. 49. & 50.* exercet: *Hunnorum ducibus nullâ occaſione accerſitis, immanes pecunias perditâ munificentiâ largitum; illos acceptâ pecuniâ alios duces, eorumque cohortes ſolicitâſſe; qui in fines imperii excurrerent populabundi, &c.* Idem *Alemannus* confirmat ex *Agathia*, aitque ob id acclamâſſe populum: *Barbari aurum dono tulerunt, quaſi in eos injurii fuerimus!* Et quamvis *Agathias* excuſet, tamen magis accuſare, cenſet idem *Alemannus.* Ut

Ut de hac re agam obiter, dico, nuſquam videri peccatum à Juſtiniano: Pecunias barbaris dedit *juvenis* adhuc, ſed *rarius: Senior* & decrepitus *frequentius*. Hoc *Agathias* dicit: *Ad ultimum vitæ ſuæ Juſtinianus à laboribus viſus eſt abhorruiſſe, cùm potiùs haberet committere inter ſe hoſtes, & muneribus delinitos tantiſper repellere; quàm ſibi fidere, & in apertum ſe inferre diſcrimen.* Cùm Perſarum bellum ſecundum, quod modò retulimus, pecuniâ finiret, nondum erat ſenex & laborum feſſus; ſed urgebat *neceſſitas*, graviſſimo Gothorum bello ſatis occupatum. *Rudolphum I.* Imperatorem ſapientiſſimum dixiſſe ajunt: *Quicunque tres lites habet, duas, ſi poterit, componat.* Vide *Lipſium lib. III. Epiſt. Miſcell. 77.* In *Philippo* illo, qui non minùs ut Alexander pro monarchiæ Macedoniæ conditore haberi debet, hanc prudentiam *Juſtinus lib. VII. c. 6. §. 4.* commendat, quòd *bella, quæ velut conſpiratione quâdam ad opprimendam Macedoniam, multarum gentium ex diverſis locis, uno tempore confluebant; quoniam omnibus par eſſe non potuit, diſpenſanda ratus, alia interpoſitâ pactione compoſuerit, alia redemerit; facillimis quibusque aggreſſis, quorum victoriâ & militum trepidos animos firmaret, & contemtum ſibi hoſtium demeret.*

In Juſtiniani facto, quod idem eſt, dentem fatigat ſycophantia. Sanè quæ tanti Principis generoſitas fuit in explicandâ per omnes gentes imperii majeſtate, non permittit credere, pecuniâ fuiſſe quæſiturum adhuc vegetum & vigentem; quod poſſet bello. Ergò *neceſſitas* ad hoc conſilium impulit, quod in ſimilibus

milibus anguſtiis arripuiſſe fortiſſimos duces ac Principes, non ignorârat. Romæ veteri nonne receſſum ſuum mille pondo auri vendidêrunt *Galli?* Lege *Florum lib. I. c. 13. §. 17.* & alios. Hadrianus ſapientiſſimus Imperator (cui Trajanus, bellicoſus Princeps, nimis afflictum imperium reliquerat) *à multis Regibus pacem redemit*; ut eſt apud *Spartianum in ejus vitâ.* Idem fecit Conſtantinus M. ut *Julianus in Cæſaribus* nos docet. Idem alii quamplurimi, *ut Gothos amicos, quàm inimicos haberent*; teſte *Jornande in Geticis.* Qui barbaris reſponderunt: *Imperatorem bellicoſum & vigilantem ferrum habere, non aurum*; ut Julianus apud *Ammianum lib. XXV.* ſpecioſa quidem locuti ſunt, ſed non ſemper reipublicæ & provinciis utilia. Quid multis? Abſolvit hîc Juſtinianum *Valeſius ad Ammianum lib. XXIV. p. 285.* feciſſe hoc *prudenti conſilio.*

Senex jam factus, ſi prorſus armis abſtinuit, & pecuniis tantùm barbaros repulit, tamen non reprehendendũs mihi videntur; ut ob ſingularem rationem magnificiendus potiùs. Quid enim Julius Cæſar, illa bellicæ laudis aquila? ut *in ejus vitâ c. 60. Suetonius* ſcribit: *tempore extremo ad dimicandum cunctantior factus eſt.* Quare? quia *quò ſæpius viciſſet, hoc minùs experiendos caſus opinabatur; nihilque ſe tantum acquiſiturum victoriâ, quantum auferre calamitas poſſet.* Rectiſſimè. *Solet enim fortuna fatigari: Solet, poſteaquam nimium indulſit, in fine deficere*; quæ ſunt verba *Quinctiliani, Declam. CCLXXI.* Noſtrâ memoriâ

moriâ Mauritius Naſſovius, nemini veterum ducum animi magnitudine, conſilii ſolertiâ, bellicis virtutibus, ac rerum geſtarum gloriâ ſecundus, ſub extremum vitæ, quaſi famæ ſatur, ferè quievit. Quemadmodum *bonus Orator, ætate ingraveſcente, mavult deſinere, quàm deficere; perſpicitque, ne quid pejus, quàm fecerit, faciat: Et antequam ætatis inſidiis opprimatur, canit receptui, ac in portum integrâ navi pervenit*; ut eleganter loquitur idem *Quinctilianus lib. XII. c. 11.* Memini alicubi legere Johannis Jacobi Medicæi, Marchionis Mariniani, reſponſum ad *Carolum V.* divæ memoriæ Principem; cùm is ad *Metim* omnia fruſtrà tentans, de fortunæ malignitate conquereretur: *Fortunam ſimilem meretriculæ, quæ juvenibus adhæreat, ſenes deſerat.* Hæc cogitare debuiſſent, quibus tantas faces in Juſtinianum accendere placuit. Ita verò res habet. Poſtquam ſemel affectibus laxavit frena *Procopius*, non habuit ampliùs illos in poteſtate: *Fertur equis auriga; neque audit currus habenas.* Omnia reprehendenda fuerunt, omnibus etiam egregiè factis invidia conflanda apud ſeram poſteritatem. Simili furore itum eſt in alterum Juſtiniani facinus, cùm *hoſtes cum hoſtibus* commiſiſſet: *Tranquillam*, inquit Procopius, *Romani cum externis gentibus pacem habebant; hic ſanguinario furore ſtandi loco impatiens, omnes undique barbaros inter ſe commiſit.* Calumnia Protheo mutabilior res eſt. Juſtinianus modò *præ ignavia pacem* & tranquillitatem *emit*, modò quieſcere & *pacem colere neſcit.* Non conſtat, quomodo hæc inter ſe cohæreant:

reant: Nam *de eodem tempore* loquitur. Tiberium reperio pro magno conſilio hoc habuiſſe, internis diſcordiis hoſtes relinquere. Legendus *Tacitus lib. II. Ann. c. 26. §. 5.* ſcilicet, quia *diſcordia hoſtium nihil majus fortuna præſtare poteſt*; ut cenſet ipſe Scriptor in *Germania, c. 33. §. 3.* Imò de Druſo, Tiberii filio, adhuc juvene, *idem d. lib. II. c. 62. §. 1.* ubi: *Haud leve decus quæſivit, illiciens Germanos ad diſcordias; utque fracto jam Maroboduo usque in exitium inſiſteretur.* Ejusdem *lib. XII. Ann. c. 48. §. 2.* hoc eſt: *Omne ſcelus externum cum lætitiâ habendum; ſemina etiam odiorum jaciendâ.*

Nî Juſtinianus hoc faceret, barbari ſcilicet quieviſſent. Id verò credent, qui calamitates, ab iisdem imperio Romano illatas, nunquam audiverunt; nunquam legerunt. Conſilium Juſtiniani prudentiſſimum, & ejus eventum ſic explicat *Johannes Antiochenus* in Collectaneis: *Revocans ad calculum Juſtinianus, quæ expendebantur in tot militum multitudinem; judicavit magis expedire, ut paucis muneribus concitet inter ſe barbarorum Tribunos; quàm ut tot pecunias in exercitum, qui in eos immittendus erat, inſumat; eâq; curâ vexetur. Id ſanè adverſus Hunnos fecit, qui ſunt in altera Danubii ripa. Nam ſcripſit ad unum ex Tribunis: Munera veſtrûm* præſtantiſſimo *miſi, te verò omnibus antecellere ratus, hæc ad te potiſſimum deſtinavi. At alius, ut audio, vi ea diripuit; ſe* præſtantiſſimum *eſſe dictitans. Tuum ergò erit ſtudium, oſtendere, quòd longè cæteris antecellas. Sume tibi ablata, & illum ulciſcere, ut par eſt. Quod niſi feceris, planè manifeſtum*

feſtum erit, illum præſtare; quare nos quidem ei favebimus, tu verò etiam muneribus privaberis. His auditis, Hunnus bellum in ſuos populares excitavit; ſicquè ea gens diuturnis & inteſtinis bellis deleta eſt. Hucusque *Johannes.*

Ex quo loco valdè memorabili multa docemur, quæ pro Juſtiniani famâ faciunt: Primùm injuſtè conqueſtus eſt *Agathias lib. V.* cùm olim univerſæ Romanorum vires conſtitiſſent *ſexcentis quadraginta quinque* bellatorum *millibus*, vix tùm *centum quinquata* militum *millia* fuiſſe. Quid enim? Nec imperium Romanum vetus tùm regebat Juſtinianus; & tamen illis alendis, quos habebat, vix ſufficiebant reditus publici. Secundò non tàm prodigus fuit hic Princeps in barbaros, quàm alii eum faciunt: Largitus eſt, ſed *pro neceſſitate*; cùm intelligeret, è duobus malis eligendum minus; & largitus eſt *modicè.* Denique in barbaros immittendum fuiſſe docet exercitum, niſi Juſtinianus eos vellet pecuniis avertere: Neque per illum ſtetiſſe, pacem an bellum mallet. Et tantum de iſto.

Nunc ad *Perſas*. Non diu poſt acceptas pecunias fœdus iterum ab illis ruptum eſt, & miſſus *Beliſarius*, nihil ferè memoratu dignum fecit ob morbum; qui copias ipſius invaſerat. Incidit hoc bellum in annum tertium poſt Conſulatum Baſilii, id eſt, A. V. 1295. At ſequenti *Chosroës* cum exercitu rediit, & *Sergiopolin* tentavit; ſed fruſtrà. Tùm *Beliſarius*, prævalentibus Gothorum armis, *in Italiam* revocatus eſt. Interim *Chosroës*, reparatis viribus, quas & ipſas peſtis

nuper

nuper exhauſerat, anno poſt Baſilii Conſulatum quinto, A. V. 1297. *Edeſſam* obſidet; ſed cum ignominiâ revertitur domum. Imperator occupatiſſimus, ut miſeris provinciis Orientalibus conſuleret, *quinque annorum inducias* à Perſâ redimit. Ita pax fuit; quâ finitâ, Perſæ cum Romanis bellũ redintegrârunt. In *Colchis* Romanus exercitus turpiter victus & fugatus eſt, quo tempore *in Italia Franci* bellum moverunt. *Quinquaginta millia à tribus* Perſarum *millibus* in fugam verſa ſunt, cùm Deus innocentem *ſanguinem Colchorum Regis*, contra Juſtiniani voluntatem à ducibus occiſi, *in iisdem vindicaret*. Rem fuſè narrat *Agathias*. Factum id anno poſt Baſilii Conſulatum decimo quarto; hoc eſt, A. V. 1306. Sed hæc ignominia ſequenti anno rurſus ingenti victoriâ expiata eſt; ut commemorat *idem*. Nam & Juſtinianus, pientiſſimus Imperator, *Ruſticum* & *Johannem* (qui Colchorum Regem interfecerant) capite damnavit. Eâdem felicitate debellati *Miſiani*, qui à Romanis ad Perſas defecerant. Tum ad pacem petendam redactus ſuperbiſſimus Perſa; quæ impetrata, & usque ad Juſtiniani obitum ſincerè culta eſt. Atque hæc fuerunt *quatuor maxima bella*, quæ Juſtinianus geſſit, communi aliquando fortunâ, tandem ſuâ.

Sed & alia minora ſuſcepta & confecta ſunt, de quibus cùm ſatis egiſſet *Giphanius*, civiles quosdam motus exequitur. Quibus nos illum *Samaritanum* addimus. *Chronicon Alexandrinum* in quarto anno Juſtiniani: *Hoc anno* Samaritanis *tumultuantibus*, *ſibique Regem & Cæſarem creantibus*, Irenæus *Penta-*

dia

diæ dux exercitus miſſus eſt; qui multos interfecit. Cæſarem illum *Julianum* appellat *Procopius in Arc. Hiſt. p. 52.* Et ad eam *numiſma* CCCX. *p. 261.* refert *Octavius de Strada*; in cujus alterâ parte *Juliani caput*, cum inſcriptione: D. N. JULIANUS. NOB. CÆSAR. In alterâ *ſimulacra* ſedentium *Palladis* & *Cybelæ turritæ*, ut explicat *Alemannus in Procop. p. 58. 59.* Qui proinde diſſentit ab Octavio, & numum ad *Julianum Apoſtatam* Gentilem pertinere putat. Aliam eorundem *Samaritarum* ſeditionem anno XXIX. imperii Juſtiniani motam refert *Anaſtaſius*; in quâ *Judæi* & *Samaritæ Chriſtianos* multos interfecerunt, & ædes ſacras inflammârunt. Miſſus contra illos *Adamantinus.*

Poſthæc *Giphanius* etiam de duobus celeberrimis Juſtiniani ducibus, BELISARIO & NARSETE, verba facit. BELISARIUM *Germanum* fuiſſe, & ipſe, & *Welſerus in Antiquitatibus Auguſtanis, & Beſoldus in Synopſi majore* voluerunt ex illis verbis *Procopii lib. I.* Vandalicorum: *Ducebat Beliſarius originem ex Germania, quæ inter Thraces & Illyrios ſita eſt.* Ergò, inquiunt, fuit *Quadus.* Sed *Germaniæ vocabulum* hîc *non* eſt accipiendum *vulgari notatione*; quâ nos, qui Europæ latiſſimam regionem habitamus, Germani dicimur; ſed intelligenda eſt *Germana metropolis*, inter *Thraciam* & *Illyricum* ſita; cujus mentionem faciunt Orientalium Pontificum ſanctiones; & de quâ *Ortelius* dubitat, ſitne *Germanopolis Ptolomæi?* Malo igitur tàm illuſtrem heroëm pro populari non agnoſcere, quàm veritatem de induſtriâ abſcondere.

Primum

Primùm ſub Juſtiniano ipſo, nondum Imperatore, meruit, ejusque fuit *doryphorus* : Dein ab eodem contra Perſas *cohortibus aliquot* præficitur: Tùm *Tribunus* militum, denique *Imperator*. Uxor illi *Antonina Patricia*, quæ priori marito *Photium* pepererat. Hic igitur *Beliſarii privignus*. Ipſe verò Beliſarius *unicam filiam* ex eâdem genuit *Johanninam*, Anaſtaſio, Juſtiniani & Theodoræ nepoti ex filiâ, deſponſatam; ut nos *Procopius* ſolus docet in *Arcanâ p. 20.*

Rectè verò *Giphanius* putidiſſimum commentum eſſe pronunciat eorum, qui *Beliſarium* tandem *effoſſis oculis in trivio mendicâſſe obolos*, tradiderunt. Sed fallitur, quòd commenti auctorem exiſtimat *Petrum Crinitum* : Nam & diu antè id à *nugantibus Græculis* celebratum eſt; à quibus accepit *Johannes Tzetzes Chil. III.* Ipſi verò Johannis Cappadocis hiſtoriam, & infelicem exitum, confuderunt cum exauctoratione Beliſarii; cujus *Procopius in Arcana* meminit; vel quæ de illo Johanne *Giphanius* refert. Sed Beliſarius, quamvis aliquando calumniis petitus, & imperio ſpoliatus eſt; tamen veterem dignitatem mox recepit, miſſus in Italiam; ut eſt in *Appendice Chronici Marcellini.*

NARSETIS, alterius ducis, patriam ſibi perobſcuram dicit *Giphanius*; ſed non dubito, quin fuerit oriundus ex illâ parte *Armeniæ*, quæ Perſis parebat. *Narſetem* & *Aratium* fratres *Perſarmenios* expreſſè *Procopius lib. I. Perſicorum* dicit: *Sub idem tempus*, inquit, *Narſes & Aratius fratres Perſarmenii genere, unà cum matre ad Romanos transfugerunt; quo-*

rum Narſes *Quæſtor etiam ab Imperatore factus, ſuas quoque gentes pecuniâ corrupit. Quæ cùm* Iſaaces, *frater eorum natu minimus, cognoviſſet; cum Romanis clam collocutus*, Bolum *arcem ipſis tradidit.* Quid eſt igitur, quòd ultra hæſitamus? Hujus viri dignitates & laudes continet *Inſcriptio pontis Salarii apud Gruterum. p. 161:* IMPERANTE D. N. PIISSIMO. AC. TRIUMPHALI. SEMPER. JUSTINIANO. P. P. AUG. ANN. XXXIX. NARSES. VIR. GLORIOSISSIMUS. EX. PRÆPOSITO. SACRI. PALATI. EX. CONS. ATQUE. PATRICIUS. POST. VICTORIAM. GOTHICAM. IPSIS. EORUM. REGIBUS. CELERITATE. MIRABILI. CONFLICTU. PUBLICO. SUPERATIS. ATQUE. PROSTRATIS. LIBERTATE. URBIS. ROMÆ. AC. TOTIUS. ITALIÆ. RESTITUTA. PONTEM. VIÆ. SALARIÆ. USQUE. AD. AQUAM. A. NEFANDISSIMO. TOTILA. TYRANNO. DESTRUCTUM. PURGATO. FLUMINIS. ALVEO. IN. MELIOREM. STATUM. QUAM. QUONDAM. FUERAT. RENOVAVIT. Cæterùm tàm noxius imperio poſteà fuit, ſub Juſtinio II. quàm ſub Juſtiniano utilis fuerat.

Ultimum caput in *Giphanio* miſcellum eſt, atq; hoc unum inſtituti noſtri causâ notamus; *ſub Juſtiniano Conſules creari deſiiſſe.* Sic enim *Procopius in Arc.* pag. 115: *Non eſt omninò comitia videre Conſularia; quare extremâ mortales oppreſſi ſunt egeſtate.* Vide hominis malignitatem! Fecit id Juſtinianus ad immodera-

moderatas *expenſas* illas *tollendas*; quas in Conſulatus primo die ab ipſis creatis Conſulibus fieri moris fuiſſe, docui *ad Pompon. lib. II. de Origine Juris.* Legem primùm tulerat, quâ ſumptus iſtos nimios moderatus eſt; vide *Novell. CV.* ſed cùm datis limitibus humana ſuperbia coarctare ſe neſciret, hinc illud tandem Imperatoris ſubiit animum; ut Conſulatus dignitatem ampliſſimam paulatim è Senatu proſcriberet. Ita dum optimus Imperator providit, ne illuſtres familiæ *miſſilibus*, *donativis* & *ſtrenis* ſuis ad extremam inopiam prolaberentur; audire cogitur, *ad egeſtatem alios redegiſſe*; ſcilicet quia plebem laſcivientem & otioſam hoc commodo ſpoliavit. At nemo ſapientum fuit unquam, quin deteſtaretur *hirundinem illam ærarii*, & plerumque procerum plebem: *Factum enim, ut omnes artes, omnia opificia, omne negotiandi ſtudium, omnis agricultura negligeretur; cùm pecuniæ aliunde ſuppeterent.* Suadet *Salluſtius in Orat. I.* de Republ. ordinandâ: *Uti plebs habeat negotia ſua, largitionibus & publico frumento corrupta.*

Cæterùm ſublatâ chronologiâ per Conſulatus deductâ, in poſterum tempora notabimus aliter; & ut in externis nuper à mundo condito *ſupputationem Calviſianam*; ſic eandem ſequemur *à tempore nati Salvatoris.* Hæc ſunt, quæ de Juſtiniano volui, debui; nec dubito, quin *veritatis ſtudioſum* me fuiſſe, boni omnes facilè intelligant. Iis, qui *Procopium* & *Evagrium* æſtimant, non placebo. Sed *veritas non eſt, quicquid amor & auctoritas magnorum nominum ſuadet.* Concludo verbis incomparabilis *Salmaſii:* Juſtinianus bonus ac pius Princeps!

JUSTINUS SECUNDUS.

MOrtuo Juſtiniano die 14. Novemb. (*Chronicon Alexandrinum* licet mendoſum in numero menſium, & *Theophanes*) A. C. 565. mediâ nocte, cùm imperâſſet annos 38, menſes 8. (*Evagrius lib. IV. c. 40.*) ſucceſſit JUSTINUS *junior*; patre Dulciſſimo, matre Vigilantia, Juſtiniani ſorore natus. *Corippus Grammaticus* & *Victor Tununenſis*. Ergò perperam *Raphaël Volateranus*, *Onuphrius*, *Occo*, *Strada* & *Hemmelarius*, Juſtiniani nepotem ex filio faciunt. Sed & *Camerarius* apud *Nicephorum Calliſtum in Chronico* malè vertit fratris filium.

Fuit prius *Curopalates*; de quo officio conſulendus *Alemannus in Procopium p. 17.* Socordis ingenii principem vocat *Beſoldus*, ſcilicet quòd in gerendo bello imprudens & ignavus eſſet. Pacem cum *Avaribus* & *Perſis* ſolvit, cum magno reip. damno; effecitque, ut de Juſtiniani prudentia nemo jam dubitarit. Acceptâ in Oriente magnâ clade, *in phreneſin incidit*; quâ commotus *Choſroës* petenti Sophiæ *triennales inducias* conceſſit. Tamen paulò ante finem Juſtini redintegrato bello tàm feliciter à *Juſtiniano duce* pugnatum ajunt, ut *Choſroës* lege perpetuâ ſanxerit, ne contra Romanos Rex Perſarum copias ipſe duceret. Alii mortuo Juſtino victoriam hanc reportatam ſcribunt; alii vivente quidem *Juſtino*, ſed jam omnia gubernante *Tiberio*.

Hæc verò eſt illa *Sophia*, quæ Juſtini uxor & *Theodoræ neptis*, ſed non ex Juſtiniano (idem *Corippus*

pus & *Victor Tununenſis)* Narſetem ad immane ſcelus ſuſcipiendum irritavit. Nam cùm Juſtini literis revocaretur ex Italia, inſignem contumeliam adjecit impotens fœmina: *Sibi ſemiviro in gynacéo opus eſſe; illic ad colum inter nentes jura daturum, & penſa in quaſillos diviſurum.* Hinc Narſes, ſupra quàm dici poteſt, excanduit, ſibi naturæ aut fortunæ injuriam cum probro objectari; & quia *ad lanificium* poſcebatur: *Exordiar ſanè telam*, inquit, *quam nulla Penelope, nec quicquid usquam eſt muliebrium Sophiarum, retexere poteſt.* Igitur Italiam, quam à Gothis felicibus armis vindicârat, rurſus perditurus, *Longobardos*, eo tempore militiâ formidabiles, *è Pannonia* advocat; eorum Regi *Alboino* Italiam in prædam ſpondet, aditu obtentuque facilem; quippe viris vacuam, & à recenti adhuc calamitate languentem. Ita *Paulus Diaconus.* Sed *Conſtantinus Porphyrogennetus de adminiſtrando imperio c. 28.* rem paulò aliter narrat, & ipſam Auguſtam non *Sophiam*, ſed *Irenem* vocat.

Quicquid ſit, *Italiam* ingreſſi ſunt *Longobardi*; & ejus nobiliſſimam partem tenuerunt, *usq; ad Caroli M. tempora*; quæ primo impetu invadere non poterant, ea ceſſerunt *Exarcho.* Nam dignitatem iſtam Juſtinus inſtituit, fuitque *ſedes* poteſtatis *Ravenna.* Uno verbo: *Vices Imperatoris in Italia ſuſtinebat.* Primus *Longinus*, ultimus *Eutychius*; quem poſt ánnos 183. *Aiſtulphus* Rex, *Ravennâ*, ut & omnes Græcos *Exarchatu* ſpoliavit. Vide *Erycium Puteanum lib. II. Hiſt. Inſubric. p. 110. Sigonium lib. I.* de Regno *Italiæ.*

In civilibus Juſtinus laudabilior, leges ac juſtitiam amavit; cujus inſigne exemplum refert è *Cedreno Petavius part. I. Ration. Temp. lib. VII. c. 9.* deceſſit d. 26. Sept. A. C. 578. ut *Chronicon Alexandrinum* & *Theophanes* fidem faciunt. Liberos è *Sophia* genuit *Juſtum*, ſed qui rurſus obiit, antequam pater imperium adipiſceretur; & *Arrabam*, ſive *Arabiam*, uxorem Patuarii Curopalatæ. Illius meminit *Theophanes*; hujus *Corippus*, & nominatim *Antiquitates Conſtantinopolitanæ*; quas laudat *Alemannus in Procop. p. 68.* Ex Arabia & Patuario nata eſt *Helena*.

TIBERIUS.

TIBERIUS CONSTANTINUS (ut deſcribitur in numis apud *Occonem p. 584.*) & *ipſe Curopalates* (eò usque creverat iſta dignitas, ut ad imperii faſtigium proximus gradus eſſet) adoptatus à Juſtino, & Cæſar factus eſt d. 7. Dec. A. C. 574. ut vult *Theophylactus Simocata lib. III. c. 11.* d. 7. Sept. ut vult *Chronicon Alexandrinum*. Errat *Evagrius*, qui Juſtinum ait *ſolum* imperâſſe annos 12. menſes 10. dies 15. *cum Tiberio* annos 3. menſes 11. *in totum* annos 17. menſes 9. cum dimidio. Rectè *Petavius*, regnâſſe *ſolum* annos 8. ſuperque menſes 9. ferè; *cum Tiberio* annos 4. ac duos circiter menſes. In *Roma Subterraneâ*, opere longè pulcherrimo, quod nuper prodiit, extat *p. 107.* inſignis *Inſcriptio*, quæ huc facit: DEP. EST. BOETIUS. CL. P. OCT. CAL. NOBR. INDICT. XI. IMP. DOM. N. JUSTINO. P. P. AUG. ANN. XII. ET. TIBERIO.

RIO. CONST. CÆR. ANN. III. Hic fuit Juſtini penultimus annus. Ergò Tiberius cum Juſtino regnavit omnino per annos 4.

Fuit Princeps lenitate, juſtitiâ, munificentiâ, pietate, cæteriſq; Imperatore dignis virtutibus ſanè quàm commendatus. *Perſas*, duce *Mauritio*, feliciter repreſſit; & Narſetis theſauros reperit, ut ſcribit *Diaconus*. Moritur A. C. 582. d. 14. Aug. ut eſt in *Chron. Alexandrino*. Uxorem habuit *Anaſtaſiam*, & ex eâ *filias*, ante imperium ſuſceptas, *Charitonam*, quam Germano in matrimonium collocavit; & *Conſtantinam*, ſive *Conſtantiam* Mauritio deſponſam; ut ex *Evagrio* & *Theophane* manifeſtum eſt.

MAURITIUS.

FL. MAURITIUS (ita numi) vel MAURITIUS TIBERII (ut alii) *Cappadociâ* oriundus, virtute ac peritiâ rei militaris conſpicuus, ſuccedit Tiberio ſocero, A.C. 582. Ad eum confugit *Chosroës*, de quo illuſtrem victoriam reportârat, pulſus à ſuis: Statimq; à Mauritio *adoptatus*, & bello *reſtitutus* eſt. Tùm *Avaricum bellum* ſuſcepit adverſus *Caganum*; captos ab eo Chriſtianos milites cùm nollet exiguâ pecuniâ redimere, paulò pòſt iratum avaritiæ Deum ſenſit. *Phocas* contra eum ab exercitu Imperator ſalutatus eſt, A. C. 602. d. 27. Sept. qui totam domum ejus delevit, ipſo quoque capite truncato. Nemo Principum fortiore animo tulit caſum ſuum, cùm hoc *Davidicum* ſolùm diceret: *Iuſtus es, Domine, & rectum judicium tuum!* Sed &

unum ex filiis occultante nutrice, ac *ſuum pro illo ſubjiciente,* piam fraudem ultrò detexit; nec alium occidi paſſus eſt. Vide *Baron. in A. C. 602. n. 19.*

PHOCAS.

FL. PHOCAS (ſic appellatur in numis apud *Occonem p. 586.*) imperium, quod auſpicatus eſt, d. 27. Dec. A. C. 602. tenuit per annos 8. nam ab *Heraclio* captus & interfectus eſt A. C. 610. ut ex *Chronico Alexandrino, Theophane,* & aliis manifeſtum eſt. Αἱμοπότης dicitur à *Johanne Antioch. in Exc. Peir. p. 853.* Id eſt, cruentus & ſanguinarius. *Narſetem* nobiliſſimum ducem, qui rebellârat, per fas & nefas, iteratis juramentis interpoſitis, ad ſe pellectum, mox *vivum comburi* juſſit. *Cedrenus* & *Hiſtoria Miſcella.*

Cave hunc eundem cum *Baronio, in A. C. 568. n. 13.* & alibi, credas cum *Narſete eunucho;* qui *Gothorum* regnum in *Italiâ* ſub Juſtiniano deſtruxit. *Narſetis, Juſtiniani ducis*, hic fuit exitus: Cùm *Longobardi,* Pannoniâ Hunnis conceſsâ, conjuges, liberos, fortunasq; transtuliſſent *in Italiam*; Narſetem perfidiæ ferè pœnituit. Audiebat paſſim, novæ calamitatis auctor, qui bellum profligârat. Igitur animum crucians, Romæ morbo ac dolore interiit. Sic referunt *Paulus Diaconus*, *Anaſtaſius Bibliothecarius*, & alii. At hic, ut audivimus, Phocæ juſſu, *vivus crematus* eſt. Nec profectò tàm facile eſt dicere, *Diaconum* & *Anaſtaſium* retuliſſe falſum; vel, quod *Baronius* cogitavit, ab omni perfidiæ maculâ liberare Narſetem: Conſentit enim in re ipsâ *Conſtantinus* Imperator, non

Paulum

Paulum Diaconum, ſed alios ſecutus; ut ex circumſtantiarũ diverſitate lector diligens obſervare poteſt. Niſi ergò auctoritates iſtæ ſolidioribus rationibus confutentur, inde ſic argumentamur: *Narſetem eunuchum* poſt immanem proditionem vix vitam, nedum ſummam Præfecti poteſtatem apud Romanos ad imperium usque Phocæ habiturum fuiſſe. Quid? an Narſes eunuchus ad Phocam usque vitam produxit, qui miſſus eſt in Italiam contra Gothorum Regem A. C. 552. ut ipſe fatetur *Baronius in illo anno, n. 21?* Cui non imminutæ mentis lectori perſuadebit hoc? ego omninò *duos* ſtatuo *Narſetes*: Primum Narſetem illum, cujus ductu Gothorum regnum everſum eſt; poſteriorem, qui per nefas circumventus, à Phocâ vivus crematus eſt. Hic poſtremus adhuc juvenis *armiger* fuit *Juſtini*; de quo *Corippus lib. III.*

Armiger intereà Domini veſtigia luſtrans,
Eminet excelſus ſuper omnia vertice Narſes
Agmina, & auguſtam cultu præfulgurat aulam;
Comtus cæſarie, formâq; inſignis & ore,
Aureus omnis erat cultuq́; habituq́; modeſtus.

Præfectus Romani exercitus vicit *Varanem*, & *Chosroëm juniorem* reſtituit, *Miſcell. lib. XVII. Zonaras in Mauritio, Nicephor. lib. XVIII. c. 20.* Duo igitur belli fulmina ejusdem nominis, alter *Gothis*, alter *Perſis* oppoſitus; hic ipſe, quem Phocas tàm crudeli mortis genere ſuſtulit, ultoremq́; crudelitatis & perfidiæ rurſus habuit *Fl. Heraclium*, Africæ Præfectum: Is enim indignè ferens, Phocam imperium hoſtibus perden-

dum relinquere, A. C. 610. ſolvens ex provincia, *Conſtantinopolim* occupat, & *Phocam* ſupplicio afficit.

HERACLIUS.

FL. HERACLIUS, filius Heraclii *ϛρατηγοῦντος* ἐν Ἀφρικῇ καὶ Λιβύῃ, ut ait *Zonaras*; & hinc Λίβιος cognominatus à *Conſtantino lib. I. Themat. 1. p. 3.* imperium adeptus, occiſo Phocâ, *Perſas*, qui Orientis maximam partem occupârant, & *crucem Salvatoris in Perſidem* aſportârant, de pace rogat ſupplex: Sed illi reſpondent, tùm demum conceſſuros, *ſi crucifixum abnegarent Deum, & Solem adorarent.* Eodem tempore *Avares* in *Thraciam* irrupêre; quibus ægrè placatis, Heraclius totus in bellum Perſicum incubuit; victis Chosrois ducibus, etiam in Perſidis interiora movit A. C. 627. & hoſtem compulit pacem petere, *reddere* cum ademptis opibus, & captivis *Sacroſanctam crucem*; quam *Heraclius* ſummâ cum veneratione *Hieroſolymam tranſtulit.*

Hujus temporibus nova è profundo barathro erupit religio, ſeu clades potius ac lues humani generis; quæ initium à *Muhamede*, Abdulæ filio, Abdulmutalibi nepote, ſumſit. Vide *Leuncl. lib. I. Hiſtor. Muſul. p. 32. & Joh. Cotovicum in Itinerario c. 1. Baron. in A. C. 630.* & alios paſſim. Ipſe Heraclius in Monothelitarum hæreſin prolapſus eſt; ut ſcribit *Theophanes*. Moritus d. 11. Martii A. C. 641. ætatis 66. cùm imperâſſet annos 30. menſes 4. dies 6. *Petavius in Ration. Temp. part. I. lib. VII. c. 13.*

CON-

CONSTANTINUS.

SUccedit Heraclio patri, & *quarto* imperii *menſe*, ſeu morbo, ſeu veneno à *Martinâ novercâ* tollitur.

HERACLEONAS.

HEraclii filius cum *Martinâ* matre *ſex* menſibus imperium tenet; iis exactis, *nares* Heracleonæ, *lingua* Martinæ *præſcinditur*, ex Senatus decreto. *Theophanes*, *Zonaras*, *Cedrenus & Miſcella.* Hunc *Beſoldus* in minore Synopſi, an ut illegitimum *omiſit?* non opinor: factum vel ipſius incuriâ, vel typographi. Nam mox Juſtinianus in Heraclii ſtirpe *ſextum Auguſtum* dicit. Quòd ſi Heracleonam excludimus, falſum eſt; haberemus enim ſaltem *Heraclium*, *Conſtantinum*, *Conſtantem*, *Conſtantium Barbatum*, *Juſtinianum.*

CONSTANS.

CONSTANTINI F. Heraclii N. occiſo Heracleonâ, imperium adeptus, infelix bello; ut rectè *Beſoldus*. Primùm contra *Saracenos* infeliciſſimè pugnavit, ut eſt apud *Theophanem*, & in *Miſcella*. Inde *Orientis* velut pertæſus, in *Italiam* trajecit, *contra Longobardos*; ſed ab iisdem victus, *Romam* furore quodam barbarico *expilavit*; ut eſt apud *Paulum in Longobardicis*. Hinc in *Siciliam* transmiſit, ubi cùm 6. annis hæſiſſet, *Syracuſis in balneo* interfectus

ctus eſt à ſuis; cùm imperâſſet annis 27. Factum id A. C. 668. præter *Theophanem* vide *Zonaram*.

CONSTANTINUS.

METIUS, ſive MEZENTIUS, ſive MEZIZIUS, *Armenus*, creatus erat à rebellibus; ſed hunc paulò pòſt ſuperveniens Conſtantinus, Conſtantis occiſi filius, Conſtantini nepos, Heraclii pronepos, interemit; ut ſcribunt *Anaſtaſius*, & *Conſtantinus Manaſſes*. Hic igitur imperare cœpit, cum fratribus *Tiberio* & *Heraclio*; ut vult idem *Anaſtaſius*. Nares iisdem mox amputatas tradit *Theophanes*; ſed qui nec ſibi conſentanea loquitur: Ait enim eosdem imperio dejectos anno demum XIV. Conſtantini.

Pogonatus, vel Pogonates, hic Imperator cognominatus eſt, cujus rei cauſam reddit *Conſtantinus Manaſſes* in Annalibus:

- - quod parans Mezizii
Ducis in luem claſſem tener & imberbis,
Hinc reverſus amplâ *viſus eſt* barbâ *decens*;

ut Latinè vertit *Fridericus Morellus notis in Conſtantinum Porphyrogennetum de Themat. p. 121.* Sub hoc *Conſtantinopolis* à Saracenis *obſeſſa* per 7. annos; quibus cum Imperator ſuperior tandem fuit, pax his conditionibus facta, ut *Saraceni Romanis* quotannis *trecenta ſexaginta quinque aureorum millia* penderent; ac virorum capita *quinquaginta*, equos nobiles *quinquaginta*. Sic tranquillitate reſtitutâ, *Concilium* generale *ſextum* indixit. *Petav. Ration. Temp. part. I. lib.*

lib. VIII. c. 1. Moritur A. C. 685. cùm imperâſſet annos XVII. ut ſcribit *Conſtantinus Manaſſes.*

JUSTINIANUS II.

Conſtantini Pogonati F. cognomento Rhinotmetus, à truncis naribus, ſuccedit patri, annos natus 16. *Mardaitas*, Libani incolas, obicem imperii Romani, cujus *Saracenos* ſedibus ſuis detraxit: Cum iisdem Saracenis, fretus *Sclavorum* invitis auxiliis, congreſſus, inferiores tulit. Domi crudelis ac rapax, plures ſibi hoſtes peperit. Hinc à *Leontio* Patricio, quem ad regendam *Helladem* miſerat, è carcere, comprehenſus, *naſoq; mutilatus*; & *Cherſonam* relegatus eſt, A. C. 695. Ab exilii loco poſteà fugiens, venit ad *Caganum*, Regem Avarum, cujus filiam duxit; & hinc ad Bulgarorum Principem, *Trebellium*; cujus ope reſtitutus, *Leontium* & *Abſimarum* in vinculis, *præſecto naſo*, per urbem circumductos, & *ludis Circenſibus* ſpectaculo exhibitos, *capite plecti* meritò juſſit. *Conſtantinus Manaſſes*, *Cedren. Theophan.* & alii. Mox iisdem *Bulgaris*, quorum beneficio regnabat, bellum inferens, & victus, dignas ingratitudinis pœnas luit. Tùm in *Cherſonitas* conversâ ſævitiâ, pænè omnes interfecit, claſſe in eos miſsâ; quam redeuntem adverſum mare horrendo naufragio caſtigavit. Hac ille clade parùm commotus, immò *ferocior* factus eſt; *quòd ſui* in illo Cherſonitarum ſtrage *parvulis pepercißent*. Igitur adverſus ætatem, quæ crudeliſſimos in ſe barbaros facilè exarmat, novam claſſem inſtruxit; id omnium mentes alienavit. Nam conjuratione fa-

ctâ, *Philippicus Bardanes* ad imperium evectus; *Juſtinianum* unà cum filio *Tiberio* interfecit A. C. 711. exeunte; vel ineunte 712. Et *ſic Heraclii domus extincta eſt*.

LEONTIUS & ABSIMARUS, TYRANNI.

DE priore jam ſatis diximus. Cùm Juſtinianum *truncatum naſo* exegiſſet, armis nihilo felicior, *Carthaginem* amiſit; miſſus in *Africam* exercitus rem malè gerit, & offenſionem veritus, contra Leontium *Abſimarum* creat; & *Tiberium* appellat. Sub hoc Abſimaro *ducenta millia Saracenorum* à Romanis *in Syria* conciſa ſcribit *Theophanes*. Utriusque tandem fatum illud fuit, redeunte ab exilio Juſtiniano, quale dixi. *Prodigus* & *ignavus* Imperator, cùm biennium & menſes aliquot imperâſſet; equeſtri dato certamine *poſt prandium in ſeceſſu dormiens*, à conjuratis arreptus, *oculiſq; privatus* eſt; pridie Pentecoſtes; ſive 4. Junii, A. C. 713.

ANASTASIUS.

ARTEMIUS, Philippico à ſecretis; imperio accepto, dictus ANASTASIUS, contra *Saracenos* claſſem ingentem parat in inſula *Rhodo*. Sed exercitus ſeditione concitatâ, & occiſo duce, *Theodoſium* quendam tributorum exactorem, Imperatorem ſalutat. *Anaſtaſius* deſperatis rebus ſuis, imperii ponit inſignia, & *ſe monachum facit*; A. C. 715.

THEO-

THEODOSIUS.

THEODOSIUS ADRAMYTTENUS, Imperator quaſi *per ludum ac jocum* factus, regnat usque ad annum 717; quo *Leoni ſponte* ceſſit; is *detonſum in Clericum* cum filio vivere permiſit in otio.

LEO.

LEO ISAURUS, ante imperium Conon appellatus, imperium ſuſcepit d. 25. Martii, A.C. 717. *Saracenos*, qui Aſiâ vaſtatâ *Pergamum* expugnârant, & *Conſtantinopolin* obſederant, repulit; *Tiberium* tyrannum per duces ſuos in *Sicilia* oppreſſit, & Occidentem pacavit, A.C. 719. Nomen Pontificiis inviſum, quòd imagines aboleri juſſiſſet; ſed præter meritum. Videbat enim Imperator, *ſtatuas* religioſâ veneratione *coli, adverſus clariſſimum Dei mandatum*. Ob hanc cauſam *Gregorius II. Pontifex*, Imperatorem ſubjecit *anathemati*; ac *Romam*, & quicquid *Italiæ reliquum* erat, à *Byzantinorum* Principum abſtraxit imperio; *tributaq; pendere* iis ultrà *prohibuit*. Hæc ipſe *Petavius* Jeſuita, *Ration. Temp. lib. VIII, part. I. c. 5.* Igitur hoc tempore *idololatria pontificia* magnum *incrementum cepit*; Imperator è *divinis literis optimè informatus*, preſſus, *& poteſtate ſuâ, quam in Italiam, Romam & ipſum Pontificem habebat, privatus eſt*. Unde *cautè* legeris *Beſoldum* in *Synopſi majore*, factum & ipſum denique πολύθεον. *Leo*, ne Pontificis perfidiam ulciſceretur, *bellis*

bellis Saracenicis impeditus eſt. Obiit *hydropicus* A.C. 741. d. 18. Junii; cùm imperâſſet annos 24. & menſes 3.

CONSTANTINUS COPRONYMUS.

LEonis Imperatoris F. Copronymus cognominatus, quia fecit id, quod *Wenceſilaus Noribergæ*; hoc eſt, *baptiſmo* admotus, in aquam ſacram *ventris onus* eliſit. Factum id A.C. 719. d. 25. Octob. Contra hunc *Artabasdus* res novas molitus eſt; & pulſo Conſtantino, ut *manuum opera* rurſus colerentur, imperavit. Verùm anno 743. menſe Sept. captus à *Conſtantino* cum filio, & *excæcatus* eſt. Cùm *Saraceni* diſcederent, Conſtantinus *Syriam* & *Aſſyriam* felicibus armis pervaſit; & paſſim rem Chriſtianam reſtituit. Hujus temporibus *Turcæ è portis Caſpiis* eruptione factâ, *Armeniam* & *Iberiam* perſultrâunt; & prædâ graves redierunt domum. Moritur A.C. 775. d. 14. Sept. cùm imperâſſet annos 34. menſes 3. non malus Princeps, niſi bonitatem cauſæ ſævitiâ corrumperet.

LEO.

LEO, Conſtantini Copronymi F. à patre conſors imperii factus, ſicut & pater, Porphyrogenneti nomen tulit. Bellum *Saracenicum* ſtrenuè profligavit, & proceribus poſcentibus Conſtantinum filium, ex *Irene* genitum, imperii participem fecit. Alii dein *Nicephorum*, Leonis fratrem, ad invaden-

invadendam tyrannidem hortati ſunt; quos Imperator convictos unà cum fratre exilio multavit. Moritur A. C. 780. d. 8. Sept. cùm imperâſſet annos ferè 5.

CONSTANTINUS.

LEonis F. Conſtantini Copronymi N. Porphyrogennetus cognominatus (ſed *cave* hunc *confundas* cum Conſtantino *Porphyrogenneto*, & ipſo Leonis F. *literatiſſimo Principe*, cujus ſcripta toties hactenus citavimus; nam *hic* ætatis *poſterior*) unâ *cum Irene matre* ferè per annos 10. regnavit. Impotens fœmina *idololatriam* inſtauravit, & *Aaroni*, Saracenorum Principi impar, tributarium imperium reddidit. Filium, cui *Rotrudim*, Caroli Francorum Regis filiam, A. C. 782. deſponderat, violatâ fide *Mariam quandam* oriundam *Armeniâ* coëgit ducere, menſe Dec. A. C. 788. A quibus nuptiis filius abhorrens, ſimulq; matris pertæſus, eam A. C. 790. redegit in ordinem; tamen poſteà dignitati reſtituit, cum magno ſuo malo. Nam ejusdem dolo circumventus, & immaniter *excæcatus* eſt anno imperii 18. Chriſti 797. *Beſoldus* hanc Irenem *nimis improvidè* commendat, *benè* adminiſtrâſſe rempublicam, filium *inſolenter*; eandemque admodum *iniquè* in exilium pulſam. E Pontificiis conſule *Petavium part. I. Rat. Temp. lib. VIII. c. 6.* è noſtris *Cluverum in Epit. pag. 435.* & *ἀκρισίαν Beſoldi* ſatis animadvertes.

CAPUT XVI.

HOc caput *Beſoldus* inſcribit DE IMPERATORIBUS ORIENTIS POST AVULSUM OCCIDENTEM. Sed miror in hoc caput non retuliſſe CONSTANTINUM COPRONYMUM, LEONEM & CONSTANTINUM PORPHYROGENNETUM; ſub quibus jam Occidens avulſus erat: Sicut enim diximus, à *Leone* defecit *Pontifex*, ſecumq; traxit, *quicquid in Italia Conſtantinopolitanis Principibus* hucusque paruerat.

Tria verò *Beſoldus* agit in hoc capite: Primò, quomodo *Carolus*, Francorum Rex, rebus bellicis, inclaruerit, & *Longobardicum* regnum in *Italia* deſtruxerit? Secundò, quomodo *Conſtantinopolitanum* imperium, non niſi *ignavos* Principes ſortitum, tandem *defecerit*? Tertiò, quomodo *Turcæ* proſperâ fortunâ uſi, *Orientem* ſuum fecerint? De his quoq; dicam quàm breviſſimè.

Francorum præclara gens, quæ ſuper omnes gentes enitet, ut laudat *Puteanus comment. in Hiſtoriam Inſubricam p. 187.* Item: *Gens virtutibus factisq́; eximia*, ut ait *Euphormio in Icone c. 3.* Nec non: *Gens tàm nobilis, ut hodieq́; univerſos Europæos Aſiatici* Francos *indigitent; ſicut Orientales Romæos, Abyſini quoque in Africa communiter nos* Alfrangues, *& Chriſtianum orbem* Franciam *nuncupent*, teſte *Vagetio in Periodo regni Turcici p. 25.* Non à *Trojanis* oriunda, vel *Franco* quodam, Hectoris filio, ut quosdam exiſtimâſſe jam ſuprà in rebus Trojanorum docui; neq; etiam à *Bojis*,

ut

ut in Bojorum gratiam *mentitus* eſt *Aventinus*; ſed ex *aliquot* Germaniæ *populis* adunata fuit. Nam Germani rectè tandem animadvertentes, nihil contra Romanum imperium validius, quàm fraternam quandam concordiam; & hoc uno ſe hactenus Romanis inferiores fuiſſe, quòd ſinguli ac diviſi pugnâſſent; adverſus eos conſpiratione factâ, in unum corpus coierunt, & Germanico idiomate *Francos*, hoc eſt, die Freyen / *liberos ab omni ſervitute* ſe nuncupârunt. Quicquid igitur Taciti tempore *Chatti*, *Tencteri*, *Bructeri*, *Ubii*, *Uſipetes*, *Chauci*, *Cheruſci*, *Hermunduri*, *Nariſci*, *Suevi* deniq; tenebant; *Franciæ nomen* occupavit. *Freher. lib. II. Orig. Palatinarum c. 3.* Reliquiæ tantæ multitudinis, quæ in unum corpus coaluit, unumque nomen adſcivit, conſederunt ad *Mœnum*; nam cæteri omnes *Rhenum* ſæpius *transgreſſi*, ſub *Aureliano*, *Floriano*, *Probo*, *Proculo*, *Juliano*, *Valentiniano* & *Honorio*; ſæpiusq; repulſi, tandem cùm *Attila* res Romanas attriviſſet, *Belgicam*, dein *Celticam* ſubegêre. Mox *Ægidio* & *Sangrio*, Galliarum Præſidibus debellatis, *Lugdunenſis Galliæ* partem juris ſui fecerunt.

Gothi *Aquitaniam*, Burgundiones *Narbonenſem*, *Sequanaq; partem* Romanis eripuerunt. Victis his, qui fortunæ ſuperſtites erant, Francis acceſſere: Nec diu pòſt *Gothi*, acriter à *Beliſario* preſſi; *Francis* & ipſi partem ſuam conceſſerunt hâc lege; ut in belli ſocietatem ſecum venirent. *Alemannos* quoq; non tulerunt in *Gallia* reſidere, iisque inſigni prælio devictis, totâ paulatim regione potiti ſunt; permittente

Juſtiniano. Conſulendus *Puteanus comment. in lib. II. Hiſt. Inſubric. p. 97. 98.*

Initium regni *Francorum in Gallia* conſtituerim A.C. 549. octavo poſt Conſulatum Baſilii. Tùm enim *Franci* ab Imperatore *Juſtiniano* Galliarum jura adepti ſunt; & *aureos numos*, quod ipſis *Perſis non licebat*, cudere cœperunt; non Imperatoris Romani, ſed *ſuorum ſignatos imagine*; ut è *Procopii lib. III. Gothicorum* docet *Baronius in A. C. 549. n. 4. 5.*

Francis illo tempore præerat *domus Merovei*; qui Romanis junctus cum *Attila* manus conſeruit in campis *Catalaunicis*; eaque in *Childerico* 200. ferè poſt Juſtinianum annis defecit; *Pipino*, Majore domus, ob rei militaris peritiam prudentiamq; in regendis civilibus, ad regnum evecto.

Stemma Pipini locupletius (quàm in hiſtoria Caroli Magni, auſpiciis *V. C. Bœcleri* prodiit *p. 92.*) exhibetur à *Puteano lib. III. Hiſtoriæ Inſubric. p. 181.* hoc modo: *Carolus M.* ſeculo Chriſtiano ſexto, clari nominis ac potentiæ in *Narbonia*, teſte *Sigeberto*, reliquit *Pipinum Landeſium*. Præfectum palatii Auſtraſiæ: *Pipino Landeſio* geniti cùm alii liberi, tùm *Sancta Begga*; quæ maritum habuit *Anſigiſum*, vel *Angiſum*, *S. Arnulphi*, Metenſium Epiſcopi & *Dodæ* filium, *Arnaldi* nepotem, *Ansberti* & *Blitildis*, *Clotharii* Regis filiæ, pronepotem. Ex Sanctâ *Beggâ* & *Anſigiſo* natus *Pipinus Craſſus Herſtallius*, Præfectus palatii Auſtraſiæ, deinde Dux; cui *Alpaidis* concubina, ſoror *Dodonis*, peperit *Carolum Martellum*, Præfectum palatii & Auſtraſiæ Ducem. Ex hoc & *Adelheide Pipinus*

iſte cognomento *Brevis*, familiæ ſuæ regnum intulit. *Pipini Brevis* & *Berthæ* F. CAROLUS, cognomento MAGNUS, regnum poſt obitum patris adeptus, quantas res geſſerit, non opus, ut explicem.

Sufficere poteſt tyroni hiſtoria Caroli M. modò laudata; quam, primas ducente lineas *Bœclero*, antè biennium ferè dedit *Joh. Joachimus Franzius* unà cum *Eginhardo*. Unum hoc monuerim, in ea non rectè aſſeri, *Ingelhemi*, vico *prope Moguntiam* in Germania, in hanc orbis communis auram eſſe prognatum. Eſt quidem fama, ſcio, eaque tàm pertinax, ut *Carolus IV.* Imperator, cùm *in D. Caroli M. Principis cognominis honorem* inſigne *collegium Bohemorum Sacerdotum* fundaret; ejusq; rei memoriam ita conſignaverit: *Imperator ille magnificus in villa* Ingelheym *Moguntinenſis Diœceſis, in imperiali palatio, commemorandæ ſuæ nativitatis ſumſit originem. Quin & incolis loci hodiernis id adeò perſuaſiſſimum habetur, malam ut apud eos gratiam initurus ſit, qui vel leviter in dubitationem id vocare conetur*; *quorum & vix ullus non uni ex filiis ſuis Caroli nomen in ſacro fonte indere, pro reverentia illius Semonis, conditoris ſui ſolet*; ut ſcribit *Freherus lib. II. Originum* Palatinarum *c. 11.* Sed ipſe tamen ei famæ, quod veteri & ſpecioſo indicio deſtituta eſſet, accedere noluit; licet ubi natus eſſet, ignoraret.

Noſtro ſeculo ne terram ampliùs ignoremus, debemus *Antiquitatibus Fuldenſibus à Chriſtophoro Brovvero Societ. Jeſu* publicatis; ex iisque primò, quod ſciam, verum docuerunt *Reineſius lib. II. Var.*

Lect.c.16.p.257.& Beſoldi noſtri in Synopſi majore. Verba ſunt ipſius Caroli M. in donatione reperta inter chartas manuſcriptas traditionū, *Abbatiæ Fuldenſi* factarum: *Donamus & tradimus Domino noſtro Salvatori, ſanctoq́ Bonifacio martyri, qui in Fuldenſi requieſcit monaſterio, terram conceptionis noſtræ, hoc eſt, totam comprovinciam circa flumen Unſtrut; ipſamq; chortem noſtram in Vargalaha, cum omnibus compertinentiis ſacris, & cum omnibus villis longè & prope poſitis; quæ ad eam reſpiciunt.* Igitur *Thuringi* in poſterum natales Auguſtiſſimi Imperatoris cum *Ingelheimenſium* invidiâ, jactare poſſunt.

Nunc ad ea, quæ nos dicere vult, *Synopſis* noſtra *minor*: Cùm *Pontifex* ab Imperatore Conſtantinopolitano, *magiſtratu ſuo legitimo*, defeciſſet, infeſtos *Longobardos* ſæpiùs expertus eſt; quorum ultimus Rex, *Deſiderius* cùm *Ferrariam*, *Comachum*, *Faventiam* cepiſſet, Pontifex urbi quoque timens, à Carolo per Legatos, auxilium petiit. Ille *Gregorium Epiſcopum* & *Gulfardum Abbatem* miſit, qui ſocii Pontificis res inſpicerent; & per vim ereptas à Deſiderio repeterent: Cùm nihil obtinerent, alii miſſi ſunt; qui, ut occupatis locis cederet, aurum afferebant. Sed neq; muneribus, neq; precibus quicquam actum; ut ſcribit *Anaſtaſius.*

Igitur Carolus magno ardore ivit in bellum; ſed, ut verè *Tacitus lib. I. Hiſtor. c.35.* loquitur, *ignaviſſimus quiſque, & in periculo non auſurus nimius verbis, linguâ ferox*; ſic Deſiderius nil ultra ferociam verborū, adverſus Caroli Legatos uſurpatorum, auſus eſt.

eſt. Cùm *Alpium fauces* inſideret, aliquot cohortes per cautes, aviosq; calles à Carolo juſſæ circumduci; & à tergo *ſe oſtentantes*, ſic eum *terruerunt*, ut ſine prælio ſtatim *Ticinum* fugeret; quemadmodum idem *Anaſtaſius*, & *Annal. Francorum*, & *Religioſus Cœnobii Egoliſmenſis in vita Caroli M.* adſtruunt. Alii, ſed auctoritatis minoris, pugnâſſe volunt. Inſtitit fugienti *Carolus*, & *Ticinum* acri obſidione preſſam fame, peſtilentiâ, armis, ad deditionem compulit. Sic *Deſiderius cum uxore ac liberis* in Caroli poteſtatem venit. Unus tamen filius *Adalgiſus* ſceptri hæres futurus, ſi fortuna voluiſſet, *Verona*, quam idem Carolus agreſſus erat, *in Græciam* celeri fugâ pervenit. Hic *regni Longobardici finis*.

Alterum, de quo *Beſoldus*, illuſtrat *Freher. Tom. II. Rerum Germanicarum*, ubi de *Byzantini imperii* decremento: *Quoties Germani, cùm per tanta terræ pelagiq; intervalla, bello ſacro Saracenos in Aſia peterent; & terram illam, quam vocant, ſanctam, Græcorum ignaviâ amiſſam, magnâ ex parte recuperarent; vel in tranſitu Byzantinis Regibus terrori & formidini fuerunt? Nonne verò illorum Principatus ſub* Alexio Angelo *Germanis tributarius factus, &* vectigal *inde* Ἀλαμαννικὸν *vocatum Græcis hominibus indictum? Ad quod conficiendum nec quidem priorum Imperatorum theſauris, nec ſepulcris parcitum fuit.* Et poſt multa alia: *Byzantini plerunq; nullâ juſtâ neque ſucceſſione, neque electione; ſed aliquando magicis ſortibus, aliisq; malis artibus affectatâ tyrannide, vero Principe (ſi vel frater ſit) aut ſicâ venenóve peremto; aut (ut*

mitiùs) elucificato, vel caſtrato; aut (ut mitiſſimè) tonſo, & in monaſterium truſo, imperium male arripuerunt; pejùs geſſerunt, peſſimè, & ſimili exitu, rurſus amiſerunt: Vel fortè, non dicam fœminarum, ſed (quod indigniùs) eunuchorum nutu & libidine; aliquando & factionum theatralium impetu, nonnunquam etiam ipſorum hoſtium & barbarorum; atque adeò Turcarum voluntate & minis ad ſceptra extollebantur. Imperii tandem hujus exitum ſic deſcribit idem: *Factum eſt, ut in altera illa, ad Euxinum pontum, Roma imperitantes, Neronum potiùs quàm Conſtantini, cujus nomen affectabant, ſucceſſores, variis morum damnis & vitæ flagitiis, in ſocios perfidiâ, perniciosâ inter ipſos diſcordiâ, infandâ crudelitate & tragicis ſceleribus, adeòque apertâ impietate; & eorum exemplo, ut fit, corruptus populus, eò diſſolutionis, nequitiæ, infamiæ, prolaberetur; ut pro* novâ Româ & Sione *(nam & hoc titulo ſibi blandiebantur)* nova *potiùs* Sybaris & Sodoma, *vel ipſis teſtibus, eſſet dicenda. Quam perverſionem fatalis ejus interitus, & excidium juſto* Adraſtiæ *judicio eſt conſecutum. Poſtquam enim cum vicinis omnibus populis, jam velut juratis & divinitùs immiſſis hoſtibus;* ab Occidente, *Vandalis, Gothis, Bulgaris, Ulachis, Myſis, Hunnis, Avaribus, Serviis, Triballis, Patzinacis, Roſſis, Uris;* ab Oriente *verò Perſis, Iberis, Arabibus, Armeniis, tandem Turcis & Saracenis, omnium acerrimis, tanquam reus aliquis beſtiis objectus, diu variâ fortunâ imperium illud belligeraſſet; plerumque verò à magna ſtrage attenuatum, aut ad duriſſimas dependendi tributi conditiones adactum: Non tantùm fines*

nes illos olim latiſſimos perpetuâ quaſi alluvione arroſos, amiſſis ſubinde optimis quibusque provinciis, magis magisq; contrahere neceſſe habuit; ſed vix tandem pomœria ſua, imò mœnia portasq; tueri potuit. Itaq; cùm aliquot obſidiones Conſtantinopolis ab Avaribus, Saracenis, Genuenſibus, atque etiam in civilibus bellis paſſa, juſto pœnitendi tempore elapſo, nihilo interim evaderet melior; ſed veluti obligato ſibi divino auxilio, invincibilem *ſe jactaret; tandem à Deo deſerta (quod* Leo *Imperator dudum in quodam* vaticinio *præſagierat) ut* à Conſtantino primo *condita*; *ita* ab ultimo *amiſſa, immaniſſimæ Turcarum genti pertinaciter obſidionem urgenti, nunquam ſatis deplorando orbis Chriſtiani damno conceſſit.* Habes compendioſiſſimam rei Conſtantinopolitanæ, usque ad noviſſimum tempus, deſcriptionem; quâ qui contentus eſſe non poteſt, adeundi illi erunt *Zonaras*, *Nicetas*, *Nicephorus Gregoras*, *Laonicus*, & alii. Perpetuam Imperatorum ſeriem ab *Irene* usque ad ultimum *Conſtantinum Palæologum* cùm *Beſoldus* omiſerit, non erat animum ſubjicere, niſi hiſtoriam Beſoldianam ſupplere me vellent alii; ſed illis ita obſequar, ne reliqui de prolixitate conqueri poſſint.

NICEPHORUS, *Irene ejectâ*, imperium invaſit, A. C. 802. *Bardanem* amovit, quem exercitus invitum creaverat; cum *Saracenis* pacem per dedecus iniit, & ſceleratè rurſus violavit. Occiditur à *Bulgaris* A. C. 311. d. 26. Julii. *Theophanes* & *Miſcella*.

STAURACIUS, Nicephori F. particeps imperii, moritur ex vulnere; cùm paucis menſibus regnâſſet poſt patrem. *Iidem*.

MICHAEL Curopalates Imperator ſalutatus d. 5. Octobris A. C. 811. victus à *Bulgaris* A. C. 813. *Leoni Armenio* ceſſit Principatum. *Iidem* cum *Zonarâ* & *Cedreno*.

LEO *Armenius*, Julio menſe A. C. 813. primordia imperii capit. Occiditur à *Michaële Balbo*, quem majeſtatis reum in cuſtodia haberi juſſerat; *ipſo natalis Dominici die, inter ſacra*, A. C. 820. *Iidem*.

MICHAEL Balbus, *Phryx*, ex oppido *Amorio*, interfecto Leone imperat. *Thomam*, qui res novas molitus erat, victum & captum omni crudelitatis genere laniavit. Sub ejus Principatu *Saraceni Hiſpanienſes* occupârunt *Cretam*; exin *Calabria*, *Apulia*, & *Italiæ pleraq; Saracenis* paruerunt. Moritur A. C. 829.

THEOPHILUS, Michaëlis Balbi F. ſuccedit dicto anno, menſe Octobris. Moritur A. C. 841.

MICHAEL, Theophili F. Michaëlis Balbi N. ſub tutela, matris *Theodoræ* relictus, patrem excipit. Sub eo *Bulgari Chriſtianis ſacris initiati* ſunt, regnante tùm apud illos *Bogori*. Decimoquarto imperii anno, hoc eſt, A. C. 855. *matrem* poteſtate *ſpoliat*; & *Bardam* primùm *Curopalatem*, dein *Cæſarem* facit; ſe verò totum dat ludis, aurigationibus, ac perpotationibus. Ad extremum *Bardas occiditur*, ipſius *Michaëlis conſenſu* d. 1. April. A.C. 866. & *Baſilium Macedonem* Imperatorem creat d. 26. Maji, anno eodem. Pòſt, cùm *Baſilius* inſidias metueret à *Michaële*, eum antevertere volens; *ebrium interficit* A.C. 867.

BASILIUS Macedo, ex *Arſacidis*, ut *vaniſſimè*

niſſimè ſcribit *Curopalates*, obſcuro genere natus in *Macedonia*; ut veriùs *Zonaras*, non pœnitendus imperio Princeps, officia mandavit bonis; & judicia exercuit ipſe. Sed & foris contra *Saracenos* & *Manichæos* proſperè pugnavit. Moritur A.C. 889.

LEO, Baſilii F. ſive Michaëlis Imperatoris (nam utrumque traditum) ob *ſtudium Philoſophiæ* cognominatus *Philoſophus*, adverſus *Bulgaros* primùm infeliciter pugnavit; ſed mox *auxiliis Turcarum* uſus, vicit. Obiit d. 11. Junii A. C. 911.

ALEXANDER, Leonis frater, tutorio nomine imperio præeſt; donec adoleſceret *Conſtantinus*, Leonis F. Crapulæ & libidinibus deditus periit d. 7. Junii A. C. 912. multo *per nares & pudenda rejecto ſanguine*; cùm poſt hauſtum largiùs *merum*, *pilâ* deinde ſe & *equitatione* vehementiùs agritâſſet. *Curopalates*, *Cedrenus*, *Zonaras*, *Glycas*, *Conſtantinus*, *Manaſſes*.

CONSTANTINUS Porphyrogennetus, Leonis Imperatoris F. Baſilii Imp. N. hîc eſt, qui optimorum Scriptorum in omni genere exemplaria undique conquiſivit; iisque *Palatinam bibliothecam inſtruxit*. Dein cùm animadverteret, pleroſque à legendo, mole librorum, deterreri; eos epitomavit, & in locos communes, ſive *tres & quinquaginta titulos* eleganter diſtribuit. Hujusmodi *Excerptorum duo tituli* ad nos hodiè pervenerunt: *Alter legationum*, in duos libros diſtributus, *alter de virtutibus & vitiis*; quem debemus curioſitati *Nicolai Peireſcii*, æternâ gloriâ digniſſimæ. Plura de ejus peritia, in omnibus ferè

ferè diſciplinis, Arithmeticâ, Muſicâ, Aſtronomiâ, Geometriâ, Hiſtoriâ, Poëſi, & universâ Philoſophiâ. *Bonaventura Vulcanius notis in hujus ipſius Conſtantini lib. I. de Thematibus p. 53.* qui tamen *p. 56.* videri poteſt, cum *Conſtantino Porphyrogenneto*, Leonis & Irenes filio (de quo ſuprà) confudiſſe. Noſter matrem habuit *Zoën*, quæ ab *Alexandro tutore* primùm *ejecta*, dein *revocata*, & rurſus palatio *ſubmota* eſt. Sub hoc Imperatore *Conſtantinus Ducas*, & *Leo Phocas*, victoriâ *Bulgaricâ* inſolentior factus, imperium affectantes, oppreſſi ſunt. Poſt hæc

ROMANUS LECAPENUS, Patricius, Conſtantini ſocer, & novo honoris genere, *Imperatoris cuſtos ac pater* d. 24. Sept. A. C. 919. *Cæſar*, & ſequente Dec. *Auguſtus* appellatus eſt à *Nicolao Patriarchâ*, permiſſu Conſtantini; qui cùm VII. annos ſolus imperâſſet, inſurgentibus tyrannis ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ collegam imperii aſſumſit hunc Romanum,

Aſtutam vapido geſtantem in pectore vulpem.

Vel potiùs κυνὸς ὄμματ' ἔχοντα; quippè qui & *Theodoram* uxorem ſuam, diademate ornavit, & CHRISTOPHORUM filium ſuum ad idem faſtigium evexit; voluntate, ut videri volebat, Conſtantini; ſed reverà invito, & conquerente & πολυκοιρανίαν indignè ferente. Idem & Chriſtophori uxorem, *Sophiam*, poſt obitum *Theodoræ*, Auguſtæ nomen accipere voluit. Tum &

STEPHANUM & CONSTANTINUM filios ſuos, Cæſares, Auguſtos creavit; & THEOPHYLACTUM *filium Patriarcham fecit*, & RO-

MA-

MANUM, è Chriſtophoro nepotem ſuum, coronavit. Tot præſidiis firmato imperio *Conſtantinum Porphyrogennetum aſpernari* cœpit; ſed, ut è Phœbi tripode canit Poëta:

Sequitur ſuperbos ultor à tergo DEUS!

ROMANUS, annoſa vulpes, tandem in caſſes incidit; & *à Stephano filio*, Imperatore & ipſo pariter declarato, *captus*, exutus imperio, & *attonſus* in inſulam *relegatus* eſt, d. 16. Dec. A. C. 944. *Stephanus* verò, & *Conſtantinus*, fratres, inter ſe mutuò de imperio altercantes, *ambò correpti*; & in inſulas ſunt *deportati*. Sic tyrannide liberatus Conſtantinus, imperavit usque in annum 959. Eo enim die 9. Dec. *Romani filii parricidio*, ut ferebant, ſublatus eſt.

ROMANUS, Conſtantini Porphyrogenneti F. Leonis N. homo ſoluti ingenii, obiit anno 963. Scripſit *ad eum* eruditiſſimus pater *librum de adminiſtrando imperio*, quem valdè commendatum *Caſaubono in præfatione Polybianâ*; primus Græco-Latinum vulgavit, *Joh. Meurſius*.

NICEPHORUS PHOCAS, vivo Romano, *Saracenis Cretam* eripuit. Imperator contra eosdem in *Cilicia Syriaq;* ſecunda bella fecit; *Antiochiam* recepit, homo aliàs ſordidus & illiberalis. *Periit* inſidiis *Theophanonis* conjugis, & *Joh. Zimiſcæ*, d. 11. Dec. A. C. 969.

JOHANNES ZIMISCES Imperator ſalutatus, ſtatim *Romani filios*, BASILIUM & CONSTANTINUM, *collegas* adſcivit; *Saracenos* ab *Antiochia* repulit, *Bulgaros* & *Roſſos* devictos pacem pe-

tere

tere coëgit. Hunc *Petavius part. I. Ration. Temp. lib. VIII. c. 15.* primùm ſcribit ſignâſſe numos, cum Salvatoris imagine, & inſcriptione: JESUS. CHRISTUS. REX. REGUM. Sed *fallitur* vir doctiſſimus, nam & *Heràclii numum* alibi dedimus; in quo conſpicitur *imago Salvatoris*, cum epigraphe: IHS. XVS. REX. REGNANTIUM. Corruptiſſimum exhibet *Strada in Cæſ. p. 272.* Tales *apud eundem* reperies *aliorum*, qui rerum Orientalium *potiti* ſunt *ante Zimiſcen*. Sublatus eſt hic Imperator *veneno* d. 4. Dec. A. C. 975.

BASILIUS Porphyrogennetus & CONSTANTINUS Porphyrogennetus, Romani filii, Conſtantini Porphyrogenneti nepotes, imperium paternum & avitum receperunt A.C. 975. Contra eos inſurrexit *Bardas Sclerus*, & victus eſt à *Barda Phoca*. Tunc *Bardas Phocas* auſus res novas, interficitur A. C. 989. & *Bardas Sclerus* Baſilio reconciliatus eſt. Crudele eſt, quod de iſto *Baſilio* legimus: Victo *Bulgarorum* Rege, Samuele, *quindecim millia militum excæcata* ad eum remiſit, *ſingulis centuriis uno monocolo præeunte*; quorum aſpectu ita perterrefactus eſt Bulgarus, ut paulò pòſt moreretur. Obiit verò & ipſe menſe Dec. A. C. 1025. Eo adhuc deterior frater Conſtantinus, deceſſit triennio pòſt menſe Nov. A. C. 1028.

ROMANUS ARGYRUS, cum *Zoë*, Conſtantini Porphyrogenneti filia ex Helena, Romani Imp. nepte, imperat; primùm moderatus ac juſtus, dein

dein rapaciſſimus, *Syriam* perdit; & *inſidiis* uxoris *Zoës* perit d. 11. April. A. C. 1034.

MICHAEL PAPHLAGO, à *Zoë* conjux adſcitus, & Imperator ſalutatus, malè *à dæmone vexatur,* ferè per totum imperii tempus. Moritur factus *monachus* d. 10. Dec. A. C. 1041. Multis tùm calamitatibus involutum imperium. *Sicilia amiſſa* eſt, cùm, qui eam Saracenis rurſus ademerat, *Georgius Maniaces*, in vincula conjiceretur. Acceſſit *defectio Bulgarorum.*

MICHAEL CALÆPHATUS, Stephani F. & Michaëlis Paphlagonis è ſorore N. à *Zoë* adoptatus, & Imp. ſalutatus eſt hâc conditione, *ut matris ac dominæ loco* illam ſemper *haberet;* oblitus datæ fidei populum in eam concitat, ſed infeliciter. *Excæcatus* eſt A. C. 1042. & cum Conſtantino Cæſare, patruo ſuo, *relegatus.*

CONSTANTINUS MONOMACHUS à *Zoë* thori & imperii conſors factus, d. 12. Junii A. C. 1042. coronatur. Sub hoc *Servii* Romanorum Orientalium 40000. ceciderunt. *Normanni* Apuliam occupârunt, *Turcæ* defecerunt, multas clades intulerunt; *Perſidem* denique invaſerunt. Moritur A. C. 1054. Ipſa quoque *Zoë* mariti congreſſus cum *Maria Sclerena*, Bardæ Scleri filia, ægerrimè ferens, zelotypiâ extinguitur.

THEODORA, Conſtantini Porphyrogenneti filia, Romani neptis, primùm à ſorore *Zoë* in monaſterium detruſa, & rurſus inde à populo extracta, cum ſorore imperavit, contra *Michaëlem Calaphatum*

phatum & *Conſtantinum Cæſarem*; nec diu ſorori ſupervixit. Mortua menſe Aug. A. C. 1055.

MICHAEL STRATIOTICUS, à *Theodorâ* adoptatus, homo imperitiſſimus, ab *Iſaacio Comneno* coactus, abdicavit ult. Auguſt. A.C.1057. Auctor eſt *Cedrenus*, Epiſcopos, quos Patriarcha miſerat, ad perſuadendum illi privatam vitam, interrogâſſe: *Quodnam ſibi poſiti imperii pretium foret?* & cùm illi reſponderent: *Regnum cœleſte*, ſtatim purpuram exuiſſe.

ISAACIUS COMNENUS nobili genere, die primo Sept. Imperator ſalutatus eſt, acris ingenii vir, & belli peritus; cùm in morbum incidiſſet, *ſponte abdicavit*, & in *Studienſe monaſterium* conceſſit. A. C. 1059.

CONSTANTINUS DUCAS deſignatus Imperator ab *Iſaacio Comneno*, Andronici F. ingenio ad juſtitiam prono, ſed ad res militares hebeti, multas clades accepit à Barbaris. Moritur autem A.C.1067. relictis cum *Eudocia* conjuge filiis tribus, *Michaële* & *Andronico*, quos privatus genuit; & *Conſtantino*, quem Imperator.

ROMANUS ab *Eudociâ* contra fidem, quam Conſtantino Ducæ dederat, maritus poſt ſeptimum menſem adſcitus, cum *Turcis* propitiâ fortunâ primùm dimicavit; ad extremum *proditus* in *Sultani* poteſtatem venit: Is honorificè habet, ut volunt *Zonaras*, *Glycas* & *Manaſſes*; ſed ut *Guilhelmus Tyrius lib. I. c. 9.* ſcribit *regium in ſolium aſcendenti vel deſcendenti barbaro pro ſcabello fuit*. Remiſſus *Conſtantinopolim*, ſuos Turcis immaniores expertus eſt; nam *effoſſis oculis*, *neque*

neque curatis vulneribus, tumente ac *vermibus ſcatente capite*, extinctus eſt, A. C. 1071.

MICHAEL PARAPINACIUS, Conſtantini Ducæ filius, in vitrici locum creatus eſt. Sub eo *Turcæ* Ponticam oram armis ſubegerunt, eodemque tempore NICEPHORI duo, BOTONIATES & BRYENNIUS, ille in *Oriente*, hic in *Occidente* (ubi *Dyrrachio* præerat) imperium invaſerunt. *Nicephorus Botoniates*, Turcarum auxiliis ſuperior factus, regiam occupat; ac Imperator renunciatur d. 25. Martii: *Michaël* in *Studienſe monaſterium* transfertur, 7. April. A. C. 1078.

NICEPHORUS BOTONIATES *Nicephorum Bryennium*, operâ *Alexii Comneni*, frangit, & *oculis privat*; & ipſe *à Comnenis* imperio *exutus* fit *monachus*, A. C. 1081.

ALEXIUS COMNENUS, Iſaaci Comneni Auguſti F. Imperator factus d. 1. April. A. C. 1081. vafer, perfidus ac rapax, à *Francis* malè acceptus eſt, cùm *Palæſtinam*, *Godefrido* duce, peterent A.C. 1096. Obiit A.C. 1118. d. 15. Aug. Poſt mortem deſtitutus ab omnibus, ac *ne imperatorio quidem funere* elatus.

JOHANNES COMNENUS, qui & Calo Johannes, Alexii F. Iſaaci N. *Scythas* & *Triballos* & *Ungaros* feliciter profligat; *Perſarmenios* aggreditur, & bello fatigatos pacem petere cogit; *Perſas* ipſos ſæpius bello premit, atque adeò multis rebus egregiè geſtis; tandem *venatum* egreſſus, manu *venenatæ ſagittæ* illapſu ſtrictim læſâ, celeriter veneno *usq; ad vitalia* graſſante, moritur, Aprili menſe, A.C. 1143.

MANUEL COMNENUS, Johannis F. Alexii N. à patre imperare juſſus, contra *Latinos*, cum ipſis *Saracenis* conſpiravit. Eò tandem juſtâ DEI vindictâ inſaniæ lapſus eſt, ut Saracenorum dogma tantum non adſciſceret. Obiit menſe Sept. A.C. 1180.

ALEXIUS COMNENUS, Manuelis F. Johannis N. *Ludovici* Francorum Regis *gener*, ab *Andronico Comneno*, Iſaaci F. Alexii N. Iſaacii proN. agnato ſuo, *occiſus* eſt. A. C. 1183.

ANDRONICUS COMNENUS, occiſo, ut dixi, Alexio, imperium invadit. Ante hoc ſcelus *omnes Francos & Latinos Conſtantinopoli trucidari juſſit,* quòd conatus ipſius adverſus Alexium impedituri viderentur. Hanc cladem ulturi populares Thraciæ Græciæq; , maritimam oram ferro & igne vaſtârunt. Mox dum *Iſaacio Angelo* necem molitur *Andronicus*, comprehenſus, & per urbem *Camelo* vectus, *alterâ abſciſsâ manu oculoq; effoſſo*, à furenti plebe *laniatus* eſt. A. C. 1185. Inter rerum & verborum ludibria hoc unum dicebat: *Domine miſerere!* Et: *Quid contritum calamum infringitis?*

ISAACIUS ANGELUS factione populi imperium accepit: *Siculorum* claſſem ad *Strymonem* vicit: *Cyprum* ab Iſaacio Comneno claſſe *fruſtrà* repetiit: Cum *Valachis* parùm proſperè pugnavit: *Fridericum Ahenobarbum* Imperatorem, Palæſtinam petentem, in ſe concitavit, magno ſuo cum damno, imperio & oculis ſpoliatum à fratre. A.C. 1195.

ALEXIUS ANGELUS, Iſaaci Angeli frater, Comnenum ſe cognominans; imperare cœpit

cum

cum ingenti ſuorum calamitate. Hinc à *Valachis*, *Myſis* & *Scythis*, inde à *Perſis* & *Iconienſi Sultano* acceptæ clades. Qui remp. benè & ex dignitate gereret, nemini unquam, in mentem veniebat: Excitabantur in ipsâ urbe immanes tragœdiæ, priſcis illis Thebanis non multùm abſimiles. Deniq; cùm *Alexius*, Iſaaci Angeli excæcati filius; *ad Germanos profugeret*; multi Principes, cum *Balduino*, Flandriæ Comite, & *Venetis* adverſus Alexium Angelum Comnenum incitati, *Conſtantinopolin* petierunt, obſederunt, expugnârunt: Rapinis, ferro, & incendiis omnia vaſtantur. Ipſe autem Alexius imperio ſpoliatus *Debeltum* profugit A. C. 1203.

Sic *Iſaacius* cum *Alexio* filio ſpeciem adumbravit priſtinæ dignitatis, ſed nec ipſis inter ſe concordibus A. C. 1204. ALEXIUS MURZUFLUS imperium invadit, & *Alexium Angelum*, Iſaaci filium; *interficit*; cùm pater paulò antè fato conceſſiſſet. Murzuflus in *Latinos* bellum parans fugatur: Hoſtes *Conſtantinopolin* oppugnant, expugnant; *incendio novo* deformant, lacerant, & diripiunt d. 12. April. A. C. 1204.

BALDUINUS, Balduini Flandriæ Comitis F. annum agens 32. ingentis animi heros, *expugnatâ Conſtantinopoli* Orientis Imperator factus, *cum Venetis & Genuenſibus* expeditionis ſociis, *imperium partitur*; ſed ſequente anno 1205. d. 15. April. victus & captus à *Bulgarorum* Rege, *Johanne*; per ſummos cruciatus interficitur.

HENRICUS, Balduini Imperatoris frater, ad imperium evehitur A.C.1206, moritur A.C. 1216.

PETRUS ANTISSIODORENSIS, *Jolantam*, Henrici ſororem an filiam? (incertum enim eſt) in matrimonio habens, *Romæ coronatur*; & dum in *Thraciam* proficiſcitur, à *Theodoro*, Dyrrachii Principe, perfidioſè captus, & à *Theodoro Laſcari* occiſus eſt, A.C. 1221.

ROBERTUS, PETRI Imperatoris F. Imperator appellatus obiit in *Achaja*, A. C. 1228.

BALDUINUS, Roberti *frater*, ut quidam volunt; ut alij, *filius*, imperavit cum JOHANNE BRYENNIO, *Hieroſolymorum Rege*, tutore, ſocero ſuo, & Cæſare annis 20; & poſt ejus mortem annis 13. Imperio Orientis exactus eſt, *inſidiis Græcorum Principum*, A. C. 1261. Dum Latini Conſtantinopolin obtinent, interim

THEODORUS LASCARIS *à Græcis* Imperator *creatus Nicææ* in Bithynia, dein *Hadrianopoli ſedem* habebat; Princeps bellicis rebus inclytus. *Turcas* ab Alexio Angelo, Comneno ſocero (nam *Annam* ejus filiam *ex Euphroſynâ* Duciſsâ, in matrimonio habebat) adverſus ſe concitatos magnâ ſtrage delevit; eorumque Sultanum ſuapte manu peremit. Moritur A. C. 1222.

JOHANNES DUCAS DIPLOBATIUS, cui Theodora, Theodori Laſcaris filia, ex Anna Angela nupſit: à ſocero ſucceſſor deſignatus, pleroſq; de *Latinis* recepit. Moritur A. C. 1255.

THEO-

THEODORUS LASCARIS, Johannis F. ſuccedit patri. Obiit A. C. 1259.

JOHANNES & THEODORUS, Theodori filii, Johannis nepotes, ſucceſſores relicti ſunt à patre. Sed pulſis *Latinis*, & receptâ *Conſtantinopoli*

MICHAEL PALÆOLOGUS, Andronici F. *materno* genere à *Comnenis* oriundus, pupillos interficit; & imperium uſurpat. Obiit A. C. 1283. & *quòd Latinis* poſtcà *favere* cœpiſſet, à filio *ne plebejo quidem ritu ſepultus*, haud procul caſtris, in quibus tunc erat, *humo* eſt *obrutus.*

ANDRONICUS PALÆOLOGUS, Michaëlis F. Andronici N. mortuo Michaële filio, imperii conſorte, filium ejus *Andronicum*, nepotem ſuum hæredem deſignat; ſed is *avo ſæpiùs rebellis*, tandem *ſenectâ feſſum* imperio exigit. Sic privatus deceſſit A. C. 1332.

ANDRONICUS PALÆOLOGUS, Michaëlis F. Andronici Imp. N. Michaëlis proN. Andronici abN. ejecto avo imperat annis circiter 8. Deceſſit A. C. 1341.

JOHANNES PALÆOLOGUS, Andronici F. Michaëlis N. pulſo tutore *Johanne Cantacuzeno*, qui imperium ipſum uſurpârat, poteſtatem *ſolus* ſibi vindicavit. Obiit A. C. 1384.

ANDRONICUS PALÆOLOGUS, Johannis F. Andronici N. poſt patris obitum coronatur à *Nilo* Patriarcha. Moritur A. C. 1387.

MANUEL, Andronici frater, Johannis F. Andronici N. Johanni reliquit imperium A. C. 1419.

JOHANNES, Andronici F. Johannis N. Andronici proN. poſt Manuelis patrui mortem imperat. Obiit circa A. C. 1421.

JOHANNES, Manuelis F. Johannis N. Andronici proN. imperium obtinuit usque ad A. C. 1445. *ultimus Conſtantinopolitanus Princeps.* Nam ſub ejus Principatu d. 29. Maji, A. C. 1453. *capta urbs, à Muhamete II.* & imperium totum everſum eſt. *Conſtantinus* Imperator, dum *ad portam urbis trepidus* ſe recipit, *fugientium multitudine preſſus moritur.* Tanta in expugnatione urbis ſpolia reportârunt Turcæ, ut *de locuplete* proverbium apud eos ortum ſit: *Interfuiſti direptioni Conſtantinopolitanæ!* Totam hiſtoriam fuſiùs exequuntur *Leunclav. lib. XV. Hiſtor. Muſulm. p. 578. & ſeqq. & in Annalibus Turcicis p. 29. & in Pandectis n. 129. Petrus Juſtinianus lib. III. Hiſtor. Venetæ, p. 154. 155. Reuſnerus lib. III. Epiſt. Turcic. p. 113. & lib. IV. p. 135.* Tùm & omnes illuſtres familiæ ad pudendam inopiam delapſæ ſunt. Scribit *Busbequius epiſtolâ I.* cùm Ferdinandi legatus veniſſet in *Thraciam*, de puellis quibusdam, quæ liberalioris erant formæ, quæſiviſſe, quibus parentibus eſſent oriundæ? Tùm audiviſſe, à *ſummis* ejus gentis *Satrapis* originem ducere, aut etiam *Regibus* eſſe proſatas; jam *bubulco* aut *opilioni deſponſas.* Vidiſſe poſteà in aliis locis *Cantacuzenorum* & *Palæologorum*, imperatorii generis reliquias, contemtiùs inter Turcas degentes, quàm vixerit Dionyſius Corinthi.

Atque ita tandem defecit, quæ cum morte per aliquot ſecula luctata eſt, *nova Roma*; factumq; quod

diu

diu antè vaticinatus eſt *Nicetas Choniates lib. II. Annalium*, de rebus Alexii Comneni: *Vereor*, inquiebat, *ne ad extremum corruas.* Necdum *poſt ducentos annos* evigilat Chriſtianus orbis, nimis alto vitiorum ſomno ſepultus; ut ſub illuſtri exemplo reſipiſcat! *Facimus idem, quòd Conſtantinopolitani, & noſtra religionis homines ferro, igne, & omni cruciatus genere perſequimur; Turcas negligimus. Mirum, ni & mox in auxilium vocemur contra nosipſos!* Nihil ad nos pertinet, quòd vicinus paries jam ardet; nihil, quòd vetuſtiſſima & nobiliſſima *Venetarum* reſp. armis *Saracenicis* petitur. Eodem veterno torpuerunt Byzantini, donec ad portas eſſet Hannibal; luxum, crapulam, faſtum plusquam Conſtantinopolitanum in ſummis miſeriis retinèmus, cedente clam Turca; *cui fortuna nihil majus præſtare poteſt, quàm eam Chriſtianorum levitatem ac ſtultitiam.* Sed quid ago? Quantus eorum numerus, qui hoc ipſum Atridis inculcârunt, & ne hilum quidem profecerunt. Cauſa ſatis manifeſta: Quia peccatis noſtris id meruimus, ut ſtultos faceret DEUS. Verendum etiam bonis, ne idem illis accidat, quod *Muſonio Ruffo*, Equeſtris ordinis viro; de quo *Tacit. lib. III. Hiſt. c. 81.* cùm Flavii Veſpaſiani *Vitellio* imperium adempturi milites, agmine minaci peterent urbem, decretis à Senatu legatis, qui occurrerent paremq; ſuaderent; *miſcuit ſe illis Muſonius, ſtudia Philoſophiæ & placida Stoicorum æmulatus. Cœptabatq; permixtus manipulis, bona pacis & belli diſcrimina diſſerens, armatos monere. Id plerisq; ludibrio, pluribus tædio; nec deerant, qui pro-*

pellerent, proculcarentq́; nî admonitu modeſtiſſimi cujusq́, & aliis minitantibus, omiſiſſet intempeſtivam ſapientiam.

Nunc pauca quædam *de Turcarum initiis*: Nam hoc tertium membrum *capitis hujus XVI.* Exordia gentis perquàm humilia, quæ initio *trans Tanaim* nullâ ſede ſtabili, nullis certis perpetuisve domiciliis uſa; ſed longè lateq; patentes campos cum familiis & armentariâ pecuariâq; re paſſim ſolita pervagari, tandem propiùs *ad pontum Euxinum* & *Iberos veteres* acceſſit; ubi partem eorum ſtipendiis oblatis invitatam *Flavius Heraclius* Auguſtus adverſus *Perſas* id temporis per pontum Euxinum navigans, copiis ſuis adſcripſit; uti è *Simeone Magiſtro Officiorum* narrat *Leunclav. lib.I. Hiſt. Muſulm. p.22. & 23.* Hinc (pergit *Idem*) ulteriùs in *Armeniam* ad *Araxyin* fluvium progreſſi, ſuas ibidem ſedes, necdum priſcis Nomadû moribus exutis habuerunt; donec imperante *Conſtantino Monomacho Auguſto*, vel ſub *Romano Argyro* à Rege Perſarum *Muhamete* muneribus & annonis ad belli ſocietatem adverſus *Indos* & *Bagdadinum Calipham* pellecti, *Araxe* tranſito, *Perſidem* intrârunt; & extincto in pugnâ Perſarum Rege *Choraſanem* primùm, deinde reliquas regni Perſici provincias, & majorem Aſiæ partem occupârunt.

Perſide, longo intervallo pòſt, exacti à *Tartaris*, novum in *Aſia minore*, Sultano *Aladine*, *Selzuccio* duce, regnum condiderunt; quod à regia Principum Iconienſe vocârunt. Hujus poſteris & gentilibus, à *Tartaris* graviter preſſis, ſtrenuam operam navârunt.

varunt. *Obuzii*, qui proinde ampliſſimis prædiis in *Bythinia* vicinâq; *Phrygia* donati, carpere paulatim vicinos Chriſtianorum fines cœperant; deq; die in diem pomeriis proferre limites. *Aladine II.* ultimo Selzucciæ gentis defuncto *Iconienſe imperium* varias in ditiones *diſcerptum* eſt. Suum Principem *Cilicia*, ſuum *Jonia maritima*; ſuum *Lydia*, ſuum *Pontus* & *Paphlagonia*, ſuum *Troadis* & *Myſiæ* regio ad *Cariam* usque, ſuum aliæ provinciæ acceperunt.

Sed OSMAN, *Oguziæ gentis*, Ertuculis filius, Soleimani nepos, Cabi pronepos, Cuſulbugæ abnepos, Banidaris atnepos, Oicolucis trinepos (ut eſt in genealogia *Osmanidarum*, apud *Leunclav. in Pandect. p. 98.* qua ad *Oguz* & *Oguzis* proavum usque aſcenditur; ſed longè diverſè eſt altera *p. 102. 103.*) *Bithyniam* tantùm regionibus omnibus *Olympo monti* vicinis, & *Tekien* mediterraneis *Phrygiæ majoris* incluſam conſecutus eſt.

Hic ſecundum *Leunclavium* rerum Turcicarum ſtatus fuit ad Oſmanem usque; qui oppreſſis cæteris incredibiliter rem Turcarum auxit, *Bruſam Bithyniæ* cepit; & imperii ſedem conſtituit. Quamobrem primum Turcarum *Padiſchachum* Scriptores noſtri, & ipſorum etiam Turcarum libri faciunt. Moritur A. C. 1326.

II. URCHAN GASI, Osmanne genitus, ex Malinchone Edebalis filia, *Myſiam, Lycaoniam, Phrygiam, Cariam*, cæteraq; ad *Helleſpontum* ditioni ſubjecit ſuæ; cùm *Cantacuzenus* & *Palæologi* odiis armisque inter ſe certant.

III. SULTAN MURAT CHAN GASI, Vichanis F. ſuccedit A. C. 1359. *Callipolin, Hadrianopolin*, & adjacentes *provincias* ſubegit. Occiditur à *Croatâ*, A. C. 1388. die ult. Dec.

IV. GILDANUN BAJASIT CHAN, Muratis F. magnus animo & rebus, *Theſſaliam, Macedoniam, Phocidem, Atticam, Myſiam*, & *Bulgariam* occupavit. *Conſtantinopolin obſedit* pluribus annis; quam ut ſervarent, *Sigismundus*, Hungariæ Rex, & *Joh. Nivernenſis*, Philippi Burgundionis F. expeditionem *contra Turcas* ſuſcipiunt; ſed infelicem. Cæſo Chriſtianorum exercitu, *Johannes* ipſe *capitur*. Hinc cùm ad obſidionem rediret Bajaſites, *Temurlan* ſive *Temurlancus*, id eſt, *claudus* imploratus, cum *Tartarorum* infinitâ multitudine irrupit in Aſiam; occurrentemq; *Bajaſitem*, cæſis 200000. Turcarum, *vivum* in poteſtatem redegit, & *incluſum caveæ*, feræ inſtar, ad ludibrium circumduxit. Cur? eleganter exponit *Lipſius lib. I. Monit. & Exempl. Pol. c. 5. mon. 6. ex. 4.*

V. SULTAN MUHAMET CHAN, Bajaſitis Gilderunis F. imperium capeſſit A. C. 1413. Alii interponunt ISAMBEGUM, SULEIMANUM & MUSAN TELEBIN, fratrem ejus; ſed Turcarum Annales *à captivitate Bajaſitis usque ad Muhametem interregnum* extendunt *Leunclav. lib. IX. p. 399.* Ex his *Muſam Telebin* Beſoldus in Synopſi majore *Moſen Chilibin* vocat, corruptè: *Telebis* enim *Turcicum* eſt, & ſignificat *nobilem*. Sic & in nomine *Gilderunis* patris ceſpitat, *Wildericum* appellando. *Gilderun* ad *Wilderim* eſt *fulmen turris*; quo nomine

mine Bajaſit honeſtatus eſt, ut *Ptolemæus* & *Antiochus* Κεραυνϐ.

VI. SULTAN MURAT CHAN. II. Muhametis F. ex *Aſia* transportatis per *Helleſpontum* copiis, *Theſſalonicam* cepit. Multa paſſus ab *Uladislao*, Poloniæ & Hungariæ Rege; & *Joh. Hunniade*, cujus genus è *Scaligeris Veronenſibus* derivant viri docti. Tandem in altero bello ad *Varnam* vincit d. 10. Nov. A. C. 1444. ſive ut *Geifræus* ſtatuit, d. 11. Nov. Ceciderunt ex Chriſtianis cum ipſo Rege 10000. Turcarum 30000. Tradunt non Turcarum tantùm, ſed & Chriſtianorum libri, conſtitutum in maximo diſcrimine *Muratem auxilium cœlitùs imploràſſe, contra Chriſtiani Regis perfidiam.* Quippe, cùm *Murates* eo tempore, quo bellum primum cum *Uladislao* finiit, ab illo certum aliquod pacis inviolabiliter obſervandæ documentum petiiſſet; data eſt illi profano quorundam conſilio *hoſtia*, Romanæ eccleſiæ ritu *conſecrata*; ne ſub ullo modo de fide voluntateq; Regis, accepto tàm auguſto pignore, dubitaret. Poſteà verò ruptis per ſummum ſcelus induciis (quod *inſtinctu Pontificis Romani* factum) ad arma, deductâ re, Murates *è ſinu prolatâ Chriſtianorum hoſtiâ, & erectis ad cœlum oculis*, in hujusmodi prorupit verba: *Chriſte, ſi Deus es, ut Chriſtiani tui de te perhibent, vindica perfidiam tuorum, qui te mihi dedêre pignori; nihilq; minus adeò religiosè ſanctam pacem per ſummum ſcelus violârunt.* Vide ſis *Leunclav. in Pandect. Turc. n. 116.* Fuit eidem bellum cum *Carramanno*, Ciliciæ Principe; ut ſcribit *Beſoldus*

in

in Syn. majore. Tanquam *Ciliciæ Principi* nomen fuerit *Carramannus.* Atqui *Carramannus* idem, quod *Ciliciæ Princeps.* Cilicia autem *Caramaniæ* nomen accepit à *Caramanâ Bego*, & Ciliciæ Principes omnes à Turcis *Caraman-Oglii* dicuntur. Hic verò Princeps, qui *Muratem II.* non ſemel laceſſivit, à Turcis ipſis *Ibrahim* dictus eſt; fuitq; filius Muhametis, Aladinis nepos, pronepos Muhametis, abnepos Machmutis, atnepos *Caramanis; qui provinciæ nomen dedit.* Sic igitur ex mente Turcarum loqui fas erat, *Ibrahim*, vel *Abraham Caramanus*, vel *Abraham Caramaniæ*, hoc eſt, Ciliciæ Princeps.

VII. SULTAN MUHAMET CHAN. II. Muratis F. ſuccedit A. C. 1451. Hic eſt, qui *Conſtantinopolin expugnavit*, & illius imperium cum *Trapezuntico* deſtruxit. Ad hæc *regna XII. ſupra 200. urbes* Chriſtianis eripuiſſe dicitur. Obiit A. C. 1481. d. 3. Maji. Imperator indubiè magnus, qui cognitionis illuſtrium virorum fœminarumq; cupidus, *hiſtorias ſibi verti in ſuum ſermonem juſſit Græcas Romanasq;*; *& ipſos viros depingi à Gentile Bellino*, eleganti pictore; quem ad hanc operam à *Venetis* exambierat. Captâ Conſtantinopoli cùm videret urbem cædibus exhauſtam, & pænè dirutam, novis incolis frequentem reddidit; *gymnaſia pro ſtudioſis literarum* ſtruxit, *Profeſſoribus* cibos, panes, alimenta, pecunias, & menſtrua ſalaria tribuit; *templum Sophiæ* Conſtantinopolitanum *inſtauravit*, & quâ ruinoſum erat, refecit; multas balineas & hoſpitalia pro *viatoribus* & *mercatoribus* erexit: Pauperibus, pupillis, viduis *eleemoſynas* diſtribuit.

ſtribuit. Ipſos *Chriſtianos* conventus ſuos inſtaurare juſſit, lectumq; ab iis *Patriarcham*, pedo ei paſtorali tradito palàm *confirmavit*. Vide *Lipſ. lib. I. Mon. & Exempl. Polit. c. 20. Hiſtor. Muſulm. lib. XV. p. 581. 582.* Crudeliorem tamen fatentur omnes, nec mirum, talem fuiſſe; qui ſævis progenitus, & inter ſævos educatus, ſævis etiam imperavit.

VIII. SULTAN BAJASIT CHAN. II. Muhametis II. F. à *prætorianis militibus* prælatus eſt fratri natu majori, *Zem*; quem Beſoldus *Zizimum* vocat: Nos *Turcicum* retinere malumus, quod *amorem* ſignificat. Multa *Venetis*, ut *Naupactum*, *Metonam*, *Dyrrachium*, ademit hic Imperator. Fuit eidem bellum cum *Iſmaële Sopho*. Ita noſtri paſſim nominant, & inter eos *Beſoldus*: In Orientalium libris *Schach Ismail Sofi*, & *Kiſul Baſſa*, hoc eſt, Perſarum Princeps. Pater ei *Scheich Haidar*, avus *Scheich Tzuneit*, hoc eſt, *Doctor Haidar*, & Doctor *Tzuneit*. Hic verò *Ismaël* cum poſteris victoriarum Turcicarum curſum non ſemel ſufflaminavit. Coactus Bajaſit II. abdicavit A. C. 1512.

IX. SULTAN SELIM CHAN Bajaſitis II. F. cruentis præliis cum *Iſmaële Sopho*, Perſarum Rege, conflixit: *Cappadociæ Regem* victum, capite mulctavit, & *Ægyptum* ſubegit; ut ſcribit *Beſoldus*. Sed ὑστερολογίαν hîc committit: Achmetes *Amaſianæ* provinciæ, ſive *Cappadociæ* antè interfectus eſt, quàm Perſas bello peteret. Præterea non decapitatus eſt Achmetes, ſed *more Turcico ſtrangulatus*. Vide *lib. XVII. Hiſt. Muſul. p. 636. & Annal. Turc, p. 61.* Fuit enim

ipſius

ipſius Selimis frater; nec fas acinace fundere Osmanicum ſanguinem. De *Perſicâ* & *Ægyptiacâ* Selimis expeditione legenda eadem *Hiſtoria Muſul. d. l.* Unum hîc noto, *Sultanos* Ægypti poſtremos, qui cum Selime bellum geſſerunt, in *Annalibus Turc.* appellari *Canſei, Gauri,* & *Tuman-Bai.* Hunc Beſoldus *Tomum Bejum* vocat. Alterum alii corruptiùs *Campſonem Gaureum.* Stetit *Ægyptiacum regnum*, quod & *Mamelucorum* dicitur, per annos circiter 300. Vide *Leunclav. in Pandect. n. 207.*

X. SULTAN SULEIMAN CHAN, Selimis F. patris thronum conſcendit A. C. 1520. *Belgradum* expugnavit A. C. 1521. *Rhodum* A. C. 1522. d. 22. Dec. *Ludovicum II.* Hungariæ & Bohemiæ Regem, apud *Mohaz* vicit; & *Budam* occupavit A. C. 1526. *Viennam Auſtriæ* obſedit; ſed irrito ſucceſſu, A. C. 1529. Contra *Perſas* expeditionem ſuſcepit A. C. 1535. ſed fame, frigore, & incurſibus hoſtium multa millia Turcarum perierunt. Moritur, dum *Sigetum* obſidet A. C. 1566. d. 4. Sept. natus annos 76; cùm imperâſſet annos 46, & 6. menſes. Formam & mores, qui cognovit, *Busbequius epiſt. I.* ita deſcribit: *Ætate jam eſt ingraveſcente, oris dignitate, totiusq; corporis habitu tantâ imperii majeſtate digno: Frugi & temperans ſemper habitus, etiam cùm per ætatem Turcarum inſtituto peccare citra reprehenſionem poſſet. Nam ne in adoleſcentiâ quidem aut vino ſe dedidit, aut fœdis puerorum amoribus indulſit; quæ ferè Turcarum deliciæ ſunt. Religionis ceremoniarumq; ſuarum cuſtos ſeveriſſimus; nec minùs illarum, quàm imperii propa-*

gandi

gandi cupidus. In numis expreſſum qui videre vult, adeat *Luckium p. 47. Stradam p. 367.*

XI. SULTAN SELIM CHAN. II. patris imperium ſuſcepit d. 23. Sept. A. C. 1566. *Cyprum* Venetis ademit; *Nicoſia* expugnata d. 10. Sept. A. C. 1570. & *Famaguſta* d. 5. Auguſt. anno 1572. Ingenti pugnâ navali victus eſt *Naupacti* d. 7. Oct. anno eodem cæſis 25000. captis 4000. liberatis Chriſtianis mancipiis 14000. Univerſa claſſis in Chriſtianorum poteſtatem venit, *exceptis* iis *triremibus*, cum quibus *Uluzalis*, Proſultanus Cæſeirenſis, fugit. Copiarum Chriſtianarum ſummus dux fuit *Johannes Auſtrius*, Caroli V. Aug. filius nothus. Moritur Selimes A. C. 1575.

XII. SULTAN MURAT CHAN. III. Selimis II. F. 27. annorum juvenis, imperium Turcicum auſpicatus eſt. Statim *quinque fratres* natu ſe minores *ſtrangulari juſſit*, quorum nomina ſunt: *Muſtapha, Suleiman, Abdulla, Osman, Tzihangir.* Muſtapham ducem contra *Perſas* miſit A. C. 1578. qui rem infeliciſſimè gerit. Suffectus biennio poſt *Sinam* Baſſa magnis & ipſe cladibus afficitur. Eadem Turcarum fortuna ſub aliis. Fuſè bellum deſcripſerunt *Johannes Thomas Minadous, & Petrus Bizarus.* Moritur hic *Padiſchachus* A. C. 1595.

XIII. SULTAN MUHAMET CHAN. III. Muratis III. F. ſucceſſit patri. Ejus effigiem in numo exhibet *Luckius p. 360.* Cum exercitu progreſſus in *Hungariam* ad *Agriam* cum noſtris conflixit. Perierunt è Turcis 50000, è noſtris 10000. *Victoria*

Turcis

Turcis ceſſit, ſupinâ noſtrorum negligentiâ. Moritur Muhametes A. C. 1604.

XIV. SULTAN ACHMET CHAN, Muhametis III. F. 14. annorum puer ſub *Ali* purpurato tutore relictus, imperium ſuſcepit: Cum noſtris aliquot annorum inducias fecit, ad bellum Perſicum converſus. Obiit A. C. 1617. Hic *fratri ſuo* novâ & inuſitatâ Turcis clementiâ *pepercit*: Nam hucusque *Padiſchachus* recens factus, omnes fratres interficere ſolitus; non tàm æmuli impatientiæ, quàm quòd ſuperſtitibus fratribus, militum prætorianorum laſci-
„ viæ obnoxius eſſet. Statim ubi precibus illorum
„ abnuebat, audire cogebatur: *Salvus frater ſit! Fra-*
„ *trem Deus nobis ſervet!* Sic; factum, ut plerique o-
„ mnes à parricidio imperium auſpicarentur.

XV. SULTAN MUSTAPHA CHAN, Muhametis III. F. Achmetis frater, ad imperium ex cuſtodiâ protractus, homo vecors & ſtolidus (ut deſcribit *Petavius*) auſterus, & tantæ moli impar; ut eſt apud *Cluverum p. 777. & in Turciâ*, quam *Elzevirii* dederunt; poſt duos vel tres menſes carceri rurſus mancipatur.

XVI. SULTAN OSMAN CHAN. II. Achmetis F. dejecto patruo, Turcicum in thronum evehitur; fervidiſſimi ingenii adoleſcens, pace cum Perſis factâ, cum *quadringentis millibus* irrupit in *Poloniam*; ſed cum magnâ clade rejicitur A. C. 1621. Ad *centum millia* Turcarum variis in præliis cæſa ſunt; *totidem* aliis caſibus extincta. Igitur deſperans Turca ulteriùs progredi, pacem offert æquis conditionibus;

quam

quam Poloni acceptant, velut divinitùs miſſum beneficium. Nam eodem tempore *Guſtaphus Adolphus*, Suecorum Rex, in *Livoniâ* magnos progreſſus fecerat. *Osman* cladium acceptarum culpam in milites *prætorianos* rejiciebat; quorum ſeditionibus aſſiduè vexatus erat. Igitur de exauctorandis cogitans, & imperii prætereà ſedem translaturus in *Syriam* & *Damaſcum*, pernicioſo Turcis in poſterum exemplo, imperii inſignibus exuitur; miſerandoq; *per Conſtantinopolin ſpectaculo in equo* ductus laqueo *ſtrangulatur*, d. 20. Maji. A. C. 1622. Sic imperium rurſus adeptus *Muſtapha*, ſed ut rurſus dejiceretur. Nam cùm ob diuturnũ carcerem mente non ſatis conſtaret, milites ejus reſtituti pœnitere cœpit. Igitur in priſtinam ſortem & *carcerem retruſus* eſt, menſe Sept. A. C. 1623. Hic *bello Bohemico* per ſummum nefas ſolicitatus à *Comite Turrenſi* (ut fama eſt) contra Ferdinandum II. Cæſarem, *Moraviam* diripuit.

XVII. SULTAN MURAT CHAN IV. Achmetis F. Osmanis frater, imperium Turcicum adeptus, *cum noſtris Imperatoribus pacem coluit*. Non niſi ad annum 1626. imperâſſe, & ſubſtitutum *Haſſonem Beglerum*, vult *Beſoldus in Synopſi majore*. Mihi de hoc nihil omninò compertum; & ſi quis hujus nominis factus eſt, ferè ſuſpicer per tumultum militarem ad imperium raptum ſtatim interiiſſe. Murates enim IV. adhuc rerum potiebatur A. C. 1632. ut teſtis eſt *Petavius*. Nec alium illi ſuffectum cognôrant Batavi, cùm A. C. 1630. Turcici imperii ſtatum *Elzevirianis typis* nobis darent, Imò in Manifeſto Turcico,

quod anno ſuperiore, 1645. vulgatum eſt, expreſſè teſtatur noſtræ ætatis *Padiſchachus*, ſe Murati ſucceſſiſſe. Verba ſunt: *Æterna memoria Sultanus Murat, Padiſchachus, anteceſſor & frater noſter dilectiſſimus, ſemper cogitavit de parvâ Chriſtianorum Melitenſium inſulâ debellandâ; & eorum claſſe, quæ nobis in mari noſtro tot damna hactenus intulit, prorſus delendâ. Sed dum in eo totus eſſet, fato conceſſit, eamq; curam nobis reliquit.* Igitur ex *ſcripto* quodam *emblematico*, quod ſub nomine *legati Gallici* vulgatum eſt, cum hactenus dictis collato, Muratem IV. mortuum ſtatuo A. C. 1640.

XVIII. SULTAN IBRAHIM CHAN, Achmetis F. Oſmanis & Muratis frater A. C. 1640. in Febr. Turcicum imperium capeſſit; ut docemur ex modo laudato *ſcripto legati Gallici*. Ubi & illud additum, ſoluto in laſciviam animo, *maſculam prolem* firmando imperio omnibus modis flagitantem *inter uxorculas* deliteſcere, Magno Vizirio & Beglerbegis omnia regentibus. Sed vereor, ne ſimilis ſit *Mecœnati*, de quo *Vellejus lib. II. c. 88.* perhibet: *Speculatum eſſe per ſummam quietem, ac diſſimulationem, præcipitantiam aliorum.* Quantum illuſtriſſimæ *Venetorum* reip. anno ſuperiore vulnus inflixerit, ereptâ *Caneâ* quæ veteribus *Cydon*, *Cydonia*, & *Cydonia* dicebatur) pauci ad animum revocant; boni recordantur cum gemitu & lachrymis.

CAPUT XVII.
De
IMPERATORIBUS FRANCICIS.

POpulus Romanus, *Caroli*, Francorum Regis, (de quo jam diximus) fortitudine multis ſeditionibus aliisq; calamitatibus explicitum ſe videns, ac propterea de futuris ſolicitus, hoc velut fulcrum rebus ſuis prudente conſilio ſubjecit; & dictum Principem, manu ac *benedictione Leonis Pontificis* uſus, *Auguſti* nomine & titulo conſecravit *ipſo natalis Dominici die* A. C. 800. Ita loquor. *Beſoldus* defectione ad Babylonicam meretricem totus alius " factus, tacere mavult in illius gratiam, quàm veri- " tatem loqui cum invidiâ, & rerum terreſtriũ damno. " *An ejusmodi translatio*, inquit, *Pontificis auctoritate, vel potiùs populi Romani ſcito fuerit facta, altiorem indaginem requirit; quàm ut hîc inſtitui queat.* Mox auctores diverſarum ſententiarum laudat, ut neſcias, quos ſequi te velit; niſi quòd *Baronios, Bellarminos, Gretzeros*, ultimo loco nominando, in ſequiorem opinionem pronior videri poſſit.

At quod nos diximus, probatu haud difficilè eſt. *Annales Francorum* veterrimi: *Carolus Auguſtus à Romanis appellatur.* Citat *Marq. Freherus not. in Lupoldum de Bebenburg c.12. Sigebertus Gemblacenſis* in Chronologia: *Romani, qui ab Imperatore Conſtantinopolitano, jam diu animo deſciverunt, nunc acceptâ occaſionis opportunitate, quia mulier excæcato Im-*

peratore Conſtantino ſuo filio eis imperabat, *uno omnium conſenſu* CAROLO *Regi imperatorias laudes acclamant*; *eumq; per manum Leonis Pontificis coronant*, *Cæſarem & Auguſtum appellant*. Pipinum *verò filium ejus* Regem Italiæ *ordinatum collaudant*. Gemina planè *Martinus Polonus*; addunt *Ado* & *Regino* ſequentia: *Perfectis laudibus à Pontifice*, *more Principum antiquiorum adoratus eſt*; *atque ablato Patricii nomine*, *Imperator & Auguſtus ſalutatus*. Acclamationis publicè factæ à populo Romano formula fuit talis: CAROLO AUGUSTO A DEO CORONATO MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORUM! Vide *Annales Rerum geſtarum à Carolo*, *ſcriptos à quodam ejus ætatis Aſtronomo*; *Othonem Friſingenſem lib.V. cap.31. Suffridum Presbyterum Epit. lib. I. Regionem* modò laudatum *in Chron. lib. II. Lupoldum Bebenburgium de Juribus regni & imper. Rom. cap. 1.* ubi *Freherus* notat, *in hâc acclamatione & laudatione tùm temporis apud Romanum & Conſtantinopolitanum populum electionem popularem conſtitiſſe.*

Hoc verò populus Romanus jure potuit ab antiquo: Quæ olim jure potuit facere populus Romanus, antequam Impp. Romani regnarent; idem faciendi jus habuit, ut quisq; Imperator mortuus erat, alio nondum exiſtente. Imò & *electio Imperatoris ad populum Romanum pertinebat*; & aliquoties à populo per ſe, aut per Senatum facta eſt. Quæ autem *à legionibus* modò his, modò illis fiebant *electiones*, non erant *rata* ex jure legionum (nam in vago nomine certum

jus

jus eſſe non poterat) ſed *ex approbatione populi*; quæ ſunt verba *Hugonis Grotii lib. II. de J. B. & P. c.9. §.11.* extra omnem dubitationis aleam poſita. *Lege regiâ* (inquit Imp. Juſtinianus J. de Jur. & Juſt. §. 8.) *populus Principi & in Principem omne imperium ſuum & poteſtatem conceſſit.* LEGIBUS. PLEBEIQUE. SCITIS. SCRIPTUM. FUIT, NE. DIVUS. AUGUSTUS. TIBERIUSQ. JULIUS. CÆSAR. AUG. TIBERIUSQ. CLAUDIUS. CÆSAR. AUG. GERMANICUS. TENERENTUR. LEGIBUS. *Inſcrip. I. Operis Gruter. p.242.* S. P. Q. *nomina obliterata* dicit *Tac. lib. I. Hiſtor. cap. 55. §. 2.* Sed aliud ejusdem *lib. II. Hiſt. cap. 32. §. 5.* ſcimus: *Italiam, & caput rerum urbem, Senatumq; & populum nunquam obſcura nomina; etſi aliquà obumbrarentur.* Sed plerumq; hîc ſufficiebat *per Senatum* agere.

Hinc ad eum judicium de imperio ſuo plerîq; detulerunt; qui legitimi Principis titulum non inſuper habebant. *Nero* apud *Tac. lib. XIII. Ann. c. 4. §.1.* auctoritate *Patrum*, & conſenſu *militum* ſeſe Imperatorem factum profitetur. Sic *Helv. Pertinax* apud *Capitolinum in Pertinace p.56.* ſuſcipere ſe imperium *à Senatu* dixit. *Gordianus apud Eundem* in epiſtola ad Senatum, poſt aſſumptam purpuram: *Veſtrum eſt æſtimare, quid velitis; nam ego usque ad Senatus judicium incertus & varius fluctuabo.* Item *Opilius Macrinus* in epiſtola ad eundem: *Milites ad me detulerunt imperium, cujus ego, P. C. interim tutelam recepi; tenebo regimen, ſi & vobis placuerit.* Similiter *Probus* in epiſtola ad eundem: *Quæſo, ut de meis meritis faciatis, quicquid juſſerit veſtra clementia.*

Non ſumus ignari, ludibria interveniſſe, & maximam partem per vim creatos, quàm voluntate populi & Senatus; ſed non propterea abolitum jus. Ipſe certè *nunquam dimiſit*, ſed etiam translatâ Imperatorum ſede retinuit ad ultima usque tempora; ut *Grotius* nos docet. *Roma ſi plerumq; humiliata, ſemper tamen Domina*; inquit *auctor vetus Alberto Argentinenſi* præfixus in MSS. codicibus, & publicatus ab *Urſtiſio p. 82.* Huc tendit illa vox Romæ, cùm leges ab *Henrico VII.* Imp. die coronationis ſuæ editas apud *Urſbergenſem* confirmaret: *Ego Coronarum Corona confirmo Principi poteſtatem; eiq; ſubjicio civitates, gentiúq; nationes; tueantur aquilæ gloriam meam.*

Igitur legitimus Romanorum Imp. Carolus, conſenſu Romanorum dictus. Et quamvis hic Carolo ſufficeret, tamen acceſſit etiam *transactio cum Conſtantinopolitanis Imperatoribus*; de qua *Aimoinus* hunc in modum: *Michaël Imperator factus legatos Imperatoris Caroli, qui ad Nicephorum miſſi fuerant. Conſtantinopoli ſuſcepit & abſolvit; cum quibus & legatos ſuos direxit, & per eos pacem à Nicephoro inceptam confirmavit. Nam Aquisgrani, ubi ad Imperatorem venerunt, ſcriptum pacti ab eo in Eccleſia ſuſcipientes, more ſuo, id eſt, Græcâ linguâ laudes ei dixerunt; & Imperatorem & βασιλέα eum appellantes. Et inde reverſi Romam, in baſilicâ S. Petri eundem pacti ſeu fœderis libellum à Leone Papâ denuò ſuſceperunt.* Eadem iisdem pænè verbis *Regino lib. II.* ut alios complures taceam.

Res Caroli Imp. geſtas non exequor ob cauſam

ſam, quam ſuprà dixi: Unum monendum eſt propter *Beſoldum*, qui ait ex *Eginhardo*, Carolum *creatum eſſe invitum & ægrè ferentem*. Addit *Eginhardus*, affirmâſſe Carolum in æde B. Petri, cùm corona ipſi imponeretur, *ſe quamvis præcipua ſolennitas eſſet, ædem ſacram non intraturum fuiſſe; ſi conſilium hoc præſcire potuiſſet*. Sed nemo non videt, ineptam Scriptoris adulationem. Ipſe *Carolus Hadriano* Pontifici ſatis antea animum ſuum literis patefecerat: *Carolus Dei gratiâ Rex Francorum & Patricius Romanorum. Si Eccleſiarum Dei ſervis munificentiam noſtram impertimus, eorumq́ ſtudiis libenter obſequimur; id nobis ad Auguſtalis excellentiæ culmen proficere credimus: Et quod cunctis precioſius eſt dignitatibus, æternum retributionis præmium capeſcere non diffidimus.*

Obiit d. 5. Cal. Febr. A. C. 814. ætatis 71. regni 47. imperii 14. Quem more Hiſtoricorum hoc elogio funebri *Brunner. lib. IV. Ann. p. 59.* celebrat: *Vir ævo ſuo parùm laudatus, etiam cùm Magnus diceretur: Maximis virtutibus par ingenium præconiumq́ non recepit. Res ab illo geſtæ, tantum abeſt, ut narrando creverint; ut earum potiùs fulgorem obſcuri Scriptores ſuffocârint. Germania ne hodiè quidem illi operæ pretium retulerit, cujus ruditatem & infantiam primus ipſe abſterſit, literis introductis arteq́ Grammaticâ patrii ſermonis inchoatâ: Menſibus & ventis primus nomina dedit antehac noſtris ignorata; veterum Heroum facta carminibus decantari memoriæ fide ſolita (quod majoribus noſtris unicum annalium genus) literis conſignavit; tantò dignior, cui vicem poſteritas*

rependeret. Sed *Puteanus in Hiſtor. Inſubr. pag. 216.* parentavit hunc in modum: *Vir fortior, an felicior, dubites; dignus, qui Magni cognomen accepit, pugnando ſtrenuus, vincendo clemens, regendo pacificus. Armis conſiliisq́; rem Chriſtianam conſtituit, & parem pace laudem promeritus, literas doctrinamq́; jam exoletam Chriſtianis reddidit. Ergò quòd adhuc Latini ſumus, quòd barbariam exuimus, Carolo debemus.*

II. LUDOVICUS, Caroli M. ex *Hildegardi Suevâ* F. cognomento *Pius*, ex *Aquitaniæ Rege* in collegium imperii aſſumptus, à patre paulò pòſt defuncto ſucceſſit; cum *Leone*, Imperatore Byzantino, fœdus & amicitiam renovavit; ut eſt in *Annal. Rerum geſtarum à Ludovico*, ſcriptis illo ipſo ævo. In eum primùm inſurrexit *Bernhardus*, *Rex Italiæ & Bojariæ*, Pipini patris filius; ſed oppreſſus & *exoculatus* moritur. *Leo Oſtienſis, Theganus, Chorepiſcopus Trevirenſis, de Reb. geſt. Ludovici, & Annal. Franc.* Hoc Bernhardo *Pipinum* genitum, Pipino *Bernhardum* Comitem in Langenfeld/ Bernhardo *Arnulphum* Comitem in Lengenfeld/ Arnulpho *Luitpaldum*, Luitpaldo *Arnulphum*; & ab hoc oriundos hodiernos *Electores Palatinos, Duces Bavariæ, & Comites* à Leonſtein & Werthheim/ tradunt *Auguſtinus Köllner, Marcus Wagner, Henninges, Joh. Jacobus Fugger, Chriſtoph. Gevvoldus*, & alii. Sed meritò huic ſecuritati *Brunnerus* iraſcitur *lib. VI. Annal. p. 71.* quòd maximam rem ſolâ auctoritatis ſuæ ſubſtructione fulciſſe ſatis habuerit; cùm, ſi unquam aliàs, tabulis ac teſtibus agendum fuiſſet. Incidit *Bernhardi mors* in A. C. 818. d. 15. Cal. Maji,

Maji, ut apparet ex inſcriptione *monumenti*, quod in *templo S. Ambroſii Mediolani* conſpicitur.

Inſurrexerunt poſthæc & filii: *Pipinius*, Aquitaniæ Rex, cum multis illuſtribus conſpirans, patrem comprehendit; ejus uxorem alteram *Welfi*, Comitis filiam, quam Hermingarde mortuâ duxerat, in cœnobium incluſit; probante Lothario A. C. 830. Sed Germanorum operâ imperium recepit anno ſequente. Filii minimè contenti uno ſcelere, rebellant iterum A. C. 834. & patrem abdicare cogunt. Scenam omnem atrociæ filialis repræſentant *Annales Francici*, à *Pithœo* editi, & *Theganus*. Reſtitutus eſt tamen pater in integrum A. C. 834. Obiitq;, cùm Ludovicus F. bellum denuò pararet, a. d. 12. Cal. Jun. Anno 840. vitæ 64. imperii 27. Vitæ finem proſequitur *Puteanus p. 224.* hoc elogio: *Majorem hunc poſteritas Regem diceret, ſi tàm felix pater, quàm Pius Princeps fuiſſet. Obſtiterunt filii, velut ad ſeditiones nati; non paſſi ad plenam gloriam optimum clementiſſimumq́, virum conſeneſcere.* Item *Brunnerus lib. VI. p. 104.* ſcitè: *Ipſo uſu doctus, idemq́, alios docturus, mortales plerumq́, votis ſuis plecti; quæ cùm Deo propè extorſerint, ſerò intelligant, pro ſuis ſe ſuppliciis ſupplicâſſe. Regna, imperia, numeroſam ſobolem Ludovicus habuit; & tamen fatendum eſt, felicem futurum fuiſſe, ni tàm felix fuiſſet.*

III. LOTHARIUS, Ludovico Pio & Hermingarde natus, ſuccedit patri; & cùm omnia trahere vellet ad ſe, fratres magis magisq; concitavit, jam ad bellum pronos; & de iniquo patris judicio conque-

rentes. Nam *Lothario* regnum *Italiæ* & *Galliæ*, *imperiiq́*, *titulum* ceſſerat; *Ludovico* & *Carolo*, *Aquitaniæ* & *Bojariæ*, ut ipſi appellabant, *anguſtias*. Fuſè hæc exequitur *Nithardus*, Caroli M. è Bertha N. in *libris de diſſenſionibus filiorum Ludovici Pii*. Armis infeſtis concurrerunt a. d. 7. Cal. Jul. A. C. 841. ad *Fontinatam villam*; & pænè ad exitium gentis Francicæ pugnatum eſt: Nam poſt hanc pugnam ſi quis hoſtium occaſione voluiſſet uti, & Galliam invadere; facilè potitus eſſet universâ. Neq; ſanè deinceps de proferendis imperii finibus cogitatum, cùm etiam de *Parthis* tutandis deſperaretur. *Putean. lib. IV. p. 231. Brunner. lib. VI. p. 113.* Victus Lotharius, collecto exercitu, rurſus experiri fortunam ſtatuit, ſed repreſſus eſt; coactusq; fugam capeſſere, cum paucis *ad Rhodani ripam* conſedit. Tùm demum Lotharius paciſci potuit. Ipſi præter Romanum imperium, id eſt, *Romam* & *Italiam*, *Belgica* ceſſit; quæ ab eo *Lotharingiæ* nomen accepit, ut inquit *Sigebertus*; nec non *Provincia*, ſive *Burgundia*: Ludovico *Germania omnia usque ad Rhenum*, *ultraq́*, hunc civitates tres, *vini* gratiâ, *Moguntia*, *Spira*, *Wormatia*: Carolus Occidentalem ſortitus eſt *Franciam* à *Moſa* flumine ad *Britannicum* Oceanum. Idem *Sigebertus*, *Aimoinus*, & alii. Obiit Lotharius, cùm imperio & regno ſe abdicâſſet, & in *cœnobio Prumienſi* monachus eſſet, A. C. 855. d. 3. Cal. Octobr.

Hujus temporibus JOHANNEM VIII. fœminam ad clavum navis Petrinæ ſediſſe, & *ex Cardinali* quodam *gravidam*, dum ad Lateranenſem baſili-

baſilicam proficiſcitur, inter *theatrum*, quod *Coloſſum* nominant à Neronis Coloſſo, & *Sanctum Clementem*, peperiſſe, complures referunt. Antiquiſſimus eſt *Ranolphus Flaviacenſis*, ordinis Benedictini monachus *lib. V. Polychronici c. 32.* Ex quo conſtat, hiſtoriam *ob deformitatem* à Scriptoribus proximis omiſſam. Ipſe autem *vixit 70. annis poſt ipſa tempora, quibus res contigiſſe dicitur.* Unde *Beſoldi* negativa, haud firmâ baſi ſuſtinetur, cùm ait ex Calviſio, *fabulam eſſe, cujus auctor primus videatur Marianus Scotus.* Nam hic *Ranolpho 160. annis poſterior*, mortuus eſt A. C. 1086. *Marianum Scotum* excepit *Sigebertus, monachus Gemblacenſis*, natione Gallus, qui vixit A. C. 1110. & *Richardus, monachus Cluniacenſis.* Poſt hos, qui traderet idem, repertus eſt *Martinus Polonus*; tùm magnus Scriptorum numerus Papiſſæ hujus meminiſſe cœpit. *Joh. Bocatius, Franciſcus Petrarcha, Antonius Archiepiſcopus, Otto Friſingenſis, Wilhelmus Occam, Raphaël Volaterranus, Laonicus Chalcondylas, Platina, Sabellicus, Jacobus Philippus Bergomenſis, Baptiſta Mantuanus, Matthæus Palmerius, Stella, Nauclerus, Agrippa, Crantzius, Rolefingus, Carthuſianus, Cœlius Rhodiginus, Johannes Lucidus, Chriſtianus Maſſæus, Caſparus Urſinus, Liber Romanarum indulgentiarũ Romæ editus A. C. 1515.* quos obſervavit *Matthias Bernegg. in demolitione idoli Lauretani p. 50.* Idem novimus carmine traditum à *Johanne Pannonio, Johan. Vitali Panormitano, Angelo Mattheacio de ritu & ratione juris univerſi lib. I. c. 37. edito Venetiis. A. C. 1591.* & aliis Scriptoribus *Pontificiæ religionis.*

gionis. Contra hos omnes negativam amplectitur *Beſoldus*; cui fortaſſe ſubſcribam alio tempore.

IV. LUDOVICUS II. Lotharii F. Ludovici Pii N. iniit A. C. 855. Hujus legatis neglectis, *Adrianus II.* Papa fuit electus; ut *Beſoldus* refert. Sed hoc eſt *proprium dedecus narrare:* Nam absque Imperatoris auctoritate Pontificem creare, perduellium erat; nec Pontifex illo tempore legitimus, niſi quem Imperator confirmâſſet. Vide *Hieronymum Balbum in lib. de Coronatione p.130.* Mortuus eſt *Ludovicus A.C.875.* circa Cal. Aug. ornatusq; ibidem hoc epitaphio:

D. P. N.

Hîc cubat æterni Ludovicus *Cæſar honoris,*
æquiparat cujus nulla Thalia decus.
Nam ne prima dies regno ſolioq; vacaret,
Heſperiæ genito ſceptra reliquit avus.
Quam ſic pacifico, ſic forti pectore rexit,
ut pueri brevitas vinceret acta ſenum.
Ingenium mirerne, fidem cultusve ſacrorum,
ambigo; virtutes, ac pietatis opus?
Hîc ubi firma virum mundo produxerat ætas,
imperii nomen ſubdita Roma dedit:
Et Saracenorum *crebras perpeſſa ſecures*
libera tranquillam vexit, ut antè, togam.
Cæſar erat cœlo, populus non Cæſare dignus;
compoſuêre brevi ſtamina fata dies.
Nunc obitum luges, infelix Roma, patroni,
omne ſimul Latium, Gallia tota dehinc.
Parcite: Nam vivus meruit hæc præmia, gaudet
Spiritus in cœlis, corporis extat honos.

V. CA-

V. CAROLUS II. cognomento CALVUS, Ludovici Pii F. Caroli M. N. Ludovici auditâ morte, Romam advolans, ibidem Auguſtus coronatus eſt; ipſo *natalis dominicæ* die A. C. 875. *Auctor anonymus* illius ævi: *Omnem Senatum populi Romani more Jugurthino corrupit, ſibi aſſociavit; ita ut Johannes Papa votis ejus annuens, coronâ capiti ejus impoſitâ, eum Imperatorem & Auguſtum appellari præceperit.* Sic illegitimo modo ad imperium pervenit; quod etiam *Baronio* ſubſcribens in Synopſi majore ſentire videtur *Beſoldus*, & *Brunner. lib. VI. p. 210.* Sed his *Acta coronationis à Petro Pithæo edita*, prorſus adverſa, poſt eximias laudes hujus Caroli, depromunt iſta: *Non hic perpetuus Auguſtus ad tanta faſtigia ſe, velut improbus, intulit; non tanquam importunus fraude aliquâ, vel pravâ machinatione, aut inhianti ambitione ad imperialem apicem adſpiravit. Abſit: Neq; honorem præſumtuosè aſſumſit, ut Imp. fieret; ſed tanquam deſideratus & optatus, poſtulatus à nobis, & à Deo vocatus, & honorificatus ad defendendam religionem, & Chriſti utiq; ſervos tuendos, humiliter atque obedienter acceſſit; operaturus, & roboraturus in imperio ſummam pacem, & tranquillitatem; & in Eccleſia Dei juſtitiam, & exaltationem. Niſi enim talem ejus cognoviſſemus intentionem, nunquam animus noſter fieret tam promtus ad ipſius promotionem.* Diem clauſit in Italia prid. Non. Octobr. A. C. 877. à *Sedechia Medico Judæo venenatâ potione peremtus*, in loco, quem *Brios* vocant. Ei *Erycius Puteanus comm. in lib. IV. Hiſt. Inſubr. p. 248.* ſic parentat: *Fuit Princeps propenſo in literas animo, ad*

quem,

quem, quicquid eruditionis illo ſeculo fuit, tanquam ad Mecœnatem confluxit.

VI. LUDOVICUS III. BALBUS, Caroli Calvi F. imperii inſignia ſuſcepit 7. Idus Sept. A. C. 878. ut volunt ex *Aimoini lib. V. c. 37.* Scriptores quidam, quos *Beſoldus* ſequitur. Sed falſos illos eſſe, docet *Petavius part. I. Rat. Temp. lib. VIII. c. 9. p. 527.* Nimirum *regia* tantùm *corona*, *non imperatoria* illi impoſita à *Johanne Pontifice*: Volebat quidem etiam Imperatorem coronare, ſed ob id à Romanis urbe coactus eſt excedere; ut *Sigebertus ad A. C. 878.* prodidit. Ergò *quintus* potiùs *Imperator* eſt.

CAROLUS III. CRASSUS, Ludovici, Germaniæ Regis, F. Ludovici Pii N. qui imperium adeptus eſt A. C. 878. ipſis *natalitiis Chriſti* Domini feriis, *Ludovico* fratre exſtincto, *Lotharingia* & *Bojariæ regno auctus*; & Ludovici Balbi filiis, *Ludovico* & *Carolomanno* fato functis, à Proceribus regni *Galliæ* vocatus, fortunæ benignioris pullus haberi potuit. Cum *Nortmannis*, qui Galliam magnis cladibus attriverant, paciſci, quàm armis experiri maluit. *Sigefrido Giſelam*, Lotharii patruelis filiam, deſpondens, in dotem *Friſiam* conſignavit. Cùm rurſus tamen turbarent barbari, & *Rollone* duce *Neuſtriam* invaderent; Carolus pactus iterum *Neuſtriæ partem*, quæ ab *Epta* flumine ad *Britones* extenſa eſt, hoſtibus tradidit. Pax ea videtur facta menſe Martio A. C. 887. Iiſdem temporibus *Saraceni*, factâ in *Italiam* irruptione, omnia lacerârunt, monaſteria deſtruxerunt, monachos decapitârunt. Paulò pòſt Carolus *ex morbo*, qui gravior aliquis

quis capitis affectus fuit, *ſtupidus amensq́*, & amiſſo rationis uſu, rebus gerendis inutilis tandem factus eſt. Vide *Regionem*, *Annales Fuldenſes & Fragmentum Hiſt. Aquitanicæ, à Pithœo editum.* Hinc Italis MALFERITO, id eſt, *vehementer tactus*, graviter afflictus dicebatur. *Italicum* Latinâ formatione parùm dextrè incruſtantes alii, *malè feriatum* appellârunt; cujus ſignificationis apud veteres Latinos nunquam fuit: Nam *Horatius*, qui *lib. IV. Carm. od. 6.* Troas *malè feriatos* vocat, aliter explicandus eſt; ſed ut omnis conſuetudo tyranna eſt, uſus hujus vocabuli pejor à plerisque eruditis ita receptus eſt, ut quemcunq; hominem *ineptum*, *inſubidum*, *ſtolidum*, *improbum* appellare volunt, *malè feriatum* dicunt. Legendus *Reineſ. lib. I. Var. Lect. c. 4.* Ex hâc autem cauſâ Carolus imperio & regno excidit, cùm A. C. 887. menſe Novembri comitia vel Triburias vel Francofurtum indixiſſet. Primi obſequium exuerunt *Franci*, *Saxones*, *Thuringi*, *Boji*, & *Alemanni*. Vide *Brunner. lib. VII. p. 271. 272.* ubi fuſiùs exſequitur id, quod Beſoldus dicit; *eò neceſſitatis appulſum Carolum, ut ſtipem flagitaret.* Ad eam rem *Eryc. Puteanus comm. in lib. V. Hiſt. Inſubr. p. 287.* ſic exclamat: *O rerum humanarum ſcenam! jacet ecce ad egeſtatem dejectus & gemens, qui ſummus fuerat; ac totam Caroli M. potentiam ſibi vindicârat. Monarcham vides, ac mox mendicum: Ne mirum ſit, à ſceptro ad ferulam detruſum aliquando Dionyſium fuiſſe, quem fruſtrà tyrannum appellamus. Quàm felix, tàm infelix Craſſus fuit, in quo fortuna oſtendit, quantum poſſit; ac Carolinæ ſtirpis imperiiq́ fata memo-*

memorando exemplo complevit. Quæ poſtrema *Brunnerus* non minùs eleganter reddit: *Credi poterat, duas ipſum inter ſe fortunas partitas; ut qui paulò antè inter felices feliciſſimus, idem inter miſeros miſerrimus diceretur.* Obiit in calamitate, & ſepultus in *Augia*, inſula Rheni *prope Conſtantiam.* Epitaphium ejus inſtauravit *Chriſtophorus, Epiſcopus Conſtantinenſis*, quod tale eſt: CAROLUS CRASSUS, REX SUEVIÆ, PRONEPOS CAROLI MAGNI, ITALIAM POTENTER INTRAVIT, ATQUE DEVICIT; IMPERIUMQUE ROMANORUM, UBI CÆSAR CORONATUS, OBTINUIT; AC MORTUO FRATRE LUDOVICO UNIVERSAM GERMANIAM ET GALLIAM JURE HEREDITARIO ACQUISIVIT, DEMUM ANIMO, MENTE, ET CORPORE DEFICIENS, AB IMPERIO SANE MAGNO CUM FORTUNÆ LUDIBRIO DEJECTUS, A SUIS OMNIBUS POSTPOSITUS, HUMILI HOC IN LOCO SEPULTUS JACET. OBIIT ANNO DOMINI D. CCC. LXXXVIII. IDI. JAN. *Fuit alioquin* (quæ *Regionis* verba ſunt) *Chriſtianiſſimus Princeps, Deum timens, & mandata ejus ex toto corde cuſtodiens; in eleemoſynis largus, orationi & pſalmorum melodiis indeſinenter deditus.*

VII. ARNULPHUS NOTHUS, Carolomanni, Regis Italiæ F. Ludovici Regis Germaniæ N. Ludovici Pii Imperatoris pronepos, Carolo Craſſo ſucceſſor datus, prope *Tiliam* amnem *Sigefridum* & *Gode-*

Godefridum cum 100000. *Nortmannorum*, uno duntaxat è ſuis amiſſo delevit. Legendus *Lipſius in Lovanio, Brunnerus. lib. VII. p. 293.* Sed ſub hoc ipſo Imperatore *Ungarorum nomen primùm auditum eſt*, qui *ultra Danubium* à Carolo M. ſubmoti, *vallo* etiam circumjecto *incluſi*, ſuperatis clauſtris crudeliſſimis per longum tempus factis, *Germaniam* funeſtârunt. Quinimò quisque Procerum rapuit, quod voluit: *Berengarius*, Ennarhardi, Forojulienſis Ducis F. *Italiam*, *Vido*, Lamberdi, Spoletinorum Ducis F. *Galliam*; ſed ille feliciùs. *Vido Othonis* (Ruperto geniti) viribus *Galliâ* excluſus eſt; ut ſcribunt *Regino*, & *Sigebertus*. Hinc converſus in ſocium *Berengarium*, cum Italiæ pernicie bellum civile geſſit. Victus Berengarius *duabus pugnis* fugit: *Vido* non contentus *Italiæ Regis* titulo, etiam *Imperatorem* ſe appellari voluit. Creatus eſt à *Stephano* Pontifice, quod *Onuphrio* aliisq; placet; ſed alii ad *Formoſum* referunt, quorum ſententiam *Beſoldus* ſequitur. *Berengarium* paulò pòſt *Arnulphus* Imperator vi reducit; fugatusq; *Vido* apud *Tarum* fluvium in agro Placentino *ſanguinis vomitu* extinguitur. Tùm *Lamberdus*, ejus F. validâ Italorum factione impulſus, regnum armis repetit, non auſo Berengario experiri prælii eventum. Sic revocatus in Italiam *Arnulphus Romam*, ad cujus præſidium Lamberdus *matrem* reliquerat, obſidet; & miro caſu, ludente in ſerio negotio fortuna, cepit. *Lepuſculum* militaris tumultus ſuo latibulo extraxerat, quem pavido *curſu verſus urbem fugientem* coorti ex ſuis ſtationibus magno numero milites ſunt ſecuti;

cùmq; ſtudio ignobilis prædæ longiùs proveherentur *Romani*, qui muros occupaverant, univerſis *ſe copiis peti rati* (quod nihilo plus animi iis, quàm ominoſo lepori eſſet) ejus exemplum imitati, quoquo verſus dilapſi ſunt. *Germani* nuda defenſore mœnia conſpicati, occaſione tàm bella uſi, congeſtis ſarcinis per extemporalem aggerem evadunt in muros, &urbe potiuntur. Ita terrarum Dominam, & divinos honores quondam uſurpantem, Deus Optimus Maximus per jocum capiendam dedit. Refert è *Luitbrandi lib. I. c. 8*, & *Sigeberti Chronographia lib. VII. Brunner. p. 316*. Captâ urbe Arnulphus à Romanis *Auguſtus* ceremoniâ ſolenni appellatus eſt. Ibidem obiit *articulari morbo*; ſeu, ut alii ſcribunt, *pediculari*, menſe Dec. A. C. 899. *Veneno bis petitus* eſt, ſemel inſidiis *Ageldrudæ*, Vidonis uxoris; iterum à *Germano*, idq; mortem acceleravit. Sepultus eſt *Ratisbonæ*, *in D. Emmerani monaſterio*; quod præ reliquis colendum ornandumq; ſibi ſumſerat.

LUDOVICUM, Arnulphi filium, inter *Imperatores* recenſet cum aliis Beſoldus; ſed ſaltem *Germaniæ Rex* fuit: Imperatoris coronam, id eſt, titulum non habuit; ut ex *Regionis lib. II.* conſtat, quem *perperam* Beſoldus citat, *tanquam Imperatorem* renunciatum dixiſſet. *Regem* etiam tantùm vocant *Hermannus Contractus*, *Lambertus Schafnaburgenſis*, *Marianus Scotus*, *Godefridus Viterbienſis*, & alii. Unus *Siffridus* in inſcriptione capitis, quo de iſto agit, *Imperatorem* dixit. Cum *Ungaris* gravia bella geſſit, quæ fuſè deſcribit *Brunner. lib. VII.* Obiit A. C. 911. in ipſo adole-

adoleſcentiæ flore, nullâ ſobole relictâ. Atque *ita Carolorum poſteritas in Germania defecit*, ut ait *Otho Friſingenſis lib. VI. c. 15.* *Wilhelmus Langius*, qui *duarum filiarum* patrem facit, *Placidiæ* & *Mathildis*, quæ *Conrado* & *Henrico Regibus* poſteà nupſerint, fidem non meretur; ut cenſet idem *Brunner. d. l. p. 371.* Cæterùm illius temporibus *Ludovicus*, Boſonis (de quo *Puteanus comm. in lib. V. Hiſt. Inſubr. p. 272.*) & Irmengardis, Ludovico II. genitæ, filius *contra Berengarium* in Italia regnans, à *Benedicto* Pontifice parùm legitimo, imperii inſignia accepit. *Marianus Scotus*, *Godefredus Viterbienſis part. XVII. Otho Friſingenſ. lib. VI. c. 15.* Miſer Imperator, dum fugato Berengario incautiùs agit, rurſus proditus & *excæcatus* eſt, ut ſcribit *Luitbrandus lib. II. c. 11.* Addunt Annales noſtri, etiam *libidinis inſtrumenta adempta* fuiſſe; ne filii fortaſſè vindictam regnumq; molirentur.

CAPUT XVIII. & ultimum de IMPERATORIBUS GERMANICIS.

CAroli nomine cum Ludovico in Germania ſepultô, regni Germanici Proceres in OTHONEM, Ludolphi filium, Brunonis nepotem, Bigberti pronepotem, Witichindi M. abnepotem, pace belloq; egregium, *Saxonum*

Principem converſi, eum ad ſuſcipiendas regni habenas vocârunt; qui ad regni pondus vires ſuas expendens, atque ita tandem concludens, *cano capiti coronam imponere*, hominis eſſe ſenio ſuo illudentis, Procerum petitionem *abruptè refutavit*. Rogatus deinde ſententiam, quem eo faſtigio digniſſimum cenſeret, CONRADUM FRANCUM, Conradi, ab Adelwerdo interfecti, filium nominavit. *Otho Friſingenſis lib. VI. c. 5. & 15. Siffridus in Chronico*; & quos *Brunnerus* citat *lib. VII. p. 373. Witichindus lib. I. Ditmarus lib. I.* Igitur Germaniæ regnum iniit CONRADUS A.C. 912. cui non niſi ſeptem anni tribuuntur. Mortuus eſt enim a. d. 10. Cal. Jun. A. C. 918. ut eſt apud *Martianum Scotum*, & *Trithemium in Chronico Hirſchaugienſi* a.d. 14. Cal. Nov. ut *Brunner. d. l. p. 388.* Morti proximus exemplum edidit ingentis animi, etiam raritate ſuâ commendabile, quando nullâ *Eberhardi fratris*, aut certè *Franciæ gentis* ratione habitâ, imperium transferri *ad Saxones* non modò paſſus eſt; ſed auctor ipſe factus, id graviſſimis verbis, & quantâ potuit animi contentione, velut ultimum mortalium votorum, cui refragari nefas eſſet, poſtulavit; quod ipſius conſilium tantò majorem habuit admirationem, quantò notiores omnibus erant *inimicitiæ*, quæ illi cum *Henrico*, quem ſibi *ſucceſſorem* deſtinabat, interceſſerant. *Brunner. d. l.*

HENRICUS I. Othonis F. Ludolphi N. ab *aucupii* ſtudio, quo delectabatur, *Auceps* cognominatus, ipſius Conradi ſuffragio, regnum ſuſcepit. Contra hunc res novas moliti ſunt *Arnulphus*, Luitpaldi ab Hunga-

Hungaris cæſi, F. Bojariæ Princeps, & *Burchardus*, Sueviæ dux; quorum alterum oratione modeſtiſſimâ ad pacem flexit (extat prolixior apud *Brunner. lib. VII. p. 393. & ſeqq.* brevior apud *Cluverum in Epitoma p. 467.*) alterum ita tenuit, ut ſe ſuaq; omnia ipſi promitteret. Poſthæc *bellum Hungaricum* ſuſcepit, confecitq; magnâ virtute, ſuperatis hoſtibus in *duabus* memorabilibus pugnis; quarum *prima* incidit in A. C. 922. *ſecunda* in A. C. 934. Tùm *Hungaris Germania tributum* pendere *deſiit*. Obiit a. d. 5. Non. Jul. A. C. 936. cùm de itinere & inauguratione Romana cogitaret. *Petav. Ration. Temp. part. I. lib. VIII. c. 14. p. 546.* Maximi Principis occaſum etiam *ſol* lugere creditus eſt, quando repentè *ſereno cœlo hebeſcens, cruentos radios vibravit; mons* etiam, juxta quem conditus eſt, *flammas multis in locis vomuit* æquè triſti portento. *Brunner. d. l. p. 430.* Scripſit *Beſoldus* in *Synopſi minore*, multis peractis bellis Romam veniſſe, concilium habuiſſe, eiq; præfuiſſe; & *Johanni XII.* propter crimina remoto, *Leonem* ejus nominis *VIII.* ſuffeciſſe. Quæ de Othone M. hujus filio vera ſunt. Igitur moneo, caveas hîc *inadvertentiæ Beſoldianæ ſcopulum*.

OTHO Henrici I. F. à patre ſucceſſor nominatus, inſigni pompâ *Rex* Germaniæ *Aquisgrani* ſalutatus eſt; ſummis utriusque ordinis viris præſentibus. Verax civilium externorumq; bellorum regnum ipſi fuit; quæ cùm pari felicitate confeciſſet, non immeritò fortiſſimis ducibus annumeratus, *Magni cognomentum* tulit. *Brunn. d. l. p. 430. 431.*

Tanquardum, fratrem rebellem, *Thuringiæ Comitem*, prælio victum interemit; *Bohemos* 14. annorum bello perdomuit; *Arnulphum*, Bojariæ, & *Hermannum* Sueviæ ducem ad *Andernacum* profligavit; *Giſibertum* Lotharingum in *Rheno* ſubmerſit; *Ludolphi filium* cum conjuratis *Conrado Lotharingo*. & *Friderico Antiſtite Moguntino* absq; prælio fugavit; *Hungaros* ad *Lycum* amnem internecione delevit. *Ludovicum*, Francorum Occidentalium Regem, *Alſatiâ* repulit; *Lotharingiam* Germani regni corpori adjecit, *Haraldum*, Daniæ Regem, *fidem Chriſtianorum* ſuſcipere, ſeq; *Germanico jugo* ſubmittere coëgit; in Italia *Berengarium*, Berengarii (de quo diximus) nepotem, ad deditionem faciendam compulit. Hæc *omnia* geſſit etiamnum *Germaniæ Rex*. Nam huc usq; *non Imperatoris* Romani, *ſed Regis Germaniæ* titulum tulit; quem etiam *Henricus I.* ejus pater, & *Conradus* uſurpaverat. Utcunq; cum trivialibus auctoribus Beſoldus *Imperatorem* & *Cæſarem* appellat; & ſcio etiam à *Mariano Scoto* inter *Romanos Principes* referri; ſed cauſam aperit *Onuphrius*, quòd in eorum ſucceſſoribus imperii dignitas reſtituta fuiſſet. Aliam affert *Lupoldus de Bebenburg in libro de Juribus regni & imperii Romani*, quòd translatum in *Carolum Germanum*, imperium *Germanorum* nunquam eſſe deſierit. Aliam *Beſoldus in Synopſi majore*, quòd Germani *Saxones* & *Francones Orientales*, mortuo *Ludovico*, Arnulphi F. axioma imperii affectârint. Sed *Petavius* in eos Scriptores inclinat, qui *Conradum* & *Henricum Aucupem* in numerum *Imperatorum* recipiendos *negant*; quòd à Roma-

Romano Pontifice uncti coronatiq; non fuerint. Hanc rationem nunquam admiſerim, & *Lupoldum* "potius ſequar, qui Imperatorem *legitimum* eſſe pro-" bat, etſi *à Pontifice* coronam *non acceperit.* Ipſe "Pontifex niſi ab Imperatore probatus, legitimus "non eſt; ſed Imperator legitimus eſt, etſi à Pontifi-" ce non-approbatus. *Durum verbum hodiernis Pon-*" *tificiorum auribus, ſed verum!* Nihilominùs & ipſe " *Reges Germaniæ* hucusque nominavi, *non Imperatores*; ſecutus *Luitprandum, Hermannum Contractum, Reginonem, Lambertum Schafnaburgenſem, Sigebertum*, & alios. Ipſi in *numis* non niſi *Reges* ſeſe vocant; in *Conradi* enim ſcriptum eſt apud *Octav. Strad. p. 388:* BENEDICTUM SIT NOMEN DOMINI, CONRAD. REX. Sed *Imperatoriam*, id eſt, ſummam humani faſtigii dignitatem, à Caroli poſteritate deperditam, & errore hactenus velut circumactam, *Germanis* in perpetuum *recuperavit Otho M.* qui cùm *Italiam* à Tyrannis felicibus armis vindicâſſet, *Auguſtale diadema Romæ* accepit A. C. 962. Novam inaugurationem hac acclamatione proſequitur *Puteanus* exultabundus: *Exurgite inclutâ fide* (Germani) *invicta robore pectora, ſtate Occidentis valida fulcra: Suſtinebitis Europæ gloriam, & quantum ferre gens nulla potuit, veſtris in humeris conquieſcet. Veſtrum eſt, quicquid* Cæſar, *quicquid* Auguſtus *fuit; veſtræ victrices aquilæ, & quicquid geſsêre felicius Romani, quàm rexêre. Miteſcent barbari, ceſſabunt irruptiones; felicem Italiam Germania faciet: Felicem Germaniam tot Cæſares, tot Auguſti, regendo & pacando orbi*

divinitùs deſtinati. Cæterùm hujus inaugurationis ea vis fuit, primùm, ut *penes Germanos ſolos* in poſterum creandi Principis jus eſſet. Teutonici Proceres apud *Guntherum in Ligurini lib. I:*

Ex quo Romanum noſtrâ virtute redemptum
Hoſtibus expulſis ad nos juſtiſſimus ordo
Tranſtulit imperium, Romani gloria regni
Nos penes eſt. Quemcunq; ſibi Germania Regem
Præficit, hunc dives ſubmiſſo vertice Roma
Suſcipit, & verſo Tiberim regit *ordine* Rhenus.

Utque Romani, qui hucusq; *Berengarios, Vidones, Lambertos, Ludovicos, Rudolphos, Hugones, Lothartos, Adelbertos*, vel *Reges* vel *Imperatores* ungi & coronari juſſerant, id ne ultrà facerent, vel *extra Germaniam* Principem quærerent. Hoc dicit *Sigebertus* his verbis: *Tyranni à Johanne Papâ & Romanis abjurantur.* Illud unum honoris ergò aliquando Romanis datum, ut auctoritatem Procerum Germanicorum conſenſu ſequerentur. Secundò, ut Romani nullum Pontificem crearent, quem Imperator è Germanis non probaret. *Luitbrandus lib. VI. cap. 6.* hæc habet: *Cives ſanctum Imperatorem cum ſuis omnibus in urbem ſuſcipiunt, fidelitatemque promittunt; hæc addentes, & firmiter jurantes, nunquam ſe Papam electuros, aut ordinaturos præter conſenſum atque electionem Domini Imperatoris Othonis Cæſaris Auguſti, filiiq; ipſius Regis Othonis.* Adde *Fragmentum Anonymi* præfixum *Magiſtro Alberto Argentinenſi.* Ne putes, Romanos *Othoni tantùm* & ejus filio fidem ſuam obſtrinxiſſet, legendus tibi erit

Frehe-

Freherus ad Bebenburg. cap. 13. p. 38. ubi de *Henrico* Imperatore refert, per ſuos legatos Romanis objeciſſe; quòd *præter conſuetudinem majorum*, Rege inconſulto, *Romanæ Eccleſiæ Pontificem* ordinâſſent; atque illum excuſâſſe, *ſe violenter electum à Romanis*; ordinari tamen noluiſſe, donec in electionem ſuam *tàm Regem quàm Principes regni Teutonici* conſenſiſſe certâ legatione cognoſceret. Ex hoc jure profluxit Imperatoris legitima *poteſtas dejiciendi Pontificem, ſcelerum & impietatis convictum*; quod ſocii concoquere non poſſunt. E quibus *Brunner. lib. IIX. p. 506.* de hoc ipſo Othone: *Imperii initia inauſpicato pudendoq́; facinore inquinavit, Johanni XII. Pontifici, omnibus quidem ſceleribus & probris contaminato, & ſede illâ ſanctitatis vitâq; adeò ipſâ indigno, nullo tamen jure exauctorato Leonem ſufficere auſus; quanquam à militari viro & ſacrarum legum quàm armorum inſolentiori condonanda noxia eſt.* Nullus quidem dubito, quin hoc, quod *Brunnerus* cenſet, Romæ hodiè ſit exploratiſſimum; ſed magna DEO gratia, quòd contrariũ habemus pro exploratiſſimo. Quid enim juris fuerit, usque ad tempora *Hildebrandinæ hæreſeos*, ex ipſis Pontificiis fateri ac docere *vi veritatis coactus* eſt *Hieronymus Balbus lib. de Coronatione, cap. Quomodo olim delatus ſit Pontificatus, & quæ in re eâ fuerit Imperatorum auctoritas:* Addit *Brunnerus* ibidem: *Othonis impietatem ſubinde non unâ clade Juſtitiam vindicem expiâſſe. Nam & Romanorum inſidiis petitum, & multiplici perfidiâ fatigatum, vulgatâ per exercitum lue in ultimum diſcri-*

men adductum eſſe. Ha, ha, ha, he! quis enim hanc philautiam legens, temperet à riſu? Eſt enim hic pleriſq; mortalium *ſtultus animus*, ut quicquid alteri calamitatis accidit, *ſui vel ſuorum causâ* factum putent:

Quiſq; ſe Deo eſſe cordi vult peculiariter!

ut habet *Gruteri* trochaicus. Id vitium ſuprà, ubi de *Juſtiniano* in *Baronio* etiam notavimus. Perfidia illa, quam cum *Romanæ urbis probro* narrat, breviter ſic habet: *Johanne XII. ob fœdas libidines & immania facinora remoto, Leonem ſuffecerat; eoq; defuncto, imperatoriæ poteſtatis vi Johannem XIII; quem cùm Romani multis malis afficerent, eorum perfidiâ graviter offenſus, urbe captâ Conſules proſcripſit; Decuriones ſuſpendio multavit, civibus ſolis pepercit.* Idem *Græcis*, qui legatos ejus in itinere violârunt, *Græciam* & *Calabriam* ademit. Quid multis? imperium inſtauravit, & contra omnes conſiliis & armis egregiè defendit. Obiit anno 973. Non. Maj.

OTHO II. à patre imperii conſors factus, & Romæ coronatus anno 967. *natalis Dominici*, poſt patris obitum imperavit annos 19. menſes 7. *Beſoldus* cùm *memorabiliora* narrare potuiſſet, hoc præcipuè narrandum cenſuit: *Henricum*, Bavariæ Ducem, *rebellantem* armis ad officium reductum. Sic ſuprà in *Henrico Aucupe*, quàm curioſè notârat, *Arnolphum* malum Bavariæ Ducem, *rebellem* rei ſummam ad ſe traducere cogitâſſe. Quod cur fecerit, exputare non poſſum. *Hodiè in Angliâ non tàm ad infamiam, quàm generis claritudinem pertinet, majores habuiſſe magnarum conjurationum duces aut ſocios;* ut ſcribit *Forſtne-*

rus

rus in Omiſſis ad Tacitum. Sed nos *Germanorum* illorum *poſteri* (de quibus in theatro Romano quondam dictum eſt, *nullos mortalium armis aut fide ante Germanos eſſe)* virtutem avitam ſimplici cultu proſequentes, & à generoſitate Anglorum parùm generosâ prorſus alieni, in illuſtriſſimæ gentis gloriam, cui ob egregia merita lubentes meritoque favemus, hæc, quæ *Beſoldus imprudenter garrit*, æterno ſilentio plectenda dicimus. Illud in *Othone* famâ dignius, quòd *Danos rebelles* rurſus imperii jugo ſubdidit; *Lotharingiam*, Francorum Occidentalium armis ereptam, *Germaniæ* rurſus copulavit. Idem tamen infortunium graviſſimum paſſus eſt A. C. 982. quòd adverſus *Græcos*, Saracenorum auxilio *Calabriam* & *Apuliam* repetentes, profectus, cæſis ad internecionem copiis ſuis, *natando* ipſe interceptus, & clàm dilapſus vix effugit. *Sigebertus, Lamberdus, Godefridus, & Ditmarus.* Romæ fato functus eſt a. d. 8. Dec. A. C. 983.

OTHO III. Othonis II. Imperatoris F. MIRACULOSUS, & MIRABILIA MUNDI cognominatus, Imperator Romæ appellatus, aliquot annis pòſt ſeditioſum *Creſcentium*, *aſino* facie aversâ impoſitum, circumduxit; *naſo* dein & *auribus mutilatum*, ac multis *confoſſum vulneribus*, cum aliis *duodecim ſeditionis ſociis* ſuſpendit. *Johannem*, adulterinum Pontificem, primò oculis, mox vitâ privavit; & *Gregorium* reſtituit. Hoc dein adjutore graviſſimum *Electorum Senatum inſtitutum* vulgò volunt; de quo plura *Beſoldus in Syn. maj.* Addi velim *Freherum in Bebenburg. cap. 2.* Summa conſiſtit in his: Ante Othonem IV.

nulla

nulla Electorum mentio in legitimis Scriptoribus; at ſub hoc eorum meminerunt *antiquæ cantilenæ*, in quibus vocantur die ſieben Wähler. *Fridericum I. Barbaroſſam*, & *Henricum*, filium ejus, conſtat à *cunctis Germaniæ Proceribus* electos. Ergò veriſimile fit, tempore interregni & ſchiſmatum, *à Friderico I. ad Fridericum II.* hanc Electorum inſtitutionem natam; ſive uſurpatione quorundam inter cæteros potentiorum, ſive etiam mutuo conſenſu & communi conventione. Obiit hic Imperator A. C. 1002. d. 23. Jan.

HENRICUS, Henrici Rixoſi F. Henrici N. Henrici Aucupis, Germaniæ Regis, proN. cognomento Claudus & Sanctus a. d. 8. Id. Jun. A. C. 1002. regnum adiit *Moguntiæ*, *Witigiſo* Antiſtite inaugurante. Hermannum æmulum *deprecantem in gratiam recepit*, & contra Harduigum, Dodonis filium, Eporædiæ Marchionem, in Italiam tyrannidem occupantem, exercitum miſit. *Brunner. lib. VIII. p. 604. usque ad p. 614.* Italiam ingreditur ipſe A. C. 1005. & Ticini *Rex Italiæ* coronatur. Idem *lib. IX. p. 642.* Boleslaum, Poloniæ Regem, bello fractum, ad petendam pacem adegit A. C. 1006. *ibid. p. 656.* Eâdem felicitate Flandros perdomuit A. C. 1007. *ibid. p. 663.* In Boleslaum *perfidum* denuò exercitum mittit A. C. 1011. Eiq; pacem dat anno ſequente, *ibid. p. 680. 681.* Jaromerum Bohemum Principatu & libertate exuit, *ibid. p. 685.* Italiam iterum ingreditur anno 1013. & a. d. 6. Cal. Mart. anno 1014. Romam; ubi Auguſtalia inſignia cum *Cunegunde* conju-

conjuge accepit, *ibid. pag. 694. 695.* Ubi notabis additamentum Jeſuiticum : *Sacramento Pontificis adactus Eccleſiæ nunquam, dum vita ſuppeteret, ſe defuturum ; neq; à Pontificis Romani fide deſciturum juravit.* Verum quidem eſt, jurabat Imperator, *ſe Eccleſiæ nunquam, dum vita ſuppeteret, defuturum*; ſed *falſum* eſt, quod adjicit, *ſe à fide Pontificis non deſciturum.* Exiſtimant Reverendi Patres, *imperium teneri ab Eccleſia,* de quâ defendendâ juret Imperator; ſed nulla eſt connexi ratio: Nam & *juramentum*, quod *Rex Galliæ* præſtat *Parlamento* Pariſienſi, *de defendendo regno,* non probat, *regnum haberi à Parlamento*; ut docet *Freherus in Bebenburg. cap. 9.* Poſt coronationem Henricus Harduigum Tyrannum eò adduxit, ut ultrò furtivas rapti honoris exuvias poneret; *monachumq;* indutus, & pro purpurato cucullatus in *Fructerienſe cœnobium Agritaurinatium* ſeſe abderet. *Brunner. d. l. p. 702.* Expeditionem Polonicam reſumit anno 1015. *ibid. p. 707.* Burgundiæ imperium adit, & per duces *Saracenos* in Italia vincit, A. C. 1016. *ibid. p. 719. 721.* Cruentum, & ab utrâq; parte luctuoſum bellum cum *Polonis* gerit. A. C. 1017. *ibid. p. 723.* Cùm iisdem fœdus novum init, A. C. 1018. *ibid. p. 729.* Contra *Græcos* & *Saracenos,* Apuliæ incubantes, arma corripit; & utroſq; exigit, A. C. 1022. Reverſus in Germaniam, moritur a. d. 3. Id. Jul. A. C. 1024. ex propenſiſſimo affectu Pater monachorum à quibusdam dictus.

CONRADUS SALICUS, Henrici III. Minoris dicti, Sueviæ & Bavariæ Ducis F. Othonis

Ducis

Ducis Sueviæ & Bavariæ N. Ludolphi pronepos, Othonis M. Imperatoris abnepos (*Brunner. lib. VIII. p. 553. & lib. IX. p. 787.*) a. d. 6. Id. Sept. A. C. 1024. *Germaniæ Rex* ungitur. In Italiam rebellem contendit A. C. 1026. menſ. Febr. *ibid. p. 799.* Mediolani coronam Italiæ accepit, *ibid. p. 800.* Romæ verò Auguſtus appellatus eſt a. d. 7. Cal. April. A. C. 1027. *ibid. p. 804.* Ungaros pacem petere coëgit anno 1030. *ibid. p. 826.* Bohemos & Polonos felici bello compeſcuit, anno 1032. *ibid. p. 830.* Moritur *Trajecti Friſiæ* A. C. 1039. prid. Non. Jun.

HENRICUS, nominis hujus Rex Germaniæ III. Imperator Romanorum II. Conradi Imp. F. patri ſuffectus, Bohemos ad deditionem coëgit A. C. 1042. Ungaros ingentibus prœliis vicit, & pacem Germaniæ reddidit A. C. 1044. *Brunn. lib. X. p. 888.* Rebus in Germania conſtitutis, per Alpes in Italiam tranſcendit, & *natali Chriſtiano* anno 1047. Auguſtus appellatur. *Ibid. p. 907.* Coronam impoſuit *Clemens,* quem *ipſe* Pontificem *conſtituerat. Otho Friſingenſis lib. VI. cap. 32. 33. Hermannus Contractus, Lambertus Schafnaburgenſis, Marianus Scotus.* Juratum etiam à Romanis ſcribit *Sigebertus*, ſe *ſine Henrici conſenſu nunquam Papam electuros*; quod imperante illo ſic obſervatum, docet *Lambertus*, modò citatus. Nimis hîc *Brunner. lib. X. p. 903.* intumeſcit: *Imperatorem alienum ſibi negotium ſumſiſſe, & de ſummâ in terris poteſtate, cui faſces ſubmittere multò æquius fuerat, ſententiam tuliſſe parùm idoneum judicem; id duntaxat eâ temeritate aſſecutum; ut peſſimo prodito poſteritati*

exem-

exemplo, Henricos duos, filium & nepotem impuliſſe ad eundem ſcopulum, & multò fœdiora naufragia, cenſeatur. Hæc *Brunnerus*, ex *Hildebrandina hæreſi* ebrius, intoleranda tùm omnibus bonis, tùm Germanis Principibus contumeliâ! Poſſem hâc de re pluribus, ſed nolo: Quòd Caſſianum illud in auribus mihi tinnit. *Cui bono?* nam ſive ad Romanum *Clerum*, de *modeſtiâ*, ſive ad *Principes*, de jure ac *poteſtate* ſuâ verba facere velimus, operosè agemus nihil: Quoad *Clerum*, locum hic habet Catonis: *Actum eſſe, ad ventrem verba facere, qui careat auribus.* Quoad *Principes*, quoquo modo ab anteceſſoribus acta conceſſaq;, *quia mutare non poſſunt, comprobant*; ut *Tacitus* loquitur *lib. I. Hiſt. cap. 7.* Eam enim hucusque adverſantibus Pontifex texuit moleſtiarum telam, cui retexendæ ac deglomerandæ nulla alia patebat via, quàm per *præcipitium ſervitutis.* Mortuus eſt Henricus a. d. 3. Non. Octob. anno 1056.

HENRICUS, Imperatorum eo nomine III. Regum Germaniæ IV. Henrici Imp. F. Conradi Salici N. *quinque annorum* puer *Aquas* deductus, in Caroli M. & Othonis M. tritavi ſui ſolio collocatus eſt. Sed hujus imperium *Hildebrandus*, ſive *Gregorius VII.* Imperatorum flagellum ſæviſſimum, belli fax, ſeculi ſui opprobrium, monſtrum nullâ virtute redemptum, valdè labefactavit, vel peſſundedit potiùs. Pleraq; ipſe *Beſoldus* & *Cluverus* te docent, ut Henricus ætatis vitio ſolutior, inſidiis & perfidiæ ſuorum patuerit; utq; à *Gregorio anathemate* percuſſus, & à ſuis deſertus per quosdam Italiæ Principes

cipes deprecatus, *ægerrimè in Pontificis aſpectum admiſſus* ſit: Nimirum receptus *intra ſecundum murorum arcis ambitum*, ſine comite, ſine cultu regio, *nudis pedibus, jejunus à manè uſq; ad veſperam perſtabat*, ſententiam Pontificis expectans: Hoc *ſecundo*, hoc *tertio die* fecit: *Quarto* demum die exceptus *vultu* Hildebrandi *tetrico*, his conditionibus abſolvitur; ut evocatis ad concilium Principibus Teutonicis die locoq;, *quem Papa deſignâſſet*, ad *ejus arbitrium*, vel *retineat* regnum, vel *amittat*: Intereaq; temporis nihil pro Rege agat, *cultuq; omni regio abſtineat*. Nolo cætera, ſunt enim prorſus indigna memoratu. Imperatorem quidem, qui tantam contumeliam paſſus eſt, facilè excuſent turbæ domeſticæ, quæ tùm illi graviter incubuerunt; ut indigna digna habenda ei fuerint, Papa quæ fecit: Sed hæc auſum *ſucceſſorem Apoſtolorum*, & *Vicarium Chriſti*, qui Cæſarem paganum honore non indignum cenſuit, quis non ſtupeat? *Brunnerus* quidem *Hildebrandi* facinora, imò parricidiale bellum, quod filius patri movit, commendat; *diabolo* ipſo, ut arbitror, hanc Apologiam *ad calamum* ipſi *dictante*. Nam *hunc auctorem* & *conſiliarium* fuiſſe Hildebrando, *confeſſus* eſt tandem *ipſe*; ut ſcribit *Sigebertus* hunc in modum: *Confeſſus eſt DEO & S. Petro, & toti Eccleſiæ, ſe valdè peccâſſe in paſtorali curâ; & ſuadente diabolo, contra humanum genus odium & iram concitâſſe.* Obiit Henricus A. C. 1106. a. d. 7. Id. Sextil. cùm exeunte anno ſuperiore *imperio ſpoliatus* eſſet *à filio*.

De *Tyrannis* ſive Imperatoribus adulterinis horum

rum temporum *Strada in Cæſar. p. 416.* Incidit in ejuſdem imperium nobilis expeditio *Godefridi Lotharingii* & *Bullionii* Ducis contra impios & profanos, *terram ſanctam* obtinentes. Ad *ſexcenta millia* peditum, equitum *centena millia* armavit; exercitum, quem rarò Europa noſtra vidit. Belli is eventus fuit, ut *Godefridus*, victis hoſtibus, *terræ ſanctæ primus Rex* fieret. *Lipſius lib. I. Monit. & Exempl. Polit. c. 2. mon. 2. ex. 4. Brunner. lib. XI. p. 167. 168.* Et è vetuſtioribus *Otho Friſingenſis lib. VII. cap. 2. & ſeqq.*

HENRICUS IV. nominis hujus Imp. vel V. Germaniæ Rex, Henrici Imperatoris *infeliciſſimi* F. qui exſtimulatus ab aliis *contra patrem* ſuum arma corripuit; eiq; Auguſtalia inſignia per vim extorſit, A. C. 1105. exeunte, ut vult *Petavius*; alii ineunte anno 1106. quos *Beſoldus* ſequitur. Cùm imperialis coronæ gratiâ Romam veniſſet A. C. 1110. maximis tumultibus motis, ipſe quoq; ſaucius, milites ſuos ita concitavit, ut unum vulnus innumeris mortibus repenſaretur. Henricus *victum* trahens *Paſchalem XII. Pontificem*, & purpuratorum patrum collegium, ab urbe diſceſſit. Is paulò pòſt Henrici voluntati conſenſit, & eundem Id. April. A. C. 1111. coronatum Auguſti cognomento auxit. *Brunner. lib. XII. p. 241.* Sed quàm primum Henricus Italiâ deceſſit, *irrita omnia* facere conatus eſt *Pontifex*; ut ſcribit *Urſpergenſis.* Hinc multæ diſſenſiones, ſchiſmata, incendia, homicidia, deportationes, & tumultus ſunt excitati. Firmatâ tandem pace A. C. 1122. Henricus in Ludovicum, Galliæ Regem, expeditionem ſuſcipit; ſed occurſu

Francorum abſterritus, pedem retulit; & anno 1125. *Trajecti* deceſſit ex morbo, a. d. 12. Cal. Jun. ut habet inſcriptio monumenti ejus.

LOTHARIUS, Gebhardi F. *Otto Friſingenſis lib. VII. cap. 17. Godefridus Viterbienſ. Chron. part. XVII.* ejus, qui Comes Sulinburgius in bello *Saxonico* contra *Henricum IV.* cecidit. *Marianus Scotus.* Mortuo Henrico, ad imperium evehitur A.C. 1125. Romæ verò coronatus eſt A. C. 1133. Malè pugnavit in *Bohemia* A. C. 1126. *Brunner. lib. XII. p. 281.* Noribergam obſedit A. C. 1127. *irrito* conatu. *ibid. p. 282.* Contra *Rogerium Siculum*, in *Italia*, bellum feliciter gerit A. C. 1136. *ibid. p. 324.* Moritur annō 1137. in autumno, *Tridenti*, ex Italia victor rediturus in Germaniam. *Hoc Imperatore jubente* (inquit Beſoldus) *Irnerius leges Romanas revocavit.* Sed hoc purum putum *commentum* eſſe, & ut adires *Hermannum Conringium in Tract. de Origine Juris Germanici*, jam ſuprà monui. Valdè memorabile eſt, quod ex ore *Erneſti Ducis Luneburgici* refert *Henricus Paxmannus* in Oratione, quam honori laudati Principis dixit A. C. 1557: *Prædium eſt vicinum oppido* Cellæ, *quod nominatur* Lutherloch, *& habuit perpetuam immunitatem. Cùm autem Quæſtor illum fundum novâ penſione oneraturus eſſet, accedit colonus Principem, narrat fuiſſe perpetuam immunitatem; & cauſam addit, quia* in eò fundo *natus ſit* Lotharius *Imperator. Adjicit etiam, ſe & majores ſuos multis ſeculis tenuiſſe hunc fundum; & narrationem traditam eſſe à majoribus, ab* eâdem ſtirpe *&* Lotharium *&* familiam ſuam *ortos*

eſſe;

eſſe; ac orat, ut propter Lotharii memoriam veterem immunitatem locus ejus natalis retineat. Delectatus hac narratione princeps, quia Lotharium propter virtutis præſtantiam & ſtirpis decus ſæpè celebrabat, accerſit Quæſtorem, interrogat de immunitate fundi; jubet & vocari ſenes vicinos, quos & de immunitate & de coloni familiâ interrogat. Horum narratio cùm congrueret colôni verbis, Princeps lætus, quod locus natalis Lotharii *Imperatoris, ſapientiâ & virtute præſtantis, ſibi monſtratus erat; & quòd vicinus eſſet è domicilio ſuo, ſeverè jubet in libros quæſturæ ſcribi totam hanc narrationem; & addit, ſe velle, ut ad omnem poſteritatem hic fundus ſit immunis, velut locus natalis Lotharii Imperatoris.* Colonum *etiam jubet* ſecum prandere, *& hortatur, ut, cùm* cognationis mentionem *feciſſet, filios rectè erudiat de DEO, & de bonis moribus; & eos ad virtutem aſſuefaciat, & tradat fundum poſteris tuendum; ſe quoque nulli filiorum, qui literis operam daturus ſit, defuturum recipit. Denique diſcedenti colono jubet dari pannos, ad veſtiendos filios & filias.*

CONRADUS III. Friderici Sueviæ Ducis ex Agnete, Henrici V. ſorore, F. Imperator creatur A. C. 1139. à Pontifice redimitus non eſt; *nec id* illi *neceſſarium.* Notat hîc iterum *Beſoldus*, tanquam memorabile, *Henricum Superbum*, Bavariæ Ducem, *proſcripſiſſe*; dignus profectò, qui à Bavaris, quibus perfidiæ vetus crimen toties refricat, coronam ferat ex urtica. Hujus temporibus, id eſt, A. C. 1147. excitæ ſedibus ſuis *Germania* & *Gallia* contra *Saracenos*, qui *Edeſſam* ceperant. Vix pro viro habitus, quem patriæ

amor aut qualescunque curæ domi detinuiſſet. *Conradus* 50000. militum habebat in exercitu; *Ludovicus*, Galliæ Rex, equitum 30000. præter ingentem peditum numerum; ut eſt in *Auctario Gemblacenſi.* Sed Græcorum fraude vexati, nullo operæ pretio facto, redierunt. Mortuus eſt Conradus A. C. 1152. 15. Cal. Mart.

FRIDERICUS AHENOBARBUS, Conradi Imperatoris è fratre Friderico N. patruo ſuffectus eſt *Francofurti*, a. d. 3. Non. Mart. anno 1152. *magno imperii Procerum conſenſu*; ut ait *Brunner. lib. XII. p. 375.* Cui *ad omne decus ſumma indoles fuit*, ut commendat *Petavius* part. I. *Ration. Temp. lib. VIII. p. 589. cap. 11.* Item: *Vir fortiſſimus, & ſupra Reges omnes bello inclutus*; ut *Jovius Novocomenſis Elogiorum lib. I.* Nec non: *Vir honeſta & perpetuâ memoriâ dignus*; ut *Nicetas Choniates lib. III. in Reb. Iſaaci Angeli p. 450.* Quæ, & alia teſtimonia ideò notanda, quod hoſtium & adverſariorum ore profecta ſunt. Priores enim *Jeſuitæ*, Paparum mancipia, & in primis *Hildebrandolatræ*; qui furiosâ doctrinâ imbibitâ, Romanos Imperatores juris ſui retinentiores impudenter & flagitiosè lacerant. Medius *annos ſeptem & triginta in Vaticano* conſedit, Pontificum perpetuus comes; atque adeò Friderico parum æquus. Ultimus è *Græcorum* natione, *Germanis* ſemper infeſtâ; ut eorundem Principibus, per æmulationem & invidiam ſolennem titulum *Cæſaris, Auguſti, Imperatoris*, βασιλέως, ἀυτοκράτορος tribuere dedignantes, eos non niſi *Latinos, Francosque* & *Alamannos*, vel ῥῆγας Ἀλαμανίας

ἤτι

ὑπὸ Φεγγίας vocitârint; ut obſervat *Freherus* tùm alibi, tùm *notis in Bebenburg. cap.5.* At ut *inimico detrahenti credendum non eſt*, judice *B. Auguſtino, lib. III. contra Petilianum cap.10.* ita *teſtimonio illo virtutis nullum aliud præſtantius, quod invitis exprimitur*; ut exiſtimat *Lucius Furius Philus apud Dionem in Excerpt. Peireſ. p. 621.* Inter res autem, quas in Friderico Scriptores unanimi conſenſu laudant, eſt *expeditio Hieroſolymitana*; quam *contra Salatinum* ſuſcepit A. C. 1188. *Centum quinquaginta millia*, luſtrato exercitu, cenſa ſunt; nec minus cum perfidia *Græcorum*, quàm cum *Saracenis* negotii fuit; ſed utriq; pari virtute preſſi, & per *ſexcenta* hominum *millia* ventum ad *Iconium*, barbarici regni ſedem; quâ expugnatâ, ſuperbiſſimus *Salatinus* legatos, pacem veniamq; oraturos, de reconcilianda quibusvis conditionibus gratiâ ad Cæſarem miſit. Paulò pòſt victor Orientis, Turcorum terror, *Tharſi* in præfrigidâ *Cydni* undâ per calores fervidum abluens corpus exſtinguitur. Notant id Scriptores noſtri factum a.d. 4. Id. Jun. A. C. 1190. Sed quod *Jeſuitæ* maximum fuiſſe ſcelus clamant, hoc eſt: Imperium beneficium ſuum aſſerebat *Adrianus Pontifex*, quod negabant *Fridericus*, & imperii Proceres; meliora docti ex hiſtoriâ *Caroli* & *Othonis*. Exin paratæ vires; & cùm Pontifex ferendo bello non eſſet, paulò pòſt verborum ſuorum duritiem ſubdolâ interpretatione mitigavit. Non diu pòſt iterum exorta lis, quod *Fridericus* bello contra ſeditioſos *Mediolanenſes*, confecto *Albæ*, quo hybernaturus conceſſerat, omnes ex vicinia commeatus advehi curaret; & *ab*

Epiſcopis,terrenas poſſeſſiones tenentibus, *homagium ſibi præſtari* poſtularet; & Cardinalibus, à latere Papæ legatis, civitates clauderet. Hoc ægrè ferenti Pontifici reſpondit Fridericus: *Regalia beneficia Principum obligare Epiſcopos ad præſtandum Principibus juramentum. Cardinalibus clauſas urbes, quia* prædatores *veniant, non* prædicatores: *Si mores ſuos correxerint, non defuturum illis ſtipendium & commeatum!* Sic cùm omnia ſpectarent ad bellum, jamq; *Mediolanenſes* à Pontifice concitati, fidem *Friderico* datam fregiſſent, *Adrianus* moritur. Fit Pontifex meliorum ſuffragiis *Victor*, ſed per factionem *Alexandri*, odii in *Fridericum* manifeſtius. Imperator, qui norat penes ſuperiores Principes fuiſſe jus indicendi concilii, eccleſiæ Præſules *Papiæ* convocat; qui *Alexandrum* defugientem legitimum judicium *damnant*, & *Victorem* Pontificem ritè factum pronunciant. Subſcribunt *Imperator*, & *Reges Angliæ, Daniæ, Hungariæ, Bohemiæ. Mediolanum* obſequium Imperatori negans *exſcinditur*, & reliquarum urbium propugnacula dejiciuntur; quarum ſubleſta fides erat.

Hinc *Alexander in Galliam profugiens*, conventu in *Claromonte* habito, *Imperatorem* & *Victorem* Papam *anathemate* perdidit. Romani, Victore mortuo, dum abeſt Cæſar, Coſſ. Alexandro amicos, creant; ipſumq; Alexandrum revocant; *Lombardi* quoque contra Cæſarem arma reſumunt. Ob id Fridericus regreſſus in Italiam, *quindecim millia* Romanorum contra ſe pugnantium apud *Tuſculum* occidit, pulſoq;

Alexan-

Alexandro *Paſchalem* Lateranenſi in palatio collocat, Romanos in verba ſua adigit; ſed mox obortâ peſte, ſimul occultarum inſidiarum metu in Germaniam redit.

Sic inſtauratum *Mediolanum*, & rebellibus ſpatium datum; quos ut coërceret, Fridericus, A.C. 1171. exercitu valido in Italiam irrumpens, multa fortiter geſſit; denique belli is eventus fuit, ut *Alexander Venetias*, diſſimulatâ perſonâ *fugiens*, remp. illam cum Imperatore colliſerit. Hinc enim Fridericus *contra Venetos Othonem* filium cum inſtructiſſimâ claſſe miſit; ſed eâ lege, ne ſe inconſulto manus conſereret. Quo ille neglecto, pugnat, vincitur, *capitur*. Veneti, cùm non ignorarent, patrem omnia cogitare de liberando filio, noctes inſomnes ducere; *filium* ipſi *remittunt*, ſed eâ conditione, ut peractâ legatione ſive exoraret patrem, ſeu minus; velut alter Regulus Venetias rediret. Humanitas ſucceſſu non caruit: Exoratus enim *Cæſar*, *Venetias* ipſe *venit*, & pacem cum Pontifice facit.

Addunt recentioris ævi complures, Imperatorem *ad januas ædis D. Marci proſtratum, ut abſolveretur, premente collum ejus Alexandro*, audiviſſe illud Pſalmographi: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Cùm reſponderet Pontifici: *Non tibi, ſed Petro, cujus es ſucceſſor, pareo!* regeſſiſſe Pontificem: *Et mihi & Petro!* Hoc additamentum, cùm ante plures annos ſecutus auctoritatem nobiliſſimi viri, *Georgii Remi, Univerſitatis hujus Procancellarii p.m.*

in dubium vocâſſem lectione publicâ; paulò pòſt obſervavi, me idem feciſſe, quod pueri ſolent, qui ad aquas ludunt. Ut enim ii lapillum in aquam conjicientes, paulatim magis magisq; majores orbes faciunt: Sic ego propoſito, quod multis diſplicebat, varios circulos conſequi feci ſibilorum & calumniarum, ut verbis Lipſianis utar. Monſtrum, omnibus monſtris monſtroſius produxiſſe videbar, & more Romano per Pontifices expiandum.

Repertus eſt ſanè, qui hoc in ſe publicè reciperet, & aquam luſtralem tam copioſam mihi aſpergeret; ut totus permaduerim. Etenim ad me non tam ipſe pertinere judicabam, quàm alii; qui divinam orationem primùm legendam dederant; *Mirari ſe reperiri potuiſſe, qui* (Fridericum Pontificis pede calcatum) *tam præfractè tantaq; verborum petulantia negarent*. Quid enim? an tantus vir mortuis leonibus barbam velleret; & inſepultum jam diu Remum, vel alios, de quibus mox dicam, petulantiùs ageret? an inter hujus ævi Pontificios quosdam reperit, ſic depectendos & deſtringendos ante ora Principum populiq;? Nullos novimus. Unde haud difficulter accedebam illis, qui hunc morem jam multis eſſe dicebant, ut niſi oculos circumferant in Univerſitate noſtrâ, niſi omnia dicta & facta curioſiùs rimentur, & pro arbitrio interpretentur; minùs claros & doctos ſe putent. Quod hominum genus Plutarchus haud inſcitè comparat Lamiæ; quæ, ut eſt in fabulis, domi cæcutiit, foris oculatiſſima fuit.

Moneri quidem, ſi quis alius, à viris doctis & intelli-

intelligentibus deſidero, & opto; ſed de iis, quæ publicam lucem non aſpexere, privatim & per literas; prorſus ut *Philippum* ſedentem, & *ſub haſtâ captivos vendentem*, acceſſit aliquis, & illi in aurem: *Demitte veſtem, Philippe, nam indecorè ſic ſedes!* Sed hîc aliter ſe res habet. Inſonandum erat, quod diſplicebat, typographicâ tubâ in omnium aures. Et ut in *mancipium* jacienda interfecti pudoris & *petulantiæ* convitia; quaſi in controverſia hiſtorica, & nihil ad articulos fidei pertinente, non liceat hiſtoriarum Profeſſori, judicii ſui copiam facere; vel cum eo ſic agendum ſit, ut aſſenſum præbeat.

Næ, qui hanc docendi rationem amplectuntur, faciunt id, quod notiſſimus ille ſcurra, cui ab *ululâ* & *ſpeculo* nomen impoſitum: Nam ut ille in aulâ Landgrafii Haſſiæ pingendi artem profeſſus, cùm aulicos ad ſpectandas picturas ſuas admiſiſſet, præfatus eſt: *Non niſi ex legitimo thoro natos picturas illas videre poſſe*; ſimulq; in tabellâ vacuâ neſcio quid imaginum monſtrabat: Illi autem, ne ſpurii viderentur, conſpicere ſe affirmabant id, quod non conſpiciebant: Ita ut fidem mereantur iſti, non niſi *præfracti* & *petulantes*, affirmativæ noſtræ veritatem conſpicere non poſſunt; ſimulq; cæteri, ne tales habeantur, καλῶς καὶ σοφῶς acclamant; etiamſi, quod videre jubentur, nondum viderint. Hoc non dico, ut illum, qui nos laceſſivit, cum viliſſimo ſcurra comparare velim: Nam *magnum, doctum & ſapientem virum* arbitror; ſed *docendi ratio*, quam contra nos elegit, certè *eadem* eſt.

Nunc quæ me compellunt, ut adhuc communi

famæ diffidam, fuſius explicabo; & unà, quàm innocentes petiti ſimus, omnibus manifeſtum faciam. *Integrum ſeculum* eſt, Auditores, ex quo *narratio, de calcato Friderici collo, pro fabulâ* haberi cœpit: Nam *Aventinum* negativam propoſuiſſe, & *ab Italis* in Germanorum contumeliam *confictum* pronunciâſſe, obſervavit *V. CL. Conradus Rittershuſius notis ad Jovii Fridericum p. 215. 216.* Fuit autem *Aventinus* Scriptor curioſiſſimus, & qui de Pontificibus tantâ libertate ſcripſit, quâ illi vixerunt. Quin imò *lib. VII. p. 547.* apertè prodit, *Papam eſſe Antichriſtum.* Locus prolixior eſt, quàm ut hîc exhiberi poſſit. Unde ratio, quæ *Baronium* ſuſpectum facit, non tantùm hîc ceſſat; ſed etiam animus Scriptoris in Pontificem ſatis perſpectus concludere nos jubet, haud fuiſſe repudiaturum narrationem iſtam, ſi firmâ baſi ſuſtineri ſciviſſet; Sed pro firmandâ ſententiâ ſuâ de Pontifice Antichriſto, accepturum potiùs. Ipſe *Rittershuſius,* quâ erat diligentiâ, nihil veteris, nihil recentioris hiſtoriæ inconſultum reliquit; ejusdem ſententiæ fuiſſe aſſerit, alios quosdam *prudentiores* Hiſtoricos.

De *Baronio* Cardinali nihil dicam, cujus rationes & ipſi mihi alicubi frigidiores videntur: Nam quod ait, abhorruiſſe à tanti vicarii Chriſti manſuetudine turgens faſtu facinus; fidem reperit apud eos tantùm, qui Petrinæ monarchiæ ſuperbiam, & Antichriſticam impotentiam neſciunt. At qui legerunt, quàm ſerviliter *Hildebrandus Henricum* Imperatorem habuerit; quàm ignominiosè & nequiter *Cœleſtinus,* an *Sceleſtinus? III.* coronâ Imperatoriâ pedibus luſerit; vel potiùs quid

quid *Henrico II. Angliæ Regi* ab ipſo *Alexandro* factum ſit, nunquam hîc audient *Baronium.* Nam de Henrico illo præter alios teſtes ſunt *Neubrigenſis* & *Matthæus Pariſienſis in Henrico II. in A.C. 1174.* cum poſt occiſum non ſuo ſcelere *Thomam Archiepiſcopum* nudis pedibus peregrinatus eſſet, nihilominus ex mandato Pontificis *in ſacrario*, tanquam in ſcholâ puerum *virgis pœnam dediſſe* à ſingulis viris religioſis, quorum multitudo magna convenerat, *ictus ternos* & *quinos* excipientem; *lætum* inſuper, *quod nihil gravius* pateretur. Ficulneum igitur, quod de Alexandri moderatione ſcripſit *Baronius.*

Rittershuſium porrò è noſtris excepit ſupra laudatus *Dn. Georgius Remus*, qui *A. C. 1625. Id. Jun.* in actu doctorio ſolenni *diſſertationem* hîc locorum habuit, in quâ idem commentum eſſe putidum, pronunciavit; & fusè docuit. Quanquam nec auctoritas nominis, nec elegantia ſtyli, nec proprius in hanc cauſam affectus eò me abripiunt, ut in omnibus aſſenſum præbeam. Dum enim aſſerit, altiſſimum eſſe omnium Hiſtoricorum *ſilentium per 300. annos* à Friderici ævo numerandos, id falſum patebit ex *Ouvonis* narratione; quam mox afferam. Eodem modo probare non poſſum, quod inter alios auctores veteres, qui de hoc negotio memorabili nec μὺ, nec γρὺ quidem. Nominat etiam *Guntherum*, quaſi ex illius ſilentio argumentum capi poſſit, rem non eſſe factam. Nam nec Othonis capti, nec pacis inter Imperatorem & Pontificem factæ, nec expeditionis Hieroſolymitanæ mentionem facit; de quorum tamen omnium veritate nemo

nemo dubitat. Nimirum totam Friderici vitam non perſcripſit; ſed *in Cremæ excidio*, quod incidit in A. C. 1160. *carminis finem* fecit; atque adeò *30. annorum hiſtoriam reliquit* intactam. Fruſtrà quoque provocat ad *Nicetæ Choniatis* ſilentium; cui propoſitum minimè fuit, Friderici fortunam & res geſtas exequi; niſi quatenus Orientalibus immixtæ ſunt: Hinc alia multa Friderici ſilet, quæ revera facta ſunt. Neque ſi totum Friderici imperium tradidiſſet, tam probatu facilè, hoc ipſum memoraturum fuiſſe in odium Pontificis, ſi contigiſſet: Nam & inter Græcos fuere, qui Romanam idololatriam, & Occidentalis Eccleſiæ Monarcham reverebantur; quod de *Nicephoro Calliſto* & aliis conſtat.

Poſt Remum eandem negativam propugnavit, qui aliàs typhum Romanum ſcriptis acerrimis perſtrinxit, vir omnis hiſtoriæ peritiſſimus, *Matthias Berneggerus*; qui conſulendus eſt in *Quæſtionibus Hiſtorico-politicis*, publicæ cenſuræ ſubditis *A. C. 1626. Reſpondente Roberto Königsmanno.*

Ex his ſatis apparet, non pruritu quodam ingenii novitatis cupidi, neque juvenili temeritate eò adductum, ut negativam publicè proponendam ſuſciperem; ſed rectè atque ordine, relictis Maniis, & plebejis Scriptoribus; cum eruditiſſimis Philologis, Hiſtoricis experientiſſimis, luminibus & columinibus reip. literariæ ſenſiſſe, atque ſcripſiſſe, & jam in auctorem recidere convitia, quibus nos affecit. Nihilominus cùm me tintinabulum iſtud excitâſſet, neceſſarium quoque duxi, per literas conſulere viros & dignitate

gnitate illuſtres, & doctrinâ omne ſeculum provocantes; ut quod eorum hâc in re judicium eſſet, cognoſcerem, & vel emendarer, ſi quid excidiſſet *petulantius*; vel novas pro defendendâ veritate vires acquirerem. Non enim rem confecerat *Stella*, quem ſtipem omnem tam anxiè poſcentibus, & quovis ex lacu trahentibus piſcem ultrò indicaveram; nec poteram voluntatem meam ſubmittere illi, qui dictaturam quidem feriò exercet, ſed non ex Senatusconſulto.

Igitur inter eos, qui conatum noſtrum honeſtiſſimo applauſu proſecuti ſunt, primus *Vir Magnificus & Nobiliſſimus, Dn. Georgius Richterus, Univerſitatis noſtræ Procancellarius meritiſſimus* hunc in modum *d. 17. Decembr. A. C. 1643.* reſcripſit: *Fabulam illam de collo Friderici Barbaroſſæ Imperatoris, ab Alexandro III. Pontifice Romano pedibus calcato, quam nonnulli pro hiſtoriâ credi ſibi poſtulant, nihil ominus quàm hiſtoriam eſſe, veritatis hiſtoricæ probè gnari verè norunt. Ejusmodi fabulas in omnibus ferè hiſtoricis Græcis & Latinis pro hiſtoriis ſæpe recitari, & hoc genus erroris eſſe vulgatiſſimum, etiam in auctoribus probatiſſimis olim me annotare memini; de quo forſan alio tempore, aut etiam publicè aliquando plura monere licebit. Tu interim pro dexteritate tua veritatem vindicare perſeverabis*; & mox in literis iisdem: *Dilherrus noſter tuas cùm legit, ſententiam quoque tuam etiam atque etiam laudavit. Hæc mens, hoc judicium illorum virorum, qui etiam in eruditiſſimi ſeculi luce ſic eminentes (ut pura nocturno renidet*

Luna mari Gnidiusve Gyges)

Judi-

Judicum partes de ſtudiis hiſtoricis deſumere ſibi poſſunt. Tam *petulans* quidem non ſum, ut ex honorificis maximorum virorum reſponſis aliquid eſſe me putem; dignumq́; cenſeam, qui more nuper animadverſo, pingar in una tabella quater; ſed neque cornea mihi fibra eſt, ut cùm hoc ipſum, quod magnus Clericus rejicit, tantis viris placuerit, non læter ex animo. Nam & Hectori Priami judicium inſtar trophæi fuit; & apud *Nævium* notiſſimum illum verſiculum expreſſit:

Lætus ſum me laudari abs te, pater, laudato viro.

Extra civitatem noſtram, qui huic ipſi ſententiæ ſubſcriberet, fuit *Thomas Reineſius*; qui quàm auctores veteres novos haud inſpiciat limis, pulcherrima ejus monumenta, quibus bonum publicum hactenus adjuvit, ſatis teſtari poſſunt. Is in literis ad me ſcriptis *10. Jun. A. C. 1644.* nunc ὁλολήρημα καὶ σαπρὸν μυθάριον, id eſt, *merum nugamentum & putidam fabellam*; nunc ψεῦδος ἐκ σπαργάνων *commentum puerile* appellat. Et hæc eſt doctiſſimorum virorum ſententia, cui ſi clangore terribili ſimul abreptus obſtrepam, verè *præfractus*, verè *petulans* ego ſim; imò, quicquid eſt *præfractorum*, quicquid eſt *petulantium*, excedam.

Quod verò ad conficiendam rem præcipuum eſt, id poſt allatas auctoritates modò ſuſcipiam, hoc eſt, rationibus agam,

Adverſus, recta quæ ſunt contraria menti,
ſomnia, quæ quivis ſibi jam ſpontanea fingit.

Ac primum quidem ſic argumentor: Cuicunque narrationi appoſitæ notæ, AJUNT, FAMA EST, FANDO ET ORE VULGI SALTEM ACCEPI-

CEPIMUS; ea uti commemorari poteſt, ita pro certâ & fideli ſive approbatâ nec accipi poteſt nec debet. Hoc volunt omnes, qui legitimam hiſtoriam condiderunt; ut *Herodotus in Melopomene*, fabulam de Pſyllis relaturus, ea, QUÆ AFRI PERHIBEANT, ſe memorare ait; & in *Polymniâ*, toti ſuæ hiſtoriæ patrocinium parans, *ego*, inquit, QUÆ FANDO COGNOVI, *exponere narratione meâ debeo omnia: Credere autem vera eſſe omnia non debeo.* Similiter *Pauſan. lib. VI.* ait: *Ea quidem, quæ vulgârunt hâc de re Græci, neceſſe habui commemorare: Credere verò omnia nulla res me cogit.* E Latinis *Curt. lib.IX.c.1.§.34.* hunc in modum: *Equidem plura transſcribo, quàm credo: Nam nec affirmare ſuſtineo, de quibus dubito; nec ſubducere*, QUÆ ACCEPI. Rationis vim ſtatim agnoſcunt, quibus ingenium famæ perſpectum eſt; quoniam illa, ut (*Tertull. in Apologet. c. 7.* ait) *ne tunc quidem, cum aliquid veri aſſerit, ſine mendacii vitio eſt.* Sive ut *Curt. lib.IX. c.2.§.14.* regerit: *Eâ tradente omnia majora ſunt vero.* At talis eſt narratio de Friderico Barbaroſsâ, quod ex antiquiſſimo Scriptore (cujus auctoritatem fruſtra pro ſententiâ ſuâ advocat *Hieronymus Bardus*, uti obſervationem *Bardi Beſoldus* noſter in *Synopſi majore*) probare poſſum.

Is eſt *Ouvo, Ravennas Presbyter*, qui cum *lib. VII. & VIII. Hiſt.* res inter Alexandrum & Fridericum geſtas, tum adventum hujus Venetias & ſolutionem à vinculo anathematis enarrâſſet: *Quibus pactis*, inquit, *Cardinales iidem, ut injunctum eis fuerat, Imperatorem*

ratorem ad D. Marci delubrum, ubi cum Pontifex operiebatur, deduxére; cumq́ ad Pontificem pro foribus templi ſedentem acceſſiſſet, dejectâ ex humero fulgente chlamyde, poſito cum genu adoravit. Mox ad pedes provolutus, eosq́, exoſculatus FERTUR *inſultanti Pontifici, & propheticum carmen, Super aſpidem & baſiliſcum ambulabo, & calcabo leonem & draconem enuncianti, non Alexandro, ſed Petro id tribuere, pervicaci dicto reſpondiſſe: Pontificem deinde & ſibi & Petro ceſſum ingeminâſſe; ac tum demum ad complexus mutuos, & par oſculum admiſiſſe; conclamantibus undique omnibus: Deo laudem eſſe deferendam.* Hæc *Ouvo,* Scriptor ævo proximus.

Secundum quæ interpretari debemus ea, quæ affert idem apud *Hieronymum Bardum in lib.* quem Beſoldus noſter citat *p. 149.* nimirum *ex famâ ſaltem memorari.* Quod ſi ergò Scriptor, quo antiquiorem non habemus, & quidem *Italus,* qui omnia certius cognoſcere potuit, hanc rem ſpondere noluit, ut loquitur *Senec. lib. IV. Nat. Quæſt. 3.* ſed narrationi incertitudinis notam adjecit; eò magis fas erat id facere tot ætatibus poſteriores, *Jacobum Philippum Foreſtum Bergomenſem monachum, Ordinis S. Auguſtini in Supplem. Chronicorum; Angelum Politianum in Oratione clarorum virorum ad Alexandrum VI. Joh. Nauclerum Chron. volum. III. generatione 40. f. 235. Joh. Stellam Sacerdotem Venetum;* qui vitas CCXXX. ſummorum Pontificum dedicavit *Dominico Cyrimanno, Patriarchæ Aquilejenſi;* & qui hos ſecuti ſunt, *Lutherani, Calviniani, Pontificii,* magno numero.

Sic

Sic adverſæ ſententiæ propugnatoribus incumbit, ut antequam ex auctoribus illis nos premant, eosdem accuratè priùs examinent; ne, qui alios falſitatis arguunt, accuſandi ſint potius ipſi. Cautior hâc in parte *Marcus Antonius Sabellicus lib. VII:* ADDUNT QUIDAM, *Pontificem collo Cæſaris proſtrati pedem impoſuiſſe, cœpiſſeq; interim Davidicum illud canere: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis! Notum eſt carmen. Tunc Fridericum ingentes alentem ſpiritus dixiſſe: Non tibi, ſed Petro! cui Alexander irato ſimilis, impreſsâ fortiùs plantâ, & mihi & Petro! reſponderit. Ferunt Dominicæ aſcenſionis die id factum.* Hæc *Sabellicus.*

Modeſtior etiam hîc *Paulus Jovius*, tali modo: *Itaque pacificatore Ziano, Venetorum Principe, Imperatorem ad pedes ſuppliciter projectum Pontifex præ foribus Marciani templi ritè expiavit; in gratiamq; recepit.* TRADUNT SCRIPTORES, *Pontificem anteactæ calamitatis ſuæ memorē, oſculanti pedem, contractâ fronte, hoc Davidicū carmen protuliſſe: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem! ut domitæ ſuperbi animi ferociæ nequaquam humaniter illuderet; ad quod Cæſar tam piè quàm graviter renidenti vultu reſponderit: Non tibi, ſed Petro!*

Quinimò eâdem diffidentiâ *Petrus Juſtinianus. Patricius ac Senator Venetus lib. II. pag. 49.* edit. prim. Venetæ anno 1560. vel *pag. 27.* edit. Argentorat. anno 1610: *Alexander autem,* inquit, *Friderici collo plan-*

tâ ſuperpoſitâ, Davidicum illud protuliſſe DICITUR. Quod in tanto Scriptore cumprimis notandum eſt. Exiſtimavit vir quidam magnus, ideò majorem fidem habendam *Johanni Stellæ Veneto*, quod ex patriæ Archivis de veritate hujus hiſtoriæ optimè illi conſtare potuerit. At hoc in Archivis illuſtriſſimæ reip. Venetæ reperiri dubitare nos facit *Juſtinianus h. l.* quis enim credat Sacerdotem potioribus monumentis inſtructum, quàm Senatorem? Sacerdotem locutum ex Archivis, Senatorem ex ore aliorum, & famâ tantùm? Næ uterq; ab Archivis hîc deſtitutus eſt; quod *Juſtinianus* profitetur haud obſcurè.

Hunc denique præter alios excepit *Franciſcus Modius* in auguſtiſſimo *Pandectarum Triumphalium* opere *lib. II. cap. 1.* ubi, poſtquam commemoravit, quàm ſuave ſpectaculum Venetiis præbuerint, ſe invicem alloquentes Imperator & Pontifex, ADDUNT QUIDAM, inquit, *Pontificem, quaſi ita illum expiaturum collo ipſius proſtrati pedem impoſuiſſe, cœpiſſeq; interim Davidicum illud canere &c.*

Parum hoc, ſcio, attendendum putant, qui ad obtinendam affirmativam, omnes vires ſuas, omnes machinas adhibent; ſed in hiſtorico veritatis ſtudioſo, ſi quid requiritur, hoc requiritur; ut adjectas iſtas *dubiæ mercis notas* ne negligat: Secus ſi facit, & narrationes quasvis cum certis & approbatis conglutinat; quid erit tandem hiſtoria, niſi πανσπερμία ἀναξαγορική? Quidvis prodibit è quovis, & omnia deniq; vulgi ſomnia in veritatis poſſeſſionem irrepent.

Sed jam animadverto, quid nonnemo dicturus ſit.

ſit, nimirum haud ſemper errare famam; quod *Tacitus* cenſuit in *Agricola cap. 9.* qui & *lib. II. Hiſt. c. 50.* de ſe teſtatur, *ut conquirere fabuloſa & fictis oblectare legentium animos nolit; tamen vulgatis traditisq́, demere fidem ſe non audere.* Nos autem hîc monemus, ut diligenter ad animum revocetur, fuiſſe tùm καιρὲς τερατολογίας, *tempora portentiloquiorum*, ut vocat *Caſaubonus Prolegomenis in Exercitationes Baronianas.* Sciſſus erat Chriſtianus orbis in Gibellinos & Guelfos, *celebratiora vocabula*; ut *Brunner.* ait *lib. XI. p. 13.* quam quæ Circenſibus olim nata ludis Romanæ urbis ſtudia, veneto praſinoq; colore diſtraxerunt; & ab his factionibus ſpargebantur & diſſipabantur tum pleraq;, quæ adverſariis dolorem, parituta ſpes erat. Nihil igitur periculoſius, quàm vel tantillum dare temporum iſtorum famæ. Qui enim hoc ipſum fecerunt, nec, uti fas erat, præternavigarunt factioſorum rumorum ſcopulos, veritatis fecerunt naufragium; & hiſtoriam multis fabulis conſpurcârunt.

Docet hoc *Sigonius*, ſeculi Scriptor doctiſſimus, *lib. XIII. Hiſt. de Regno Italiæ p. 307.* ubi: *Gibellinorum & Guelforum nominibus, ex vetere Germaniæ diſſenſione deſumptis, exitiales Italis factiones manârunt.* Quæ ſub Friderico patre exortæ, *neque omninò poſt ſub Henrico filio obliteratæ, demum ſub Friderico nepote effuſiùs erumpentes, ingentes in multos poſt annos ſtrages in Italiâ edidere.* QUÆ HISTORIA STUDIIS SCRIPTORUM STILO HAUD SECIUS INTER SE, QUAM ILLI GLADIO

DECERTANTIUM EST CORRUPTA. Quamobrem nihil inverecundè vel petulànter agimus, ſi famam illius ævi, quo ſcripſit *Ouvo*, prorſus non admittimus. Et hoc *ſecundum* noſtrum *argumentum* eſt.

Ipſe *Sigonius* hanc ipſam *narrationem* de Friderici collo à Pontifice calcato, & adjectis Pſalmographi verbis, *à factioſis confictam* indubiè credidit. Nam *lib. XIV. p. 334.* ubi omnia κατὰ λεπτὸν; ſive, ut loquitur quidam ex Auguſtæ hiſtoriæ ſcriptoribus, *ad fibellam*; & quod cumprimis notandum ex ipſius *Alexandri literis* 7. Cal. Auguſt. *ad Abbatem Caſſinatem* ex *Rivoalto* datis exequitur, hoc tam grande ſilentio præterit.

Reſpondet vir doctus, non prorſus præterire; ſed ad Alexandri facinus reſpicere illis verbis: *Inimicitias Friderici non tam moderatè exercuit, quàm fortiter ſuperavit.* Quæ *mea tarditas* eſt, tam *ſubtile* non capio: Quia Friderici inimicitias Alexander fortiter ſuperavit: *Ergò* non prorſus diſſimulat Pontificem calcâſſe Cæſarem. Explicet mihi conſequentiæ rationem alius; me enim prorſus latet. Fortiter *ſuperâſſe inimicitias*, annon *Sigonio* dici potuit; qui poſt diutinum bellum *ope Venetorum* eò Imperatorem tandem adegit, ut ſecum pacem faceret; & legitimum Pontificem agnoſceret. Quid? quod in hiſce verbis Sigonius cum *fortitudine* ſimul Alexandri *moderationem* commendat; unde *ſimplex ego* colligerem prorſus contrarium, *tectè negâſſe*, quod de Alexandri in Fridericum impotentiâ vulgò dicitur.

Et

Et quando *in ſilentio* inſignium aliquot monumentorum & Scriptorum *argumenti* noſtri *tertii viſita* eſt, de illo nunc agendum eſt. Primùm advertendum monui, quod *Sigonius* ait, ſe, quæ poſt Imperatoris ingreſſum in Venetorum urbe geſta ſunt, omnia referre *ita; prout Alexander ipſe literis* mandârit. At in eâ narratione nihil de calcato collo, nihil de Pſalmographi verbis. Secundò non tam leve, quod ad *bibliothecam Vaticanam Baronius* provocat, ac tot judicibus obnoxium ſe facit, quot Italis, Germanis, Gallis, Belgis ad hunc usque diem inſignis illa bibliotheca potuit; in eâ tacere ſcribit teſtes *αὐτόπ7ας, auctorem actorum MSS. Alexandri*; ut & *Romualdum, Archiepiſcopum Salernitanum*, Longobardico charactere exaratum. Silet prætereà *Bartholomaus Platina*, hiſtoriæ Pontificiæ Suetonius; ſilet *Gilbertus Genebrardus*: Et ex Germanicis Scriptoribus, qui ante annum 1450. vixerunt & ſcripſerunt; ne unum legere memini, qui hoc ad totius Germanicæ nationis ignominiam pertinens notaret. *Siffridus* (ut rectè obſervat Remus) *Theodorici Marchionis*, quem Pontifici ſe oppoſuiſſe volunt, cùm pedem collo Cæſaris imponeret, ſæpè meminit; at hujus facti nusquam meminit: Unde vanam eſſe apud Italos famam, quam alii ſaltem retulerunt; alii, ut veram certamq; ſecuti ſunt, nemo non intelligit.

Non ignoro doctiſſimorum virorum reſponſum ad hæc omnia, nullius momenti argumentum eſſe, ab auctoritate negatâ; ſed addunt alii, licere, ſuppoſito, quod auctor rem perfectè tradiderit; unde

Philoſophi hanc argumentandi rationem admittere ſolent. *Ariſtoteles lib. VI. Eth.* Non recenſet aliquem ſextum habitum inſtrumentalem, à reliquis diſtinctum; ergò talis non datur. Deme, ſi potes, Philologis & Hiſtoricis id genus argumenta; vix unam vel alteram ſpuriam narrationem à genuinâ diſcernere poterunt. Romanos Alexandrum magnum legatione veneratos eſſe, *contra Memnonem cap. 24. Plinium lib. III. cap. 5.* negant cum *Arriano lib. VII.* quòd eâ de re ſileant, non ſolùm Scriptores Romani omnes, ſed & *Ptolemæus* & *Ariſtobulus*, Hiſtorici; uterque Alexandri ſocius, alter etiam dux, & poſtea Rex Ægypti. Sic in illis controverſis de *legibus Juſtinianeis per Lotharium* reductis, de *inſtitutione Electorum ſub Ottone III.* quas ſuprà tetigimus; ſic in aliis argumentantur alii. Quid dicam de frequentiſſimo argumenti hujus uſu in revellendis Pontificiorum nugis? verbi gratiâ, cum cōfutant putidiſſimam illam, ſed ordini ſacro valdè lucroſam, & ob id innumeris auctoribus asſeveratam fabulam *de Lauretano cubiculo*; in quo B. Virginem & natam & educatam, ab Angelo ſalutatam, à S. Lucâ depictam; quodq; *Nazarethi* per annos mille incolume, ſuis denique fundamentis avulſum, *tenues per auras* terq; quaterq; bajulatum, *in Italiâ* conſediſſe volunt? nonne inter argumenta potiſſima depromitur iſtud: Cubiculi hujus non *Clemens*, non *Dionyſius*, non *Polycarpus*, non *Ignatius, Irenæus*, *Euſebius*, *Ruffinus*, *Theodoretus*, *Sozomenus*, *Socrates*, *Hieronymus*, non alii vetuſtiones mentionem faciunt: Ergò fabuloſa iſta narratio eſt. Adeundus

dus *Berneggerus in Demolitione idoli Lauretani, cap. 6.*

Sed & in ſpecie, quid de ſingularum ſententiâ judicem, neque diſſimulare debeo, neque volo. Quod de Pontifice ipſo diximus, rident, ut abſurdum; quòd ſcilicet exiſtimemus, ipſum dedecus ſuum Abbati Caſſinati commemorare potuiſſe! At certiorem eundem facere minimè verecundatus eſt; ſolennem, quæ ab Imperatore Pontifici debeatur, reverentiam ſibi atque obedientiam præſtitam; Imperatorem pios pedes inclinatum oſculo veneratum, aſcendenti etiam ſtrepam tenuiſſe, ut *Sigonius* nos docet. Quid? quod ſecundum opinionem veſtram Ouvoni (ſive *Ononi*) in conſpectu tot millium, in civitate nobiliſſima prudentiſſimaq; facere potuit, id ad Abbatem privatim ſcribere minimè ſuſtinuit?

Contra Acta MSS. vir clariſſimus arripit id, quod confeſſus eſt Baronius: *Non eſſe integra, ſed truncata; & fine carere.* Quod ſi ergò, inquit, in illâ parte, quæ injuriâ temporis periit, illa ipſa de ſuppreſſione cervicis Imperatoriæ fuerunt annotata, ut apparet; ſuſpicatus eſt fraudulenter hîc egiſſe Baronium, qui pro integrâ laudarit illam partem, quæ continet Acta Venetiis inter Fridericum & Alexandrum. Sed non ſufficit ſuſpicari, ubi de alterius famâ agitur, decet ſcire.

Secundò ex iiſdem Actis conatur hujus rei judicium exhibere, ubi Friderici legato ſic reſpondet Alexander: *Si inter oves, quas Deus B. Petro paſcendas commiſit, vult numerari, quid amplius differt eidem*

Principi Apoſtolorum cervicem ſuam flectere, & catholicæ unitati ſe aggregare? In hoc non ſemel offendit vir doctiſſimus, quòd exiſtimat, ex communi obſervantiæ genere, Pontificibus exhiberi ſolito, colligere nos poſſe id, de quo controvertitur.

Sic & *Romualdum Salernitanum* eidem illius rei indicium facere videtur in iſtis verbis, à Baronio citatis: *Cùm ad Papam appropinquâſſet Imperator, tactus divino ſpiritu, Deum in Alexandro venerans, imperiali dignitate poſtpoſitâ, rejecto pallio, ad pedes Papæ totum ſe extento corpore inclinavit.* Eodem modo capit *Platinæ* verba: *Imperatorem pedes Pontificis in templo Marci oſculatum fuiſſe.* Eodem *Genebrardi lib. IV. Chronic.* quæ ſunt: *Fridericum Imperatorem ad pedes Alexandri III. petentem excommunicationis abſolutionem, procubuiſſe.* Eodem verba *Johannis Capiſtrani*, qui floruit circa annum 1385: *Confiteantur Teuthonici, Imperatorem decere cervicem ſubmittere pedibus Pontificis.* Quæ nihil aliud volunt, quàm hoc: Fas eſſe, ut Imperator inclinatâ cervice proſternat ſe, & advolvatur pedibus Pontificis; quod etiam à Friderico, cùm abſolutionem peteret, factum libenter profitentur.

Imò *Paulus IV. Pontifex* picturæ adſcribi juſſit, *Joſephi Salvatis* nobiliſſimi artificis penicillo factæ: *Alexander Papa III. Friderici I. Imperatoris iram & impetum fugiens, abdidit ſe Venetias. Cognitum, & à Senatu perhonorificè ſuſceptum; Othone Imperatoris filio navali prælio à Venetis victo, captoque, Fridericus pace factâ ſupplex adorat, fidem & obedientiam pollicitus.*

Ita

Ita Pontifici ſua dignitas, Venetæ Reipublicæ beneficio, reſtituta. Hoc igitur minimè negant, tanquam frequenter fieri ſolitum & ab aliis.

Sic enim *Lotharius Saxo*, cum coronam acciperet, *ad pedes* ſe *Pontificis* abjecit, & ob id Romaniſtæ poſt ejus diſceſſum in *palatio Lateranenſi* picturam cum hâc inſcriptione poſuerunt:

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores:
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

ut eſt apud *Radevicum lib. III. c. 10.* Eodem modo *Carolus VIII. Galliarum Rex* pedibus *Alexandri VI.* advolutus, eosq́; oſculatus eſt; tum & *miſſam celebranti miniſtravit aquam*, ut eſt apud *Guicciardinum lib. II.* Eundem honorem *Carolus V.* habuit *Paulo III.* de quo proindè carmen hoc extat:

E Lybiâ advenit Romanas victor in arces
Cæſar, & in niveis aureus ivit equis.
Ille triumphavit: Sed tu plus, Paule, triumphas:
Victor namque tuis oſcula dat pedibus.

Simile eſt, quòd alii *pedites* inſervierunt *ſtratoris officio*, ac lævâ dextraq́; *frænum equi Pontifici tenentes*, eum per urbem magnâ cum pompa deduxerunt. Imò, quod ipſum *Fridericum* feciſſe jam à *Sigonio* diximus. Antichriſticum quidem hoc, & contra humillimi Salvatoris & Apoſtolorum omnium praxin; ſed ex eo concludere non poſſumus, factum etiam id, quod *Aventinus*, *Baronius*, *Rittershuſius*, *Remus & Berneggerus* negârunt. Sunt enim longè diverſiſſima: Grave, *proſtratum ante pedes ſervi jacere Dominum*; ſed longè gravius, eundem *calcare Domini*

collum; & inſultare præterea ex Pſalmo, comparare (tot millibus audientibus) cum aſpide & baſiliſco, & leone & dracone.

Ait quidam vir magnus, plus quàm probabile, Pontificem, qui ab Imperatore poſtulavit, ut cervicem ſuam Principi Apoſtolorum Petro flecteret, poſtmodum collo ejus pedem impoſuiſſe, additis verbis: *Et mihi & Petro.* Sed profectò fallitur, ſi credit, hæc tam facilè admitti à cautioribus Hiſtoricis; nam hi *non* attendunt, *quid fieri potuerit*, *ſed quid factum ſit.* Et ſi usquam, hîc locum habet illud Philoſophorum: *à potentiâ ad actum nullum eſſe conſequentiam.* Niſi, inquam, genuina monumenta ſtatuant hoc factum, factum dicere non ſuſtinent; etſi fieri potuerit.

Denique quicquid affertur argumentorum, à ſilentio petitorum, vir maximus convelli poſſe putat ex eâ ratione, quam *Ranulphus in Polychronico* reddit in ſilentio Scriptorum de Johannâ Papiſsâ: *Propter deformitatem facti, hæc hiſtoria*, inquit, *ab aliis eſt omiſſa.* Verùm longè diverſa hîc ratio eſt. Illud alterum, quod *Ranulphus* cum aliis refert, in verum ruborem dedit omnes; nemo non dedecoris agnoſcebat magnitudinem: Hoc verò Alexandri III. ſi verum fuiſſet, non erat, cur ob deformitatem ſilerent; loquor ex Pontificiorum mente. Nam ex quo Hildebrandus potentiæ Papalis adſtruendæ ergò cœlum terræ miſcuit, jura divina atque humana ſusque deque habuit, jamq; omnis conſumtus fuit pudor; inſolentiſſimum adverſus Fridericum facinus, nec ipſe, qui commiſiſſe dicitur; nec alii dubitâſſent narrare; ſed

ſed & inſuper, ut alia, viribus omnibus propugnâſſent.

Certè de *Baronio* ſic judicat *Caſaubonus* in Prolegomenis: *Fateor*, inquiens, *non probari Baronio in anno 1177. quòd Alexander III. Friderici Imperatoris, proſtrati ad pedes ſuos, cervices pede preſſerit, & calcaverit. Sed addo: Propterea de illo facinore fœdo liberiùs ab eo pronunciari, quia non putavit eſſe veram hiſtoriam. Nam ſi putâſſet, rem geſtam fuiſſe, laudâſſet procul dubio, non reprehendiſſet. Quare enim Alexandrum III. vituperaret, pedibus Imperatorem ſuum calcantem; quia Cæleſtinum III. pedibus ignominioſiſſimè & nequiſſimè ludentem coronâ Imperatoriâ, non veretur laudare, & factum tam immane defendere?* Et cogitet hîc vir magnus, quòd ipſe ſcripſit, teſtes ſuos, quos produxit, *Pontificiæ religioni* fuiſſe omnes addictos. Fuere certè monachi, præpoſiti, ſacerdotes; quos quis credat pro dedecore habuiſſe, quod narrârunt? Narrârunt potiùs in ipſius Pontificis honorem, ut ejus auctoritatem & eminentiam ſupra Imperatorem huic negotio inædificarent. Non igitur hæc ſilentii cauſa, quam dedit vir clariſſimus.

Et hæc ſunt, quæ pro defenſione meâ afferre debui; quibus ſi quid contra *virum benè meritiſſimum* miſcui, id ſine livore, ſine felle dictum accipi volo; veneror enim, ut par eſt, heroem illum, cujus laudes ſilere præſtat, quàm paucis dicere; licet nec multis opus ſit. Satis enim loquuntur ſcripta, cum Eccleſiâ in his terris duratura. Quicquid fecimus, ex reipublicæ literariæ privilegio fecimus; in quâ *ſentire, quæ velis,*

& quæ

& quæ ſentias, dicere licet; verbis *Taciti lib.* I. *Hiſt. c. 1.* Ex eo multi à ſanctiſſimis Patribus diſceſſionem hodiè fecerunt, & eorum etiam in hiſtoricis hallucinationes pueriles vocare auſi ſunt. Vide, quæ collegit *Reineſius de Lingua Punica c. 13.* Quamvis enim *Baronius* alicubi hoc agat, ut Eccleſiam Catholicam philologicarum quæſtionum & controverſiarum conſtituat Judicem ſupremum; tamen ei ſapienter *Caſaubonus Exerc. XIV. p. 239.* reponit: *Scio, Eccleſiam Dei eſſe columnam, & firmamentum veritatis; ſed illius utique veritatis, quæ ſcripturis divinis continetur declarata, in qua ſalus eſt æterna poſita; quæ conſtans eſt, certa, immutabilis, æterna; quam negare, hæreſin eſt committere: In iſtis philologicis quæſtionibus nulla verſatur hæreſis, nulla abſoluta neceſſitas vel ſic vel aliter ſentiendi.*

Cæterum alteri, cui nos in *Altorphinâ* noſtra ſaltem pepones ac fungi ſumus, ſi ex ſententia nòn ſumus locuti; hunc ego cogitare velim, quod *Scaliger ep. I.* dixit: *Contumelias homines probos & conſtantes non labefactare quidem; tamen concutere, ac ſomnos rumpere; ut culex ſtridens, aut mus leonem expergefacit.* Vos quod attinet, qui alium hâc in re audire mavultis, quam me; nihil moror. Quî enim hoc moleſtum mihi ſit, qui niſi ratio veterum lectorum reddenda fuiſſet, de hâc controverſiâ non vertiſſem manum. Sed id tamen moneo, ne faciles ſitis in accipiendis omnibus, quæ in *Archivis* reperiri dicuntur; ſuperſunt enim in Æneæ poſteris, ut multi boni viri, ſic etiam nonnulli, qui *Transalpinos* putant carere judicandi facultate.

Audio

Audio *Fortunatum Olmum* extare, qui rem ex monumentis & Archivis reverà factam aſſerat; quem ego nondum vidi, licet aliquot locis ſollicitè requiſiverim. Valdè vereor, ut meliora proferat quàm *Hieronymus Balbus*, quàm alii. Cogitate, quid in eorundem temporum ejusdem anni, ejusdem nationis & perſonarum hiſtoria factum ſit! Commemorabant nobis ex Archivis & annalibus reipublicæ Venetæ, Alexandrum III. Pontificem poſt illuſtre prælium navale, quo *Sebaſtianus Zianus Othonem*, Friderici filium ſuperavit, cepitq;, eundem Ducem humaniſſimè complexum, victoriamq; gratulatum; inde ei *annulum aureum* porrexiſſe cum his verbis: *Accipe, Ziane, hunc annulum, & me auctore hoc mare tibi Venetiæq; obnoxium deſponſato; quod & tu & futuri Principes quotannis ſtato die in perpetuum ſervabitis.* Inter eos, quòd mirere, fuit ipſe *Petrus Juſtinianus*, cujus nomen velut horribilem Gorgona nobis obvertere auſi ſunt.

At paucis abhinc annis edidit *Joſephus Laurentius libros Polymathiæ*, in quibus hoc falſum eſſe edocet; & ad *Dominici Molini*, Patricii ac Senatoris Veneti, auctoritatem provocat. Verba ſunt *lib.1.c.2.* illius: *Incorruptiora ſereniſſimæ reipublicæ monumenta, quæ tibi, Senator Ampliſſime, aquilæ in nubibus, probè cognita, planeq; perſpecta ſunt, multò antè, quàm in urbem veſtram ſe reciperet Romanus Pontifex Alexander, deſponſationem iſtam celebratam, tradunt. Habent illa ſcilicet, tum primùm eam celebrari cœptam, cùm primùm armis incincti majores veſtri clariſſimi, iidemq;*

for-

fortiſſimi viri, Adriatici maris imperii jure belli æquiſſimo potiti ſunt. Quod tunc temporis accidiſſe conſtat, cum totum illum maris tractum deſertum ab omnibus ob imperii lapſum, ſolisq́ piratis pervium ſic arma Veneta repugnârunt, ut tutam in eo præſtiterint; cunctisq́ patentem ac liberam impoſterum navigationem. Quod cum Romani Pontifices, Cæſares etiam ipſi, aliiq́ terrarum orbis Principes cognoviſſent, & id ipſum rectè factum confeſſi ſunt, & apertè ſemper & candidè comprobârunt. Hæc ille. E quibus manifeſtum eſt, ſæpè magnis viris impoſuiſſe annales vel corruptos, vel non vetuſtos admodum. Et ob id clypeum non ſtatim abjicio, ſi quis contra me Archivorum & monumentorum nominibus ipſo ſono tremendis ſubfarcinatus incedat.

Sed nunc abiturientem neſcio quis inſequitur à tergo: Heus tu, quid de auctoribus ſentias, audivimus; de *pictura Veneta* in conclavi, quòd dicitur *Il granconſiglio*, ne verbulum quidem; hoc potiſſimum eſt, quod urgemus. Agnoſco, me oblitum eſſe dicere, quod volebam ſuprà. Igitur de *pictura* ſic habe, fuiſſe ejus uſum apud veteres ad propagandam rerum memoriam (*Caſaubonus ad Spartianum p. 124.*) ſed tamen, ut poëma, pio fallaci & lubrico argumento ſemper habitam. Nam pictores haud pauciores fabulas dedêre, quàm ipſi Poëtæ. De *Marco Valerio* Romani Scriptores ἀπὸ μιᾶς ſcribunt, auxilio *corvi* viciſſe pugnâ ſingulari *Gallum*; quos decepiſſe pictores, qui *Valerium* pinxerunt, *galeam* geſtantem, *cui corvi ſignum* ſuperadditum, docet *Voſſius lib. I. de Idol.*

cap.

cap. 27. A *pictoribus* dependent omnes *mythologiæ*, & falſus de Diis ſenſus; ut *Joſephus* docet *lib. II. contra Appion.* Nec dubito, quin pictores *Guelficæ factionis*, fallacis iſtius famæ de *calcato Cæſaris collo* potiſſimi auctores ſint. Id olim dixeram & poſteà in literis, quas ſupra laudavimus, nobis acceſſit *Reineſius*.

Homines belli & feſtivi *picturam* quandam *Byzantinam*, quæ explicaverat miſerabile fatum *Abſimari* & *Leontii*, conſpexerant; &, neſcio quàm convenienter, transtulerunt huc. Sic enim *Siffridus* in A.C. 689: *Utrumq;* (Abſimarum & Leontium) *cepit* (Juſtinianus Imperator) *& eorum corda calcavit, populo acclamante: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis! & ſic decollati ſunt.* Extat etiam *Heraclii* numus, quem quondam ita dederunt Lipſius *lib. III. de Cruce c. 16.* & *Octavius à Rosberg, p. 270.* ut verba non ſatis intelligas; dabo hîc magnam partem integram. In alterâ parte conſpicitur *Heraclii caput*, & cicrumſcriptum eſt: ΗΡΑΚΛΕΟΣ. ΕΝ. ΧΩ. ΤΩ. ΘΕΩ. ΠΙΣΤΟΣ. ΒΑΣΙ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟ. ΡΩ. ΝΙΚΙΤΗΣ. ΚΑΙ. ΝΟΜΟΘΕΤΗΣ. ΑΕΙ. ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ. Id eſt: *Heraclius in Chriſto Deo fidelis Rex & Imperator Romanorum, victor & legislator ſemper Auguſtus.* In medio: ILLUMINA VULTUM TUUM DEUS. Et in luna: SUPER TENEBRAS NOSTRAS MILITABOR IN GENTIBUS. Altera pars repræſentat *Heraclium, currui triumphali inſidentem*, & in medio ſcriptum: ΔΟΞΑ. ΕΝ. ΥΨΙΣΤΟΙΣ. ΧΩ. ΤΩ. ΘΕΩ. ΟΤΙ. ΔΙΕΡΡΗΞΕ. ΣΙΔΙΡΑΣ. ΠΙΛΑΣ. ΚΑΙ. ΕΛΕΥΘΕΡΩΣΕ. ΤΗΝ, ΑΠΑΝ. ΒΑΣΙ, ΙΡΑΚΛΕ. Id eſt: *Gloria in altiſ-*

ſimis

ſimis Chriſto Deo diſrupit, ferreos poſtes, & liberavit ſanctum regnum Heraclii. Circumſcriptum: SUPER ASPIDEM ET BASILISCUM AMBULAVIT, ET CONCULCAVIT LEONEM ET DRACONEM. Qui numum habet, ſciet, quid à nobis præſtitum ſit, ι pro η in σιδηρὲς, item ι pro υ in πύλας, ἐλδιθέρωσε pro ἠλδιθέρωσε. Stupebunt, qui hujus ævi monumenta viderunt nunquam.

Sed ad rem: Ex his cognoſcimus, verba Pſalmographi temporibus illis pro *triumphalis acclamationis formula*, tum recepta, in hoc etiam negotio per *adulationem* & inſolentiam *Italorum*, addita picturæ; qua Fridericus Alexandri pedibus advolutus conſpiciebatur. Sed, ait nonnemo: Nobiliſſimam Venetorum remp. tragœdiam iſtam ſolenni & publica picturanon fuiſſe exhibituram, niſi à ſe reverâ fuiſſet ſpectata. Miror tantas ceremonias & elegantias erga illuſtrem rempublicam Venetam. Eam, uti quoque res in communem hoſtem fortiter geſtas, & ſapientiſſimam gubernandi rationem debitâ obſervantiâ proſequor; ita rurſus ſcio fuiſſe *Friderici hoſtes*, fuiſſe *victores.* Da mihi victorem quamvis modeſtiſſimum, qui nullum additamentum victoribus indulgeat. Romani, qui modeſtiſſimi videri volebant, qui vim fortunæ reputare ſe dicebant, & omnia ſubjecta eſſe mille caſibus; quid non permiſerunt in urbe ſuâ? loquitur hodieq; Roma, quamvis ruinoſa. Lepidum eſt, quod de *Attila* ſcribit Suidas: *Mediolano capta, cum vidiſſet depictos Romanos Imperatores in thronis ſedentes, Scythas antem interfectos, & ad pedes ipſorum proſtratos;*

ſtratos; pictorem quærens, juſſit loco interfectorum pingi Romanos Imperatores, ſacculos ferentes, & aurum fundentes ad pedes ipſius. En, mi homo, hæc fiunt in picturis.

Henricus VI. Friderici Ahenobarbi filius, ante ſuſceptam *expeditionem Aſiaticam*, Rex inauguratus, *cum uxore* Imperator Auguſtus coronatur Romæ A. C. 1191. Manibus *Cæleſtini III.* mortuo *Wilhelmo*, Rogerii filio, *Apuliam* & *Calabriam* & *Siciliam* recepit A. C. 1193. *Jordano*, Siculorum nobiliſſimo, reo ambitus, *diadema regium clavis in verticem ſuffixit*, acerbè cavillatus, compotem eum voti factum; & amittendæ, cui tam imprudenter inhiârit, *coronæ ſecurum*; & quæ alia refert *Brunner. lib. XIII. pag. 588.*

Expeditionem *ſacram* ſuſcepit, exercitu valido in Palæſtinam miſſo, anno 1197. Sed cum res Chriſtianis jam ex voto ſuccederent, repente afferuntur ferales literæ de morte Henrici Imperatoris; quæ accidit in A. C. 1197. ad diem 3. Cal. Octobr. Alii ab *uxore veneno* ſublatum, alii *inter venandum* morbum contraxiſſe, volunt.

Ejus elogium hoc eſt apud *Brunnerum p. 591.* dicto loco: *Maximi animi Princeps, & Germaniæ imperium, ſi vita longior obtigiſſet, in eodem gloriæ faſtigio repoſiturus; quo Caroli M. immortali virtute aſcenderat. Jam Orientem quoque ſui nominis fama compleverat; quicquid terrarum inter Epidamnum & Theſſalonicam intereſt, ab Alexio Comneno auſus repoſcere; & ſi pacem vellet, eidem imperare tributum,* Ale-

mannicum *ab indignabunda Græcia dictum*; *ad cujus ſummam conficiendam neque Regum tumulis Alexius pepercit*. Summum reipublicæ ſtudium *Nicetas Choniates* in eo cõmemorat, cui *dies totos* ita impenderit, *vix ut ſpatium curandi corporis* ſibi relinqueret; *raroq́, prandentem* quisquam videret: Quas tam ſobrias ejus curas cum interpolare amici conarentur, *importunos invitatores* planè regiâ ſententiâ refutavit; *homini privato nullum eſſe intempeſtivum convivium*, dictitans; *Regibus, ſi ſuo ſatisfacere nomini velint, ſatis eſſe debere, ſi eos reſp. à ſe ad cœnã dimittat.*

PHILIPPUS, Henrici VI. frater, tutor Friderici, quem Henricus pater quadrimum reliquerat A. C. 1198. a. d. 8. Id. Mart. oblatum ſibi *Imperatoris* nomen acceptavit. Sed adverſa factio, cui Pontifex favebat, *Othonem Saxonem* creavit: Exin bellum; donec ita inter ſe paciſcerentur, ut quandiu ſuperſtes *Philippus* eſſet, titulo *Regis* abſtineret *Otho*. Interfectus eſt Philippus 10. Cal. Jun. A. C. 1208. ab Othone Wittelsbachio.

OTHO, Henrici Leonis F. Henrici N. Henrici Nigri pronepos, Guelfi abnepos, Azonis Eſtenſis atnepos (ut eſt apud *Chytræum in Saxonia, p. 55.*) ſive à *Witichindo Magno* oriundus; ut in *Brunſvicenſium* & *Luneburgenſium* Annalibus, Saxoniæ Dux ex pacto ſuccedit, & Romæ coronatur A. C. 1209. A Pontifice anathematis vinculo innodatus eſt. *Brunner. lib. XIII. p. 629.* ſcribit, Divi Petri patrimonium violare auſum: *Petavius*, contra datam fidem Romana jura violaſſe. Sed, ut alii Imperatores, ſic

Otho

Otho jure optimo repetebat *Mathildis Principatum*, conjugis *Conradi*, filii Henrici IV. dolis Pontificiis interceptum; cum bellis arderet Germania. Vid. *Matth. Pariſienſ. A. C. 1210.* Obiit hic Imperator *dolore tabeſcens*; cùm *contra eum* electus eſſet *Fridericus* A.C. 1216. ſive, ut alii volunt, A. C. 1218.

FRIDERICUS II. Henrici VI. F. Friderici Ahenobarbi N. *Siciliæ & Apuliæ Rex*, contra Othonem a. d. 8. Cal. Aug. A. C. 1216. inſignia imperii Germanici *Aquisgrani* accepit; mortuo Othone, Romæ quoque coronatus eſt, anno 1219. circa *S. Cæciliæ* feſtum *diem*. Cum *Lombardorum* & *Saracenorum* impeditus turbis, expeditionem ſacram abſolvere non poſſet; *Honorius* Pontifex omnia dira coquere cœpit. Paratus ad id, quod volebat Papa, *Veronenſes* rebelles obſtant; quos Papa *excommunicat*. Sed mox Veronenſibus iisdem ac Lombardis ſe adjungit, conjuratq; ſummo ſcelere in Fridericum.

Mortuo Honorio, ſuccedit *Gregorius IX.* qui excommunicationis fulmen in Fridericum torquet, tanquam voti ſacri reum. Hoc volebant illis temporibus bipedum nequiſſimi, ut Imperatoribus Germanicis ad remotas orbis partes, velut in exilium transmiſſis; & *ſpe religionis* (ut *Tacit. lib. XIV. Ann. c. 31.* loquitur) *omnes fortunas ſuas effundentibus*, ſive ut *lib. II. Ann. c. 5.* dicit idem, *caſibus ſimul ac dolo objectatis*; ſuas interim veteratorias artes domi liberè citraque ullius contradictionem exercere poſſent. Et vide mihi *ſcelus Pontificis!* Trajicere volentem in *Palæſtinam* Imperatorem, rurſus inhibet; minimè ex dignitate

Auguſta inſtructam claſſem objectans. Ille nihilominus inſiſtit cœpto, & rem in *Palæſtina* feliciter gerit; *Hieroſolymam*, *Bethlehemum* & *Nazaretham* reddere cogit.

Dum Imperator adeſt, Pontifex ejus ſubditos ad defectionem ſolicitat. Sic ille ſua repetere coactus, perfidos ſternit & profligat, *Gregorium* Pontificem ingenti *pecunia placat*; & à ſuis pulſum nullo non officii genere proſequitur. Sed pecuniam & omnia perdidit: Eum enim Pontifex, cùm potuit, in omnibus æquis conatibus impedivit. Fridericus victis *Lombardis*, domitis *Mediolanenſibus*, *Sardiniam* quoque ab antiquo Siculis Regibus obedientem ſubegit; quam cum Pontifex Eccleſiæ reddendam diceret, nec obediret Fridericus, eum diris devovet; & totum orbem literis ſolicitat. Tum exorti magni tumultus inter *Gibellinos* & *Guelfos* paſſim in *Italia*. Imperator, fortuna uſus, *omnes Pontificis molitiones eluſit, aut oppreſſit*; eoq́; deſperationis adegit, ut *morbo ex dolore* contracto extingueretur.

Succedit *Innocentius IV.* & ipſe Friderico inimiciſſimus. Sic continuata bella, & inter hæc Chriſtianus orbis paſſim à *Saracenis*, *Turcis*, ac *Tartaris* miſerè laceratus eſt. *Innocentius* Italia pulſus, in *Galliam* profugit; ibiq; lectis *novis Cardinalibus*, & indicta ſynodo, Imperatorem è cœtu Sanctorum excludit; mandatq; Principibus, ut novum Imperatorem creent. Fridericus in contemptu ſe eſſe animadvertens, offert conditionem Papæ; ſe, ſi abſolveretur, *perpetuum in Palæſtina bellum* geſturum; quam ille alto ſupercilio

percilio repudiat. Coactus Imperator vim vi repellere, *ſicarios à Pontifice immiſſos* ſupplicio afficit: *Henricum Landgravium Haſſiæ, Pontificium Imperatorem*, per Conradum filium vincit; theſauros à Papa, *Wilhelmo Hollando* ſubmiſſos, intercipit; ſed cum & ipſe inſolentiùs ageret, editis paganorum in morem impiis ſpectaculis, & conſumptis per luxum inanem opibus; etiam fortuna mutavit vultum. *Thaddæus* in obſidione *Parmæ* relictus, occiſus; copiæq; Cæſarianæ cum ingenti ſtrage repulſæ. Eadem ferè conditio exercitus, ſub *Conrado*, Imperatoris *filio*, contra *Wilhelmum* miſſi. Nihilominus & ab his cladibus revaluit. Feſſi diutino bello, qui Papæ adhærebant, *Galli, Veneti*, & alii, Papæ denunciant, cum Friderico in gratiam rediret. Contumax pellitur à ſuis: Ipſe verò Fridericus mox deceſſit, d.18.Oct. anno 1250.

CONRADUS IV. Friderici II. F. à patre adhuc vivo *Rex Romanorum* ac *Siciliæ* creatus fuit. Quem *Jeſuitæ* in ſcriptis ſuis *è catalogo Imperatorum expungunt*, quia legitimus illis non eſt, quem Pontifex non approbavit. Hic domitis *Neapolitanis*, & eorum disjectis mœnibus, *utrâque* potitus *Siciliâ*, à *Manfredo* fratre, Friderici ſpurio, *veneno necatus* eſt, anno 1254. *Chriſti in cœlum aſcendentis* pervigilio. *Pater* eſt *infelicis* illius *Conradini*, quem *Carolus Andegavenſis*, Pontificis favore *Rex Siciliæ* ſalutatus, in urbe *Neapolitana*, una cum *Friderico Auſtrio* carnificis gladio ſubjecit. *Fœdiorem ſcenam* inter Chriſtianos *nulla tyrannis* ſtruxit, quam fuſè deſcribit *Brunn. lib. XIV. p. 820. usq; ad p. 836.* Breviter *Lipſius lib. II. Mon. & Exempl. Polit. c. 14.*

WILHELMUS, Florentii, *Hollandiæ Comitis*, F. Wilhelmi N. Florentii pronepos, Theodorici abnepos, Florentii atnepos, Theodorici trinepos (*Vide Scriverium in Batavia illuſtrata*) Romanorum Imperatorum contra Fridericum II. & Conradum IV. creatus *Aquisgrani*, A. C. 1248. periit, *Friſiorum inſidiis* exceptus anno 1256. circa Cal. Febr. Eo mortuo, diſtractis Germanorum Principum ſtudiis, anno 1257. alii *Richardum Anglum*, Romanorum Imperatorem renunciant; alii *Alphonſum* Caſtellanum. *Fœdum, & Germanico nomini univerſo ignominioſum, ſummum gentis noſtræ unicumq́; decus (cui tutando poſt opes viresq́; etiam ſanguinem impendere æquum erat) velut venale exterorum gratiæ vel pecuniæ addici; quaſi ex nobilitate patria dignum aut par imperio caput nullum emineret: Niſi infidentia potius fuit, æqualibus de gloria concedere, aſpernantium minore verecundia, ſi alienigenam ſibi alienatum vidiſſent:* Quæ ſunt verba *Brunn. lib. XIV. p. 791.* Alphonſus ſolo *contentus* imperii *titulo*, ex Hiſpania pedem non movit; ut auctor eſt *Trithemius.* Obiit A.C. 1309. Oriundus à *Ximeno*, Rege Aquitaniæ. Nam *Ximeno* natus *Junicus Ariſta*, Rex Suprarbienſis, Junico *Garſias*; qui obiit anno 885. Garſia *Santius Abarca*, primus Rex Arragoniæ; Santio *Garſias I*; Garſia I. *Santius II.* Santio II. *Garſias II. Tremulus*; Garſia II. Tremulo *Santius Magnus*, vel, *Major*, Hiſpaniæ Imperator; Santio Magno *Ferdinandus Magnus*, primus Rex Caſtellæ; Ferdinando Magno ALPHONSUS Imperator Romano-Germanicus; ut ex *Hieronymo Blanco, Cæſarauguſtano,*

guſtano, & auctoritate *Tabularum vetuſtiſſimarum* docet *Caſpar Schoppius in Stemmate Auſtrio Tab. II. & III.* Sed RICHARDUS Anglus, Johannis Regis Anglorum & Eliſabethæ F. Henrici Regis N. Mathildis proN. Henrici I. Angliæ Regis abN. Wilhelmi I. Conquæſtoris Regis Angliæ atnepos (ut ex *Henrico Savillo* & *Johanne Speedo* conſtat) *Francofurtum* advolans, ibiq; ritè imperium auſpicatus, effuſis per luxum opibus, in contemptum venit eorum, à quibus accitus erat. Itaque in *Angliam* è veſtigio *rediens*, vacuum Germaniæ reliquit imperium; diuque *interregnum* fuit.

RUDOLPHUS I. poſt interregnum Imperator Romanorum deligitur a. d. 4. Id. Oct. A. C. 1273. (*Sigonius lib. XX. de Regno Italiæ p. 111.*) *Habsburgicæ gloriæ Atlas*, tot Cæſarum, Regum, Principumq; parens; ut vult doctiſſimus antiquitatum indagator, *Franciſcus Guilimannus* in libro, quem *Habsburgica, ſive, de vera & antiqua origine domus Auſtriacæ*, inſcriptum *Mediolani* edidit. Genus Rudolphi fuit hoc: *Wilibaldo* Patricio, ſeu Præfecto minoris Burgundiæ nobili ac divite (ut ſcribit *Aimoinus A. C. 636.*) genitus Otbertus Comes Vindoniſſæ & Altenburgi; *Otberto* Ambertus, ſive Ambrinctus, conditor Ambringensburgi in Alſatia, *Amberto* Hettobertus; *Hettoberto* Rambertus; *Ramberto* Guotramus I. conditor arcis Scharffſtein/ in valle Trutbentina; *Guotramo* Luitfridus I. *Luitfrido I.* Luitfridus II. *Luitfrido II.* Hunifridus, *Hunifrido* Guotramus II. *Guotramo II.* Landolus, vel Lanzelinus; *Landolo* Ratbotus Comes;

Ratboto & Ita Lotharinga Wernerus Pius, *primus comes* Habsburgi; *Wernero Pio* Otho, Comes Habsburgi; *Othone* Wernerus II. *Wernero II.* Wernerus III. *Wernero III.* Adalbertus; *Adalberto* Rudolphus; *Rudolpho* Adalbertus II. *Adalberto II.* RUDOLPHUS, primus hujus nominis Romanorum Imperator. Hic *Ottocarum*, Bohemiæ Regem, rebellantem prælio vicit. A. C. 1278. Ab Italicis civitatibus pro libertate conceſsâ pecuniam accepit. *Sigon. lib. XX. de Regno Italiæ p. 125.* eâ de re colligit, quæ *Blondus*, *Platina*, *Sabellicus*, *Trithemius*, *Cuſpinianus* & *Cranzius* ſcribunt. *Hoc* igitur *tempore* Regnum Romanorum *in Italia defecit*, ut cenſet *Idem*. Quicquid Rudolphus fecit, *ſcelere Pontificum coactum*, & moleſtias, quas deceſſoribus ſuis exhibuerant, reformidantem feciſſe, ſtatuimus cum *Berneggero in Tuba pacis. p. 193.* Romam evocatus ad coronam imperialem accipiendam, comparere noluit; publicè novas ſemper occupationes cauſatus; apud amicos verò minimè diſſimulans, ideò ab hoc itinere ſe deterreri, quod *Cæſarum in Italiam veſtigia* læta, magnifica, bonæ ſpei plena: *Ex Italia* verò redeuntium triſtia, miſera, luctuoſa eſſent, *ibid.* Obiit A. C. 1299. prid. Cal. Octob. 2. *Germershemi*, ut ſcribit *Albertus Argentinenſis*; ſive ut alii 18. Cal. Auguſti. „Nullius pænè ex „Heroibus nomen in vulgus notius, aut in benigniore fama eſt, quàm hujus.

ADOLPHUS *Naſſovius*, Romanorum Imperator, creatur A. C. 1292. miro aſtu *Gerhardi Moguntini Antiſtitis*; quem deſcribit *Brunn. lib. XV. p. 927.* Nam

Nam cum deſperaret, aperta prenſatione conciliari ei ſuffragatores poſſe; eandem in ſingulos fallaciam, ſed aptiſſimam verſandis animis intendit; *ſuum cuiq; æmulum*, velut imminentem imperio, *objiciens*; unamque *excludendi ejus ſpem* oſtentans, *ſi Adolpho faviſſent*: Et Trevirenſi quidem *Geldrum*, Saxoni *Brunſvicenſem*, Ludovico Bojo *Bohemum* oſtentavit; ingrata nomina, quorum odio Adolphus emerſit; eâ unâ re commendatus, quod cum inviſiſſimis eſt compoſitus. Genus hujus *carmine heroico* deſcripſit *Hugo Grotius*, & ſic habet: *Walravus*, qui vixit temporibus ſecundi & tertii Imperatorum; iisdemq; ſtrenuam in bellis contra *Gallos* & *Bohemos* operam navavit, reliquit filium cognominem *Walravum II.* hic *Robertum*; Roberto genitus *Walravus III*; Walravo III. *Henricus*, Comes in Naſſau: Henrico *Otto*; Ottone *Henricus II.* Henrico II. *Walravus IV.* in Weilburg: Hic Adolphus Imperatoris pater, qui propter ſordes & ambitionem ſuis faſtiditus, & 9. Cal. Junii A. C. 1298. in ordinem redactus eſt, ſubrogato *Alberto*, Rudolphi filio; contra quem *Adolphus* commiſsâ *acie ad Wormatiam interficitur* 6. Non. Julii anno eodem. Pugnam eleganter deſcribit *Brunn. d. l. p. 980. 981. 982.*

ALBERTUS *Auſtrius*, Rudolphi I. Imperatoris ex Anna Sueva filius, A. C. 1300. *in agro Spirenſi Adolphum graviſſimè ſauciavit*; ut ſcribit *Beſoldus*. Sed primum labitur in anno 1298. 6. Non. Jul. ut dixi. Conſulendi *Siffridus* & *Albertus Argentinenſis*. Secundò diſſentiunt in vulnere alii, *Brunn. lib. XV.*

p. 982. Adolphus in ipſum Albertum ferebatur; quem ut eſt aſſecutus: *Pone*, inquit, *furtivum decus prædo coronæ noſtræ!* Simul intentantem ferrum Albertus occupat; arbitrumque litis invocans Deum, ſecundum *oculum* levi Adolphum *vulnere* perſtrinxit. Comites deinde ſylveſtres coorti, *ſucciſis equi poplitibus*, reſupinatum *jugularunt.* Tertiò malunt alii *Wormatienſem* agrum dicere; in quo depugnatum eſt. *Idem p. 979.* ſic ſcribit: *Ad manus in agro Wormatienſi non procul Gillenhemio ventum eſt; Albertus, cùm pro more electionis ſuæ confirmationem à Bonifacio VII. Pontifice per Oratores peteret, Sanctus pater accinctus enſe, coronaq; imperiali ornatus, in publicum prodiens proclamat: Ego ſum Cæſar ac Pontifex! atque indignabundus electionem, quippe quæ ſine ſua auctoritate facta eſſet, negatâ confirmatione, frivolam ac nullam pronunciat. Albertũ opprobrio contumelioſo homicidam appellans.* Tamen poſtea, graviſſima inter *Pontificem*, ac Galliæ Regem *Philippum* exorta cõtroverſia, Imperatorẽ approbavit; ut ex *Cuſpiniano in Vita Alberti I. Crantzii Saxonia lib. VIII. c. 36. Platinæ in Bonifacio VIII. Paralipomenis Urſpurgenſis, & Blondi decad. II. lib. IX.* docet *Berneggerus in Tuba pacis, p. 794.*

Trucidatus eſt hic Imperator à *Johanne*, Rudolphi Sueviæ Ducis (qui Alberti frater germanus erat) filio, Cal. Majis A. C. 1308. *inaudito* apud Germanicas nationes *parricidio.* Cauſa hæc fuit: Educatus inter Alberti liberos, cum ætate ſibi ad res gerendas idoneâ videretur, dimitti ſe in paternum Principatum æquum cenſebat. Patruo in producendis exornandisq;

nandisq; filiis ſuis occupato, neglectui eſſe ſe, hærere in regia, ſtipare latus ingratam vilemq; umbram; quaſi terræ filius, & in nullius hæreditatis ſpem genitus foret. Animi ægrum factioſi nonnulli, Alberto privatis nominibus infenſi, eò furoris egerunt, ut niſi in memorabili ſcelere, ſpem ſibi ſitam nullam exiſtimaret. *Brunn. d. l. p. 1014.*

HENRICUS VII. Comes *Lüzelburgenſis*, Henrici Comitis Lüzelburgenſis, & Beatricis Comitiſſæ Hannoniæ F. Henrici Comitis Lüzelburgenſis, & Margaretæ Comitiſſæ Barenſis N. Walrami Comitis Lüzelburgenſis, & Ermeſindæ, Friderico Comite Lüzelburgico genitæ, proN. Henrici Comitis Limburgenſis, & Iſabellæ abN. Si *abaviæ* genus ſpectes, ab antiquiſſimis *Francorum Regibus* oriundus; ut fuſè docet *Joh. Bertelius in Hiſtor. Principum Lüzelburgenſium* (cautè igitur legenda, quæ ſcribit *Brunn. lib. XV. p. 1015.* virtutibus, quam genere clariorem fuiſſe) magna Electorum conſenſione ad imperium eſt vocatus, Cal. Nov. anno 1308. ut quidam volunt. *Cum Walramo* fratre profectus *in Italiam*, Mediolani *ferrea*, & Romæ per Cardinalem Oſtienſem, abſente Clemente Pontifice *aurea* corona fuit inſignitus, A. C. 1312. Contra Guelfos in Italiâ multum illi negotii fuit, ut teſtatur *Brunn. lib. XV. p. 1031.* cum Gibellinis, ut *Petavius.* Sublatus eſt à Bernhardo, *Dominicano monacho*; qui imbutum *veneno Euchariſticum panem* ægro porrexit, mortemq; cum vita propinavit; ut multi aſſerunt fide digni. Conſulendi *Blondus dec. II. lib. IX. Bohuslaus Haſſenſteniùs in lib. de miſeriâ humanâ.*

manâ, *Albertus Argentinenſis*, *Genebrardus*, *Joh. Nauclerus generat. XL. Aventinus lib. VII. Collenutius lib. V. Hiſtor. Neapolitanæ, Joh. Fontanus in Johanne XXII.*

LUDOVICUS IV. Ludovici Electoris Palatini, & ſuperioris Bavariæ Ducis F. Ottonis Electoris N. Ludovici Bavariæ Ducis & Electoris proN. Othonis Wittelsbachii cognomento Magni abN. A. C. 1314. 13. Cal. Nov. *quinque Electorum* imperii *ſuffragiis* Romanorum Rex eligitur; ut ſcribit *Chriſtoph. Gevvoldus in Genealog. Bojariæ Ducum.* Contra illum electus erat FRIDERICUS *Auſtrius*, cognomento *Pulcher*; Alberti Imperatoris & Eliſabethæ F. Rudolphi I. Imp. N. Sed *à Ludovico victus*, captusq; eſt. Fuit Ludovicus clariſſimus Heros, & meritò ſummis Imperatoribus annumerandus; cui ad omnium virtutum, magno Principe dignarum, cumulum *hoc unum* defuiſſe videtur, *quod lenius cum Pontificibus egit*, nimiaq; ſubmiſſione ſuperbiam eorum in ſe magis exaſperavit; ut cenſet *Bernegg. in Tuba pacis p. 224.* Qui res ibidem inter Imperatorem & Pontificem geſtas fuſiùs exequitur.

Breviter: Fuit *vexatiſſimus Princeps ab initio imperii ad finem usq;*. Imperator creatus miſit legatos *Avinionem*, ad *Johannem* XXIII. qui Pontifici electionem ſuam nunciarent; ac pro more ſolennem imperii inaugurationem poſtularent. Abnuit Pontifex primò, quod in diſcordia eſſet electus: Dein, quod *jus Pontificium per Italiam* uſurpaſſet, vicariosq; imperii urbibus impoſuiſſet; & ante confirmationem Imperatoria

toria munia obiiſſet: Quod denique hoſtibus Eccleſiæ *Gibellinis* ſuppetias tuliſſet. Ludovicus cum ex divini humanique juris ea ætate peritiſſimis intellexiſſet, acta & dogmata Johannis Chriſtianæ doctrinæ repugnare; *nec in temporalibus Imperatorem Papæ ſubjectum eſſe*, ad generale concilium appellat; appellationis formulâ omnes imperii fines promulgatâ. Cæterum literis & nunciis Romanorum (qui ipſi quoq; Pontificem, ut huic ritè electo, imperialia ſigna conferret, fruſtrà orarunt) *Romam* evocatus *Ludovicus*, Italiam cum exercitu petit; ac *Mediolani* primum ab *Archiepiſcopo* pro more coronatus, cum *rabiem Pontificis* nullis modis leniret, ſed manſuetudine exaſperaret potiùs; Romam profectus, juſſu totius Cleri ac populi à *Columnâ* Cardinali coronatur; & contra *Johannem Petrum Corbarienſem*, ex *Franciſcanorum* ordine, ad Pontificatum evexit; qui *Nicolaus V.* appellatus eſt. *Johannes* contra *Ludovicum* imperatoriâ dignitate dejicit, & excommunicat; qui cognita tanta hominis rabie in Germaniam Pontificis artibus variè turbatam redit.

Inter hæc *Johannes moritur*, & ſuccedit *Benedictus* XII. nihilo in Ludovicum benignior. Cenſuram enim Johannis confirmat, eumq; omni honore & *Ducatu Bavariæ privat*. Cæſar Principibus ac humanæ divinæq; ſapientiæ doctiſſimis quibusque *Francofurtum* convocatis, pro imperialis dignitatis aſſertione ſtatuit ea, quibus omnia ferè ſuperiora Pontificum acta atque decreta ad nihilum redigerentur.

Benedictum excepit *Clemens VI.* & ipſe diabolico

lico furore percitus in Imperatorem, foribus templorum affixis edictis, Imperatori graviſſimarum pœnarum ſupplicium comminatus; ni Eccleſiæ ſatisfaciat *intra triduum*. Exacto triduo, & nemine comparente, contumacem eum declarat; ac poſteà per Oratores veniam petenti cum oblatione, ſe omnia injuncta pro virili facturum; formulam reconciliationis duriſſimam præſcribit: Ut in ſolidum omnes errores & hæreſes confiteatur: Item *reſignet imperium*; nec *reſumat*, niſi hoc fiat, *de gratia Papæ*: Et ſe ac filios ſuos, & bona ac ſtatum ſuum in manus & *voluntatem Papæ* tradat; & multa inſolita faciat. Acceptavit has conditiones, ne viliſſimo quidem acceptandas, Imperator; ut contumacem curiæ Papalis honorem mitigaret. Sed Pontifex inſolentior factus, *alios articulos* aſſignat, ut decreta adverſus Johannem Pontificem retractet, acta reſcindat, opprobria recantet; *edicto perpetuo publicè ſanciat, imperium beneficium eſſe Pontificis; nec ante quenquam Cæſarem eſſe aut vocari, quàm ille auctor fieret, &c.* Indignati Germaniæ proceres, *Francofurti* conventu habito decernunt, hos *articulos iniquos* eſſe, & ad *imperii everſionem* ſpectare. Adhæc *auxilium Imperatori contra Papam pollicentur*. Sed Pontifex uſus *Archiepiſcopis* quibusdam, *mancipiis* ſuis, *Carolum* IV. eâ causâ Germanis Imperatorem Presbyterorum, Pfaffenkaiſer dictum, deſignat. Ludovicus Ordines imperii *Spiram* convocat, qui omnes & tuendum eum ſuſcipiunt; & Pontificis Caroliq; acta deteſtantur. Donec *tandem veneno* (ut *Paulus Langius in Chron. Citizenſi, Crantz. lib. IX. Saxoniæ,*

cap.

cap. 22. & Trithemius literis prodiderunt) interceptus ex *Clementis inſidiis*, beatam animam DEO reddidit; quod accidit d. 11. Oct. A. C. 1347. De his omnibus fuſè *Bernegg. in d. l.*

CAROLUS IV. natus patre Johanne, Bohemiæ Rege, Heinrici VII. Imperatoris filio, maternum genus *ab antiquiſſimis Bohemiæ Regibus* traxit. *Contra Ludovicum* à Principibus quibusdam *pecunia corruptis* creatus eſt A. C. 1346. Sed mortuo Ludovico, cum eum Principes agnoſcere nollent, *Gunthero, Comiti Suarzeburgico*, viro bellicoſo imperium detulerunt; quod non diu obtinuit, ſublatus *veneno*. Sic ad Carolum rediit favor. Romæ verò coronam accepit d. 5. Aprilis A. C. 1355. ac ſtatim ex *lege*, quam illi *Pontifex* dixit, Roma & Italia ceſſit. Maximum ejus opus aurea bulla, quod firmamentum & propugnaculum murusq; tranquillitatis & pacis in imperio ſemper fuit. Publicata eſt autem die 4. Id. Jan. A. C. 1356. *Norbergam* noſtram favore ſingulari complexus, & *civili diſcordia* concuſſam, reſtituit; juſſis remp. tenere *ſolis* Optimatibus, *qui ad noſtram ætatem usque* (ſunt verba *Pighii in Hercule Prodic. p. 89.*) *eam tàm æquo jure temperârunt, ut vix ulla memorabilis ſeceſſio, aut pernicioſa diſcordia in tantâ plebejorum hominum multitudine, ac gentium diverſitate ſuborta fuerit.* Hujusdem Caroli temporibus *Johannes Wiclef*, Anglus, multa ſcripſit contra receptas opiniones, ideoq; inter hæreſiarchas nominatus fuit; ut inquit *Beſoldus.* Nos ſcimus, ſcripſiſſe contra opiniones perperam receptas, piè ac Chriſtianè. Vide *Actiones*

& Mo-

& Monumenta martyrum eorum, qui *à Wiclefo* & *Huſſo* ad annum 1560. in Germaniâ, Galliâ, Britanniâ, Flandriâ, Italiâ; & ipſa demum Hiſpaniâ veritatem Evangelicam ſanguine ſuo conſtanter obſignârunt, *edita Genevæ à Johanne* Criſpino *anno 1560.* Obiit Carolus d. 29. Nov. A. C. 1378.

WENCESLAUS, Caroli IV. F. cum pater magna *pecuniæ vi* ſeptemviralia *ſuffragia* emiſſet, Rex Romanorum creatus eſt, *Aquisgrani* A. C. 1376. Imperium ſic adminiſtravit ut A. C. 1400. dignitas illi *conſenſu Principum* abrogata ſit; verè *Sardanapalus* vel *Nero Germanicus.* Nota ejus ſcelera.

FRIDERICUS M. Torquati F. Magni N. Alberti proN. Alberti Magni abN. Othonis atN. Henrici Palatini, qui Ottonem IV. Imperatorem fratrem habuit, trinepos, *Dux Brunſvigæ* & *Luneburgi*, prudentiâ & bellicâ laude excellens, Wenceslao ab Electoribus ſuffectus anno 1400. inſidiis & *fraude Archiepiſcopi* Moguntini ad *Frizlariam* interfectus eſt à *Comite de* Waldeck. Beſoldus hunc legitimum Principem in *Synopſi minore* omittit, & contra nominat JODOCUM BARBATUM, *Marchionem Brandeburgicum*; quem *Colonienſis* & *Moguntinus* Cæſarem quidem dixerunt, ſed conſilio inani; nam neq; par tantæ dignitati viſus, neq; *coronam adeptus eſt unquam*; ſed ſexto poſt menſe fato ſuccubuit.

RUPERTUS PALATINUS, Ruperti & Beatricis F. Adolphi ſimplicis N. Rudolphi, qui frater erat Ludovici IV. Imperatoris proN. Wenceslao remoto, & interfecto Friderico, Imperator creatus

eſt,

eſt, A. C. 1400. Adverſus *Galeatium Vicecomitem*, Mediolani Ducem, à *Florentinis* accitus in Italiam, nullo operæ pretio facto, in Germaniam rediit; graviſſimum ibi, unde digreſſus erat, bellum relinquens. Sic *Italia* denique *tota aliorum facta eſt*. Obiit hic Imperator A. C. 1410.

SIGISMUNDUS, Caroli IV. Imp. F. ex Anna, prudentiâ, magnitudine animi, liberalitate, ac cæteris ampliſſima fortunâ dignis ornatus virtutibus; ſed bello infelix, quod contra *Turcas* & *Bohemos* geſſit. Romæ ſerò coronatus eſt ab *Eugenio*, id eſt, A. C. 1432. Obiit d. 9. Decembris A. C. 1437. De *Huſſo*, cujus *Beſoldus* meminit, conſulenda, quæ ſupra laudavimus, *Acta martyrum*.

ALBERTUS II. Alberti, quem Mirabilia mundi cognominabant, F. Alberti N. Alberti Contracti, Ducis Auſtriæ, proN. Alberti Imperatoris abN. Sigismundi ſoceri morte (nam Eliſabetham, ejus filiam, in matrimonio habebat) vacantem imperii titulum accepit A. C. 1438. de hoc *Lipſius in epiſt. dedicatoria* præfixa Admirandis: *Memini legere, Albertum II. inter majores tuos Auſtrios, uno tempore, atque adeò uno anno, factum Regem Bohemiæ & Hungariæ & Romanorum. O quæ iſta felicitas! ſed quàm brevis felicitas! biennio enim non toto imperavit, & optimum Principem Deus cœlo invexit; quia terra virtutum illarum parùm capax erat, aut digna.* Hæc *Lipſius*. Sanè res adverſus *Moravos*, *Bohemos*, *Polonos* & *Turcas* maximas geſſit; ſed in expeditione contra poſtremos iſtos vita functus eſt, 6. Cal. Novemb.

A. C. 1439. Eo mortuo fuit *interregnum menſium 2. dierum 4.*

FRIDERICUS III. ſive ut alii volunt, qui vel Fridericum *Pulchrum*, Ludovici Bavari æmulum; vel Fridericum *Brunſvicenſem*, ob brevitatem imperii ex Imperatorum albo non expungunt, IV. Erneſti *Ferrei* & Cimburgæ Maſſoviæ F. Leopoldi *Probi*, qui & militiæ decus cognominatus eſt, N. Alberti Contracti, qui & *Sapiens*, proN. Alberti Imperatoris abN. Rudolphi I. Habsburgenſis atN. Romanorum adiit regnum A. C. 1440. Ducta in uxorem *Leonora*, Eduardi Regis Portugalliæ filia, in Italiam tranſcendit; Romamque ingreſſus à *Nicolao V. Pontifice* imperiali corona redimitus, Imperator Auguſtusq; appellatus eſt, Cal. April. A. C. 1451. ut eſt in moneta aurea apud *Octav. Stradam p. 477.* Alii rejiciunt in annum 1452.

In Germaniam reverſus, turbas multas & maximas invenit: Nam inde *Hungari*, cùm *Ladislaum* in tutelâ ſuâ diutius retineret; hinc ipſi in *Auſtriâ ſubditi* contra Imperatorem ferociùs egerunt. Ita compulſus, pupillum *Ulrico*, Ciliæ Comiti, avunculo tradidit. Perpeſſus eſt & à *Matthia Hunniade* graviſſimum bellum anno 1485. Et *Vienna* in tantas anguſtias adducta, ut *modius farinæ unus 107. florenis veniret.* Quam calamitatem, volente Friderico, civibus accidiſſe, quidam volunt; ut præferoces illorum animi hoc malo mitigarentur.

Bellum etiam diu antè motum à *Francia Delphino*, qui poſt *Ludovicus XI.* appellatus eſt. Ut quod

jubebat

jubebat *Eugenius Pontifex*, Baſilienſes Patres perterrefactos, concilium abrumpere cogeret; exercitu *triginta millium* & amplius armatorum conſcripto, *Alſatiam* crudeliter vaſtavit; ne templis quidem abſtinens. Dein propiùs *Baſileam* accedens, ab *Helvetiorum* exiguis copiis cæſus, *ægrè tertiam* partem fracti exercitus in *Gallias* reduxit.

Sub hujusdem imperio, hoc eſt, A. C. 1449. bellum grave exarſit inter *Albertum Brandeburgicum* (qui *Achilles Germanicus* appellatus eſt) & *Noribergenſes*. Marchio ſocios habebat *XVII. Principes*, Noribergenſes *civitates quasdam imperii* validas. Certatum eſt *biennio prœliis IX.* damni utrinque plurimum datum & acceptum; exuſti agri, everſæ villæ, cæſi agricolæ, abacta pecora; tantiſper donec exhauſtâ utrâq; parte egeſtas pacem extorſit, ut ſcribit *Æneas Sylvius*.

Res externas quod attinet, meminit *Beſoldus* cladis *Varnenſis*, & *Conſtantinopoleos captæ*. De utroq; jam egi ſuprà in rebus *Muratis II.* & *Muhametis II.* Obiit Fridericus die 23. Aug. A. C. 1493. cum imperâſſet annis 53.

MAXIMILIANUS I. Friderico Imperatore natus ex Leonora, Eduardi Regis Angliæ filia, poſt functum patrem (cui etiamnum *viventi conſortem* & ſucceſſorem ipſum Electores deſignaverant) reip. clavum capeſſens, infulas ſolennes Cæſarum, cum facilè poſſet, Romæ ſuſcipere non laboravit; præſertim cùm eorum, quæ ſuperioribus Imperatoribus fulgore coronæ Romam pellectis acciderant, probè meminiſſet.

Eum poſteà *Julius II. Pontifex* ad graviſſimi belli ſocietatem pertraxit *contra Venetos*; quos cum occupatis eorum præſtantiſſimis urbibus, ad ſummam neceſſitatem adegiſſet, *Julius contra fidem* Imperatori ſanctiſſimè *datam*, Venetis in gratiam receptis, percuſſo cum iisdem fœdere, *ſuum exercitum adverſus ipſum Cæſarem & Gallum perfidiſſimus* bellator eduxit.

Fuit etiam Maximiliano bellum contra *Rupertum Palatinum* felix; ſed in eo, quod adverſus Helvetios geſſit, non unum damnum accepit. Obiit prid. Id. Jan. A. C. 1519.

Ingraveſcente ætate operam dedit ſedulò, quo pacatum, quantum quidem fieri poſſet, ſucceſſori imperium relinqueret. Hinc eodem pænè tempore, cum *Pontifice, Rege Angliæ, Helvetiis* fœdus iniit; juvit ac promovit *reconciliationem Franciſci*, Gallorum Regis, & *Caroli* Hiſpaniarum Belgarumq; Principis; rediit cum *Venetis* in gratiam, reſtitutâ *Brixiâ Veronaq;*; & non niſi belli ſumptibus exſolutis. *Luckius in Numiſ. p. 41. Pighius in Hercul. Prodic. p. 71.*

Quantum in periculum inciderit, *rupicapras* venatus; & quàm mirabiliter liberatus ſit, exequitur *Idem p. 174. 175.* Triennio ante mortem *capulum funebrem è querno ligno, arcæ viatoriæ incluſum*, circumferri ſecum juſſit; cavitque teſtamento, ut exanimum corpus ſuum *rudi linteo* involutum, *ſine* ullâ *exenteratione* illi imponeretur; *naribus, ore, auribusque vivâ calce* oppletis. *Lipſius lib. II. Monit. & Exempl. Polit. c. 14. n. 5.*

CA-

CAROLUS V. *Philippi*, Hiſpaniarum Regis, & Johannæ (cui pater *Ferdinandus*, Hiſpaniæ Rex) F. Maximiliani I. Imperatoris & Mariæ Burgundicæ N. natus A.C. 1500. d. 24. Febr. *Gandavi* in Flandriâ, *Francofurti* eligitur Imperator die 28. Junii A. C. 1519. & *Aquisgrani* creatur d. 23. Octobr. A. C. 1520. Non viſus majorum memoriâ potentior, aut rebus geſtis in orbe Chriſtiano illuſtrior; aut præclarior, poſt Carolum & Othonem Magnos.

Imperator *Sulaimanem* Turcam *bis ab obſidione Viennæ* repulit; Gallorum Regem *Franciſcum* in *Inſubribus* acie victum, cum *Rege Navarra* & præcipua Gallica nobilitate cepit: Germaniæ Principes, qui *Smalcaldicum fœdus* inierant, ad *Mülbergam* ingenti pugnâ vicit; capto *Johanne Friderico*, Electore Saxoniæ. *Mare mediterraneum* à pyratarum injuriis liberavit, *Carthagine Tunetoq́;* capta.

Tandem rerum humanarum tædio & amore ſeceſſus, A. C. 1555. apud *Bruxellas* regno ſe imperioque abdicavit; illud in *Philippum filium*, hoc in *Ferdinandum fratrem* transtulit; atque *in Hiſpaniam profectus* cum duabus *ſororibus* viduis, *Leonora Galliarum*, & *Maria Pannoniarum* Reginis in *monaſterio S. Juſti* Toletanæ provinciæ, placidiſſimum vitæ finem conſecutus eſt, d. 21. Sept. A.C. 1558.

Sub hujus imperio Dei immortalis nunquam tacendo beneficio è denſiſſimis tenebris lux divinæ veritatis emerſit; ſed (ut præter *Beſoldum* conqueritur *Caſaubonus Prolegomenis in Exercitat. Baronianas*) hanc felicitatem infelicitas nihilo minor ex diſſen-

ſione in cauſâ religionis eſt comitata. Qua ex re natæ ſunt inter populos Europæ diſcordiæ implacabiles, odia plusquam Vatiniana, bella diriſſima; & nullum non malorum genus. Inde illa nomina prius nunquam hoc ſenſu audita, *Pontificiorum* & *Proteſtantium*; inde ſtudia partium non ſolùm in vita hominum, ſed etiam in ſcriptis palàm dominantia. Inde unius & ejusdem religionis Chriſtianæ duplex & multum diverſa Theologia; in maximi quidem momenti capitibus doctrinæ, arcano providentiæ Divinæ beneficio, ut plurimum conſentiens, in aliis diſſidens; & in mutuam perniciem conjurata.

FERDINANDUS I. Caroli V. frater, d. 18. Martii A. C. 1558. Romanorum Imperator creatus eſt. In cujus tempora, inquit *Beſoldus*, factio *Grumbachiana* incidit. Rectè. Nam Ferdinando adhuc vivo *Wilhelmus à Grumbach, nobilis Francus, vaſallus Antiſtitis Würzburgenſis*, congregatis ſociis, & patronum nactus *Johannem Fridericum, Saxoniæ Ducem*, Johannis Friderici Electoris filium, *Würzburgum* (cujus Epiſcopum *Melchiorem Zobelium* paullò ante dicebatur interfeciſſe) noctu effractis portis adortus, *cepit* & diripuit. Igitur Imperator Ferdinandus, atrocitate facti graviter offenſus, mandat, ut in judicio Camerali non tàm violatæ fidei erga dominum feudi inſidioſè circumventum, ſed & fractæ pacis publicæ reus agatur. Interea Ferdinandus moritur; ut *ſub Maximiliano* demum turbæ *finem* acceperint, captâ ab *Auguſto* Electore Saxoniæ (cui executio contra proſcriptos demandata erat) arce *Grummenſtein*,

ſtein, & paulò pòſt conjuratis ſupplicio affectis; quod factum A. C. 1567.

Obiit Ferdinandus d. 25. Julii A. C. 1564. quem hoc elogio inſignit Thuanus: *Princeps prudentiâ, juſtitiâ, liberalitate, aſſiduitate, vigilantiâ nulli ſecundus.* Sed ſuper eas omnes virtutes *pietatis* in illo, & *pacis* in domo Dei conſtituendæ præcipuum ſtudium fuit. Nam ut in impetu *Turcarum*, cui impar viribus erat, ſuſtinendo ac frangendo, morâ & arte uti, optimum factum experientiâ didicerat; ſic & in religionis negotio non igne & ferro graſſari, ſed colloquiis & diſputationibus, amicis collationibus; conciliis denique ſive nationalibus, ſive œcumenicis rem gerere tutius judicavit. Adde *Busbequium ſub fine epiſt. IV. de legatione Turcica*; & fatebere, *ſpeculum* fuiſſe *boni Principis*.

MAXIMILIANUS II. Ferdinandi Imperatoris ex Anna Regina Hungariæ & Bohemiæ, F. vivo patre Rex Romanorum creatus, eidem ſuccedit in imperio & regnis hæreditariis. Fuit magnanimus, humanus, *doctus*, ac magnæ prudentiæ; nec non *multarum linguarum*, Germanicæ, Latinæ, Italicæ, Gallicæ, Hiſpanicæ, Ungaricæ atque Bohemicæ peritus; *cunctis* deniq; *acceptus* Princeps; ut de eo ſcribit *Octav. à Rosberg.* Quàm averſatus ſit omnem vim ac crudelitatem in causâ religionis, imò quàm ad *lanienam Pariſienſem exhorruerit*, docet ejusdem *epiſtola* ſcripta ad *Lazarum Schvvendium.* Utitur inter alia hiſce verbis: *Res pietatis gladio non volunt dijudicari, neque tractari; neque aliter ſentiet quisquam, in quo*

aliquid *eſt* pietatis *&* honeſtatis ; *ullumve* pacis *&* tranquillitatis *ſtudium reliquum*. Obiit hic Princeps d. 12. Octobr. A. C. 1576.

RUDOLPHUS II. Maximiliano II. ex Maria, Caroli V. filiâ natus d. 18. Julii A. C. 1552. ſuccedit patri ; quem nemo unquam reprehendere auſus eſt, niſi ſacerrimi bellorum Germanicorum concitatores, & Circæis veneficiis dementati alaſtores. Talis eſt *Daniel Eremita*, nefarius *apoſtata*; cujus verba, quæ reperiuntur in *itinere Germanico*, recitare nolo. Scilicet optimus Imperator, divorum patris & avi veſtigiis inſiſtens, conſilium Chriſtianæ pacis amplexus erat; & ob id furioſis iſtis minimè placare poterat. Sed benè habet; eſt enim argumentum recti, malis & malorum eximio *Danieli Eremitæ* diſplicere. Nos Rudolphum inter Heroës collocamus meritò, qui cerberorum rabioſis latratibus piiſſimas aures clauſit; & ſummâ prudentiâ cavit illud incendium, quod ejus poſt mortem accenſum, devaſtavit totam patriam, nec dum ceſſat; ſed velut novas ſubinde vires acquirens, irruptionibus exterarum nationum non ſecus ac flatu ventorum, irritatur. Rudolphus *Turcam* potiùs, communem hoſtem, ſubmovendum cenſuit; quod etiam magna dexteritate præſtitit, ac tandem plenus gloria, magno deſiderio ſui relicto, deceſſit d. 10. Jan. A. C. 1612.

MATTHIAS, Rudolphi II. frater, natus Viennæ in Auſtria d. 24. Febr. A. C. 1557. Electorum unanimi conſenſu Imperator Romanorum *Francofurti* eligitur d. 13. Junii A. C. 1612. & ibidem coronatur

natur d. 24. Junii. Sub eo *ſtupendum* illud *contigit*, quod in epitoma *Beſoldus* leviter tangit: Nam die 15. Auguſti veſperaſcente A.C. 1618. *rupes altiſſima Pluram* oppidum vel vicum *Rhætiæ*, templis & palatiis ornatum egregiè, uno momento cum *mille quingentis* hominibus obruit; nec oppiduli vola aut veſtigio relicto. Ejus loco hodie apparere dicitur *lacus*, *ſesqui milliari Italico* longus. Sed magis ſtupendum, quod eodem anno exortum *Bohemicum*, ſive potius commune quoddam totius orbis Chriſtiani *bellum*; quod in hunc usq; annum 1646. multùm gaudente Turcâ geritur. Obiit Matthias d. 10. Martii A.C. 1619.

FERDINANDUS II. natus d. 9. Julii A.C. 1578. patre Carolo, Archiduce Auſtriæ, Ferdinandi I. Imperatoris filio, matre Mariâ *Bavarâ*, d. 18. Aug. A. C. 1619. Imperator *Francofurti* electus, & exeunte menſe coronatus eſt. Quæ bella cum *Bohemis*, *Palatino*, *Chriſtiano Brunſvicenſi*, *Daniæ*, *Sueciæ*, & *Galliæ Regibus* geſſerit, ſciunt omnes.

In vitâ, quam edidit *Guilhelmus Lamormaini*, notanda ſunt hæc: *Viginti annorum* adoleſcens *Laureti* vovit, vel cum vitæ diſcrimine ab acturum ſe à *Stiria*, *Carinthia*, *Carniola*, ſectas & ſectarum magiſtros: *Duos & quadraginta* natus annos, Ungariæ Bohemiæq; jam Rex & Cæſar, idem in *Bohemiæ*, illique regno adjunctis *provinciis* acturum, ſanctè conſtanterque vovit; quod vovit, præſtitit. Et absque temeritate affirmari poteſt, *Ferdinandi zelo* ac operâ *centies centena millia* hominum ad Eccleſiæ Romanæ gremium revocata: Adeoq; meritò Apoſtolicum

Imperatorem dici. Affirmabat, oppetiturum ſe mortem libentiùs, quàm acatholicum exercitum in ſuo conſpectu permiſſurum.

B. Virgini ſuorum armorum ſummam præfecturam ſemper commiſit; & in literis ad Duces Generaliſſimam appellabat; nec ſecus ab exercitu voluit coli, quàm armorum moderatricem. Ipſe quotidianum ei certum precum penſum perſolvit, dum vixit. Dixit aliquando, *nihil ſe unquam à B. Virgine petiiſſe, quod non impetrârit.* Poſt B. Virginem *S. Ignatio* ſua omnia peculiari curâ committebat; ab illo ſua vota dirigi, per illum Deo exhiberi volebat.

Romani Pontificis ſanctiones arbitrabatur veritatis cortinam, ac cœli oracula. Corpus *jejuniis, flagellis, ciliciis* caſtigare arbitrabatur neceſſarium etiam iis, quos veſtit purpura. Extare dicit auctor *flagellum multò conſperſum ſanguine*, quo fluxerit, cum ſe cæderet.

A Societate, parentum ac ſua voluntate, inſtitutus; ſuos fratres & filios ab eâdem voluit inſtitui. Familiariſſimè cum iisdem ſæpè pranſus ac cœnatus, nullam omiſit eum ordinem vel tuendi vel exornandi occaſionem. Vulgò jactatum eſt, *Ferdinandi tangi oculos ac pupillam, cum ſocietas tangeretur: Non poſſe ullum ſocietatis hoſtem cenſeri, qui Ferdinando hoſtis non eſſet: Qui Ferdinando benè vellet, eum benè velle ſocietati.* Dicebat aliquando: *Si liber eſſem, ut fratres mei hodiè ſunt, ſocietatem Ieſu omninò ingrederer!*

Ean-

Eandem non *ſæpe* ſemel *matrem ſuam* compellavit. Hæc & alia plura leges apud dictum auctorem. Obiit *Viennæ* d. 15. Febr. A. C. 1637.

FERDINANDUS III. Ferdinando II. natus d. 13. Jul. A. C. 1608. ex Maria Anna, Wilhelmi, *Bavariæ* Ducis, filia, Alberti nepti, Wilhelmi pronepti, Romanorũ Rex eligitur d. 22. Sept. A. C. 1636. & coronatur d 30. menſ. ejusdem *vivo* adhuc *patre*. Nec multis diebus pòſt in Romanorum Reginam coronata fuit Maria, Philippi III. Hiſpaniarum Regis filia, Philippi II. neptis, Caroli V. proneptis, quæ illi conjux. Ex hoc matrimonio nati *Ferdinandus Franciſcus* d. 8. Septémbr. A. C. 1633. *Philippus Auguſtinus* d. 15. Julii. A. C. 1637. *Maximilianus Thomas* d. 20. Decembr. A. C. 1638. LEOPOLDUS *Ignatius* d. 9. Junii A. C. 1640. *Maria Anna* d. 22. Decembr. A. C. 1635. Sed ex his *Philippus* & *Maximilianus* præmaturâ *morte intercepti* ſunt.

Deus Opt. Max. hoc Principe, *verè clementi, placido & manſueto*; *à quo ipſa lenitas diſcat lenis fieri, praterea literatorum amantiſſimo*, rebús Romanis præſidente, imperium, quod concuſſum & tantum non deploratum accepit, pacatum reddat; omnia in locum ſuum reſtituat, ac reponat; eosque, *quibus in turbatis rebus, & ruinâ* tot illuſtrium familiarum tot regionum ac civitatum *ſumma voluptas* eſt, *forti manu compeſcat.* Contrâ furorem & diſcordiam iſtam *Turcis* injiciat, & victrices illis aquilas immittat in ÆTERNAM NOMINIS SUI GLORIAM!

UNI-

UNIVERSALIS HISTORIÆ SUPPLEMENTUM.

HÆc auctor doctiſſimus; cujus purpuræ panni vilioris laciniam aſſuere cogor; uti id, quod abeſt huic operi, ſupplemento expleamus. *Maria* conjux, Hiſpana, filiam adhuc peperit unicam, *Mariam*, A.C. 1646. eodem decedentem anno, quo & ipſa *filiorum quatuor, duarumq; filiarum* mater ſupremum diem (13. Maji, A.C. 1646.) expleverat. *Maria Anna* deſponſata d. 23. Aug. A. C. 1646. *Philippo V.* Hiſpaniarum Principi, hoc ipſo ante nuptias defuncto, nupſit *Philippo IV.* Regi Hiſpaniarum, d. 8. Nov. A. C. 1649. Dein Ferdinandi III. matrimonium tenuit *Maria Leopoldina*, Leopoldi Archiducis, in Insbruck, filia; quam ei nuptum dedit d. 2. Jul. A.C. 1648. Hæc verò fatali partu *Carolum Joſephum* edens d. 7. Aug. A. C. 1649. nonnullarum (ceu quidam referre auſi ſunt) negligentia, quæ habere rationem puerperæ debebant, mortua eſt repentinò d. 9. Aug. anno eod. haud ſine magno & acerbo dolore, quem ubiq; terrarum commoverat. In *Carolo Joſepho* (cujus ut ætas ſit longinquior, precamur) fulgere perhibent altam animi indolem, naturamq; pulcherrimam.

Proceſſu temporum Imperator *Eleonoram Gonzagam*, Caroli II. Ducis Mantuæ filiam, ſecum matrimonio junxit d. 30. April. A.C. 1651. ex qua progignebantur *Tereſia Maria Joſepha*, d. 26. Mart. A.C. 1652. morte iterum exſtincta menſe Maj. A.C. 1653. cùm inſtaret electio Ferdinandi IV. de qua inferiùs. Itemq;

Eleo-

Eleonora Maria, d.21. Maji, A. C. 1653. *Maria Anna Joſepha* d.20. Dec. A.C.1654. & *Ferdinandus Aloyſius Joſephus* d.1. Febr. A.C.1657. Sed *Ferdinandus Aloyſius Joſephus* pro mortali conditione brevioris vitæ, immortalitatem eſt conſecutus d.30. Jun. A.C.1658.

Ad res imperii redeundum nunc eſt: Cum miſera Germania ſanguine nataret, & bellum annis tricenis ſe ipſum (dicente Livio) aleret; imperii CUSTOS & CONSERVATOR & PROPUGNATOR, Ferdinandus III. cognomento vero PACIFICUS, concordiæ & compoſitionis *Oſnabruccenſis* auctor eſſe non deſtitit; pacificatum legati ejus venerunt, poſteritatis otio conſulturi: Proſperè decedentibus, & tranquillitatis mox rebus Germanis, *Oſnabr.* d.14. Oct. A.C.1648. pax facta, & *executio* ejus impetrata fuit *Noribergæ*, d. 16. Jun. Dominica I. poſt Trin. A.C.1650. Quam gratioſus pacis factæ nuncius apud Imperatorem fuerit, *Illuſtris Dn. Ranfftius*, exercitatiſſimus legionis veteranæ ac pugnaciſſimæ Ductor; dona teſtantur ampliſſima: *annulus* Imp. digito detractus, *ſex mille Imperialium*; & aureus *torques* unà cum imperatorio *numiſmate*, magni *favoris ſigno*; cujus pretium *bis mille ducatos* æquavit. Super hæc teſtes pacis citamus ſtatuam coloſſeam, ex marmore factam, in *foro Pragenſi*; nec non in *ponte* Crucifixi ſignum ejusdem & molis & ponderis: Quæ æterna publicæ tranquillitatis monumenta Germanæ pacis firmator, Ferdinandus facienda ſtatuendaq; curavit; ringente inter hæc, & (ſi poſſet) nocente *Innocentio X.* Pontifice: Is enim pacem Germaniæ bulla (velut ampullâ

quadam

quadam projectâ) Romæ d. 3. Jan. A.C.1651. abrogare, demoliri, deturbare quidem ſuſtinuit; ſed evertere non potuit. *Examen Bullæ Papalis* doctiſſimum inſtituit *D. Joh. Hoornbeckius*, hoc tempore Prof. Theol. Lugduno-Batavus; quem, ſi placet, in ſecunda editione vide.

Aliud ex alio mihi occurrit: Ferdinandus III. eodem animo *Ferdinandi Franciſci* pater, quo erat omnium, filium hunc (quem non parum feliciter genuerat) in laborum curarumq; conſortium aſſumſit, electum Romanorum Regem, & unico tantùm FERDINANDI IV. nomine appellatum, *Auguſtæ Vindelic.* d. 24. Maji, A.C. 1653. & coronatum in Comitiis *Ratisbon.* d. 8. (18.) Jun. A. C. 1653. Qui antè Rex *Bohemiæ* d. 8. Sept. A. C. 1646. *Hungariæ* verò d. 16. Jun. A. C. 1647. creatus fuerat. At verò, immani Fatorum neceſſitate, eorundem munus implevit, & naturæ debitum maturè reddidit Viennæ d. 9. Jul. A. C. 1654.

Tandem & ipſe optimus ac mitiſſimus pater, charus omnibus ac deſiderandus, ſidera tanquam ſuum repetiit; qui eximiis virtutibus adeò exſplenduit, quaſi cæteras non haberet. Quid multis? animadvertere quivis poteſt, indignum fuiſſe tanto Imperatore mundum; quo privabatur Viennæ d. 2 April. A. C. 1657. anno ætatis 48. & plus quàm dimidio; imperii 20. menſ. 3. d. 10. Id verò memorabile putabit poſteritas, quod è *tribus* ſingulis uxoribus *tres* quoque reliquerit filios: LEOPOLDUM è *Maria*: CAROLUM è *Maria Leopoldina*: Et FERDINANDUM ALOYS. JOS. ex *Eleonora*; qui mox, ceu diximus, vitæ

vitæ ſortem (poſt obitum patris memoriæ pientiſſimæ) dereliquit.

Ex hoc ipſo de toto ſtatu rerum communium cognoſcebant omnes, & quem in locum deducta eſſet res noſtra, videbant. Habebamus formam interregni; non mora: Mori periculo patriæ & nutatione imperii *Bavariæ* ſimul ac *Saxoniæ* Electores, *Ferdinandus Maria*, & *Joh. Georgius II.* imperii Romano-Germanici *vices* in ſe receptas geſſerunt feliciſſimè: Horum humeris ſe imperium ſuſtentavit. *Bavariæ* Electori de ſumma *Vicariatus* dignitate controverſiam faciens Elector Palatinus, *Carolus Ludovicus*, eandem toto (quem Palatinatus inferior reſpicit) Rheni tractu de imperio fideliter tuendo curam egit; ceu varia (præter mutuas *Gewoldi* ac *Freheri* ſtricturas) recentiorum Prudentum ſcripta, utrobiq; excuſa, & numi ſatis teſtantur. Quam litem tantum abeſt, ut mihi ſumam, uti potiùs cum Cicerone *ænigma Oppiorum* me non intelligere, ultrò fatear; meq; id cenſere dicam, quod idem ille de libro Serapionis: *Milleſimam partem vix intelligo!*

Cùm verò habeat has vices conditio mortalium, uti adverſa ex ſecundis, ex adverſis ſecunda naſcantur; poſt varia tandem rerum ac votorum diſcrimina non ſolùm Electores judicium hominum, ſed Dei etiam in conſilium aſſumentes, LEOPOLDUM in Regem Romanorum *Francofurti* elegerunt 8. Jul. ibidem coronatum d. 1. Aug. A. C. 1658. velut *Hungariæ* Regem d. 17. (27.) Jun. A. C. 1655. nec non *Bohemiæ* d. 4. (14.) Sept. A. C. 1656 olim creatum.

Non unius judicium, illa electio fuit; nam qui ubique ſunt homines, hoc idem votis expetebant; longamque huic nomini ætatem, longam gloriam nunc precantur. Benè humeris LEOPOLDI ſedet imperium, cui terras, hunc terris reliquit *Ferdinandus, ter* felix ac beatus; quem *vel nominaſſe* (ait Jac. Balde in Templo Honoris) *ſit cauſſam viciſſe!* Qui dies ille, quo redux expectatus deſideratusq; urbem *Norbergam* ingreſſus eſt? Jam hoc ipſum, quod ingreſſus eſt, quàm mirum lætumque? Non ætas quenquam, non valetudo, non ſexus retarduit; quò minus oculos inſolito ſpectaculo imple-

impleret. LEOPOLDUM parvuli noſcere, oſtentare juvenes, mirari ſenes; ægri quoque neglecto medentium imperio ad conſpectum LEOPOLDI, quaſi ad ſalutem ſanitatemq; prorepere. Inde alii ſe ſatis vixiſſe, Imperatore viſo; alii, nunc magis eſſe vivendum, prædicabant. Noſtratium certè in Sacratiſſimum Imperatorem favor tunc ſtatim enituit, cum illi aſcendenti de more in Curiam applaudentium civium clamor ac vota, ut Imperatori, occurrerent: VIVAT, VIVAT LEOPOLDUS! Liberum erat, ingrediente per publicum Cæſare, ſubſiſtere, occurrere, comitari, præterire; & limina templorum pariter ac arcis inſidere, ad illius ingreſſum foribus recluſis: Profectò copiam ſui, non ut imputaret, fecit. Placebat populo, placebat, per apertas fores & invitantia limina (ceu ſolet) irrumpenti; quòd Imperator non reverentiam terrore, ſed *amorem humanitate* captaret: *Humanitate*, inquam, prorſus admiranda; qua tamen nihil majeſtati detrahebatur. Quem honorem artibus ac ſtudiis, quam dignationem *bibliothecæ publicæ* habuit? Libros ipſe tractavit, & agili verſavit manu codices Latinos, Græcos, *Ebræos*, alios: Exoticas linguas probè noverat: Latinè luculenter ſciebat. Ibi unà cum *Reverendiſſimo & Sereniſſimo Archiduce*, LEOPOLDO WILHELMO, literarum ac monetarum veterum diligentiſſimo, omnia exactiſſimè obſervavit; in *Dn Dilherrum*, Bibliothecarium longè celeberrimum, perhonorificus fuit; cumq; eo benignè ac comiter de variis ſermones diu habuit, exceptus (ut limen intravit) ab eodem, velut dicendi magiſtro, brevi hoc, ſed eleganti carmine:

Salve, Progenies Divûm! ſalve, inclyte Cæſar!
à ſummo ſummum Numine nomen habens.
Dum templum ingrederis Muſarum, oſtendis amorem
in Muſas; quarum Tutor & Altor eris.
Hæ ſcribent grata æternis Tua nomina faſtis:
Ut vivas ſeclis innumerabilibus!

Verbo dicam: AUSTRIACUS eſt (ſat dictum!) & hoc tantùm major, quò melior! *Intelligamus ergo* (dicente hactenus Plinio) *bona noſtra, dignoſq; nos IL-LIUS USU probemus!*

TABU-

TABULÆ CHRONOLOGICÆ

À PRIMA RERUM ORIGINE AD C. JULII CÆSARIS MONARCHIAM.

Anni Mūdi.			
		MUNDI ET ADAMI ANNUS PRIMUS.	
100--		100--	ABEL à fratre CAIN occiditur, pius ab impio.
	30	SETH naſcitur ex Adam annos nato 130.	
200-		200--	
	35	ENOS naſcitur ex Seth annos 105. nato.	
300--		300--	
	26	CAINAN naſcitur ex Enos jam nonagenario.	
	95	MAHALALEEL naſcitur ex Cainan jam ſeptuagenario.	
400--		400--	
	61	IARED naſcitur ex Mahalaleel habente annos 65.	
500--		500--	
600--		600--	
	23	HENOCH naſcitur ex Iared, numerante annos vitæ 162.	
	88	MATHVSALEM naſcitur ex Henoch habente annos 65.	
700--		700--	
800--		800--	
	75	LAMECH naſcitur ex Mathuſalem jam habente annos 187.	
900--		900--	
		30	ADAM moritur.
		87	HENOCH transfertur in cœlum, cum in terra vixiſſet annos 365.
1000-		1000--	

				42	SETH moritur annos natus 912.
	57	NOAH naſcitur ex Lamech.			
1100--			1100--		
				40	ENOS moritur natus annos 905.
1200--			1200--		
				35	CAINAN moritur annos natus 910.
				90	MAHALALEEL moritur natus annos 895.
1300-			1300--		
1400-			1400--		
				22	IARED moritur natus annos 962
1500-			1500--		
	58	SEM naſcitur & poſt eum fratres ejus duo. CHAM & IAPHET. *Sem*			
1600-		1	1600--		
		Arphaxad			
		1		51	LAMECH moritur natus annos 777.
	57	DILVVIUM. *Sala*			
		1		56	MATHVSALEM moritur annos natus 969. *Hebet*
1700--		*Heber*	1700--		1
					Phaleg
	23	HEBER Semi pronepos naſcitur ex Salah.	88		Nimrod putatur cœpiſſe. 1
					Regu
	57	TurrisBabel circa hoc tempus creditur conſtructa, unde ſequuta diſperſio gentium.			1
					Sarug
					1
1800-			1800--		*Nahor*
				43	BELVS I. Rex Aſſyriorũ. 1
				61	*Ægialeus I. Rex Sicyonis.* *Thara*
1900-			1900--		1
					Abraham
				8	NINVS Beli filius Rex Aſſyriorũ
	58	ABRAHAM naſcitur ex Thara jam ſeptuagenario.			*Europs II. Rex Sicyonis.* Zoroaſtres
				15	Rex Bactrianorum hoſtis Nini.
				58	SEMIRAMIS uxor Nini defuncto marito regnat annos 42.
				73	*Telchin III, Rex Sicyonis.*
2000-			2000--		

Zz ij

Anni Mūdi.	SACRA.	Anni Mundi	EXTERNA.
2001--		2001--	NINYAS Nini & Semiramidis f. Rex Aſſyriæ.
24	ABRAHAM ante quadriennium ex Vr Chaldæorum in Haran Meſopotamiæ cum patre profectus, divino juſſu migrat in Chananæam.		Ægyptum jam inde ab Abrahami temporibus reges ſuos habuiſſe ex S. litteris certum: Origo regni incerta.
34	Circumciſio inſtituitur. Sodoma & Gomorrha intereunt.		
94	ISAAC naſcitur Abrahamo jam centenario ex Sara nonagenaria.		
2050-		2050--	
86	Sara moritur, cum vixiſſet annos 127.		
98	Iſaac Rebeccam 40. annos natam ducit uxorem.	93.	INACHVS conditor regni Argivorum.
2100-		2100-	
9	IACOB & ESAV naſcuntur Iſaaco ſexagenario ex Rebecca.	30	OGYGES Bœotiæ Rex *Eleuſinem* in Attica aliasq; urbes condit.
24	Abraham moritur, cum vixiſſet annos 175.		
		43	*Phoroneus II.* Rex Argivorum fil. Inachi.
2150-		2150--	
59	SEM moritur, cum vixiſſet annos 600.		
		85	Diluvium Ogygium.
86	Iacob fratris inſidias veritus, fugit in Meſopotamiam ad avunculum Labanum.		
2200-		2200--	
6	Iacob in Chananæam revertens luctatur cum Angelo.	4	*Apis III.* R. Argivorum. *Sparta* conditur à Sparto Phoronei filio.
29	Iſaac moritur, cum vixiſſet annos 180.	12	*Memphis* in Ægypto conditur ab Ape.
39	Iacob fame urgente cum familia migrat in Ægyptum.	38	*Argus IV.* Rex Argivorum.
2250-		2250-	
56	Iacob moritur in Ægypto, cum vixiſſet annos 147.		
2300-		2300--	

9	Ioſeph moritur anno vitæ 110. expleto. *Finis libri I. Moſis.* IOBVM *ſingulare fortitudinis & patientiæ ſpecimen ad hoc ævum referunt nonnulli.*		*Criaſus V.* Rex Argivorum. *Oenotrii* ex Arcadia patriâ ſuâ in Italiam veniunt, pòſt *Aborigines* dicti.
2350-		2350-	
70	AARON naſcitur ex Amram nepote Levi.		*Phorbas VI.* R. Argivorum.
		94	CECROPS I. Rex Athenienſium.
75	MOSES naſcitur.		
		97	*Triopas VII.* R. Argivorum.
2400-		2400	
1	IOSVA naſcitur.		
		19	Diluvium ſub Deucalione in Theſſalia.
		30	TEVCER primus in Troade regnat.
		43	*Crotopus IIX.* R. Argivorum.
		44	*Cranaus II.* Rex Athen.
2450-		2450-	
53	EXITVS ISRAELITARVM ex Ægypto.	55	*Amphictyon III.* Rex Athen.
		62	*Erichthonius IV.* Rex Athen.
34	*Hinc incipit* Leviticus *complectens hiſtoriam menſis unius. Hunc excipit immediatè lib.* Numerorum *complectens hiſtoriam annorum 38. menſ. 9. dierum 20. Duorum menſium ultimorum hiſtoriam addit* Deuteromiū.	71	*Dardanus* poſt Teucrum in Troade regnat.
93	Aaron & Moſes moriuntur. IOSVA ſuccedit. *Finis V. libb. Moſis.*	75	*Danaus* pulſo Gelanore X. Rex Argivorum.
	Initium γεωργίας & primæ hebdomadis annalis in Chananæa.		
2500-		2500-	

JUDIC. HEBR.	Anni Mūdi.	EXTERNA.	Ante Chr.
OTHONIEL, judex annis 40. Liberat populum à ſervitute Cuſan Regis Meſopotamiæ.	2501	CADMVS è Phœnicia literas infert in Græciam.	
	13	*Pandion* V. R. Athenarum.	
	20	MINOS regnat in Creta.	
EHVD annis 80. Liberat populum à ſervitute Eglonis regis Moabitarum.	36	*Erichthonius* Dardani fil. III. Rex Trojanus.	1400
	53	*Erechtheus VI.* R. Athen.	
	66	*Abas XII.* R Argivorum.	
	82	*Tros* Erichthonius fil. IV. à Teucro, Trojani nominis auctor.	
	85	*Tantalus* Phrygiæ R. pater *Pelopis.*	
	2600	*Pelops* in Græciam trajicit.	
	6	*Acriſius* ult. R. Argivorum. Hujus ex Danae filia nepos *Perſeus* regnum transtulit *Mycenas.*	
DEBORA & BARAC annis 40. Liberant populum à jugo *Iabin* regis Cananæi.	25	IANVS I. Rex Latii.	
	31	*Ilus* Trois fil. conditor Ilii.	
	37	*Sthenelus* Perſei fil. Rex Mycenarum.	1300
	40	*Saturnus* Latii Rex.	
	45	*Euryſtheus* Stheneli f. Rex Mycenarum	
	58	*Picus* in Latio Saturno ſuccedit. *Atlas.*	
GIDEON annis 40. Liberat populum à jugo Madianitico.	70	*Laomedon* Ilii fil. VI. Rex Trojæ, ab HERCVLE occiſus.	
	78	ARGONAVTARVM expeditio in Colchidem. *Orpheus.* *Atreus* & *Thyeſtes* Pelopis filii Mycenis regnant. *Dædalus*	
	95	*Faunus* Pico in Latio ſuccedit. *Linus.*	
	2700		

10 ABIMELECH fil Gideonis; principatum 70. fratrum parricidio partum gerit annos tres.
13 THOLA annis 22.
36 IAIR annis 22.
58 IEPHTHE liberat populum à ſervitute Ammonitica. Iudex annis 6.
65 ABESSAN annis 7.
72 ELON annis 10.
81 ABDON annis 8.
89 SAMSON annis 20.

2800—

9 ELI ſacerdos & judex annis 40.
49 SAMVEL propheta & judex.
79 [illegible]L Rex. INITIVM REGNI IN POPVLO ISRAEL.
83 DAVID regnare cœpit in Hebron, *Isboſeth Saulu f. regni æmulus.*
96 DAVID regnare cœpit in Hieruſalem.

2900—

Muſæus.
Amphion.
15 *Priamus* Laomedontis fil. ult. R. Trojæ.
16 THESEVS alter Athenarum conditor, Rex X.
39 *Latinus* Aboriginum Rex Fauno ſuccedit.
53 *Agamemnon* Rex Mycenarum, fil. Atrei.
1200.
67 TROIA capta & everſa.
68 *Ægyſthus* Thyeſtis f. Rex Mycenarum.
75 *Oreſtes* Agamemnonis fil Rex Mycenarum. ÆNEAS *Latino* ſocero ſuccedit.
81 *Iulus Aſcanius* patri Æneæ ſuccedit in Latio.
Alba Longa ab Aſcanio conditur.

2800—

20 *Sylvius* Aſcanii fil. in Latio Albæ Rex.
Tiſamenus & *Penthilus* Oreſtis filii regnant Mycenis.
1100.
47 HERACLIDARVM reditus in Peloponneſum, quo extinctum regnum *Mycenæum* & exortum *Laconicum.*
81 CODRVS ult. Rex Athen. in prælio cæditur. *Finis regni Athenienſis. Sequuntur Archontes perpetui XIII. quorum primus MEDON.*

2900—

Anni Mūdi.	SACRA.		EXTERNA.	Ante Chr.
2901		2901		
			7 IONVM coloniæ in Aſiam migrant.	
19	David ob rebellem filiũ, exul.			
			21 *Hiram* Rex Tyri, filius Abibali.	
29	SALOMON, annos 40.			
			31 *Alba Sylvius* Rex Albanus in Latio.	
32	Templi Hieroſol. fundamenta jacta.			
40	Encænia templi.			
	Reges Juda.	*Reges Iſrael.*		
69	ROBOAM, annis 17. *Seſak R. Ægypti diripit templum Hieroſol.*	69 IEROBOAM Ephraimita primus Rex Iſrael.		1000
			70 *Capetus* Albæ R. in Latio.	
86	ABIAM annos 3.	90 NADAB fil.		
89	ASSA annos 41.	91 BAASA annos 24. *excidit omnem domum Hieroboami.*		
3000		3000	*HOMERVS.*	
3	Aſſa *Zeram* Æthiopē vincit.	14 ELA, fil.	5 *Ithobaal* Rex Sidonis & Tyri pater Iezabelis.	
		15 ZARI, d. 7. AMRI & TIBNI.	*Benhadad* Rex Damaſci floret.	
		19 AMRI ſolus condit SAMARIAM.	14 Capetus II. Albæ Rex.	
		26 ACHAB fil. maritus Iezabelis Sidoniæ.		
30	IOSAPHAT fil annos 25.	ELIAS Propheta prodire cœpit.		900
		46 OCHOZIAS fil.		
		48 IORAM frater Ochoziæ.		
52	IORAM fil.	*Eliæ* in cœlum rapto ſuccedit ELISÆVS.	52 *Pygmalion* R. Tyri & Sidonis.	
59	OCHOZIAS fil.		53 Hazael Rex Damaſci.	

60	ATHALIA materOchoziæ, filia Achabi regnũ occupat.	60 IEHV excidit domum Achab.	LYCVRGVS floret Spartæ.	
			67 *Karthago* à Didone conditur.	
			77 SARDANAPALVS ultimus Rex Aſſyriorum à Nino deſcendentium perit. Regnum invadit *Arbaces* Mediæ præfectus.	
66	IOAS fil. Ochoziæ, annos 40.			
			87 *Aventinus* Albæ Rex in Latio.	
		88 IOACHAS fil. annos 17.		
3100	3100	3100		
		3 IOAS fil.		
6	AMASIAS fil. annos 29.		7 *Benhadad* fil. Hazael Rex Damaſci.	
		13 *Eliſæus* obit.		
		21 IEROBOAM II. fil.		
			24 *Proca Sylvius* Rex Albæ.	
38	AZARIAS qui & Vzias, fil. annis 5.	*Ionas* Propheta	37 *Caranus* Heraclida Argis Macedoniam petit, ibiq; regnum auſpicatur.	
	Hoſeas propheticum munus obire cœpit.		47 *Amulius* R. Albæ in Latio.	
			HESIODVS.	
	Ioel Propheta. *Amos* Propheta cœpit.	75 ZACHARIAS menſes 6.	74 OLYMPIADVM initium.	800
		76 SELLVM m. 1.	*Phul* Rex Aſſyriæ floret.	
	Ieſaias Propheta cœpit.	MENAHEM annos 10.	89 *Numitor* avus Romuli Rex Albæ. *Teglat Phalaſar R. Aſſyriæ.*	
		88 PEKAIAH annos 2.		
90	IOATHAM fil.		95 *Alcmæon* ultimus Ἄρχων perpetuus Athenis, ſequuntur decennales, quorum primus CHAROPS.	
	Micha Propheta.	90 PEKAH annos 20.		
			97 ROMA CONDITA *VI. Olympiad. anno 3, ſecundùm Varronem.*	
3200	3200	3200		

Anni Mūdi.	R. Jud.	Reg. Iſr.	Ol. Græc.	A.V. Rom.	Varia.	Ante Chr.
3201--			9 Bellū Meſſenium I. *Ephori primi in rep. Spartana creantur.*	5		
6	ACHAZ *Vocat in aux. Teglatphalaſſarem R. Aſſyr. contra Rezin.*	6. Pekah & Rezin Syriæ R. obſident Hieroſolymā. 20. HOSEA Rex ult. Salmanaſſar R. *Aſſyriæ capit Samariam. X. tribus abducit.* Finis Regni Iſrael.	11. Syracuſæ conditæ ab Archia Corinthio.	26 T. Tatius à Romulo in ſocietatē regni recipitur.	NABONASSAR R. Babylonis. Salmanaſſar R. Aſſyriæ.	
22	EZECHIAS fil.		14. Bellū Meſſenium finitur capta à Spartanis Ithome.		Merodac fil. Baladan R. Babyl.	
			17 Corcyra conditur à Corinthiis.	40. NVMA Pompilius R. II.	Sennacherib R. Aſſyriæ.	
36	*Ieruſalem ab exercitu Sennacheribi obſeſſa liberatur divinitus.* NAHVM Propheta. TOBIAS in Media floret.		20. Tarentū conditur à Spartanis. 23. Poſt Eryxiam ult. decennalē Archontes IX-viri annui Athenis creantur.		Aſarhaddon fil. R. Aſſ. Gyges occiſo Gandaule Heraclida R. Lydiæ. *Initiū hiſtoria Herodoti.*	700
51	MANASSES fil. *Manaſſes ob impietatem ab Aſſyriis in captivitatem abducitur, & poſt reſipiſcentiam in regnum reſtituitur.* Holofernes ab Iuditha occiditur.		24. Bellū Meſſenium II. duce Ariſtomene heroe fortiſſimo. Archilous poeta floret.		Dejoces R. Mediæ.	
			27 Bellū Meſſeniū II. finitur, expugnata à Spartanis Irâ.	83. TVLLVS HOSTILIVS R. III.	Pſamitichus R. Ægypti.	
			30. Cypſelus Corinthi dominatur.	89. Alba Longa deletur à Romanis.	Phraortes R. Mediæ.	
			31. Zaleucus Legiſlator Locrenſis in Italia.	Cmus *Annus urbis.*		
3300--						

3301 --		38. Periander Cypſeli fil cœpit apud Corinth.	115. ANCVS MARTIVS R. IV.	Cyaxares R. Mediæ. *Nabopollaſſar* R. Babyl. *Necao* fil. R. Ægypti. Alyattes R. Lydiæ pater Crœſi.	
6	AMMON fil.				
8	IOSIAS fil. annos 31.				
20	IEREMIAS cœpit docere. SOPHONIAS σύγχρονος Ieremiæ.	39. Draco ἄρχων leges fert Athen.			
		42. Alcman Lyricus floret.	139. TARQVINIVS PRISCVS R. V.	*Nebucadn.* R. Bab. cædit Necao regẽ Ægypti ad Euphratẽ.	
39	IOACHAS fil. menſ 3. IOIAKIM frat deportatur Babylonem. DANIEL Babylonem abducitur.	45. Pherecydes Syrus floret. Alcæus. Sappho.		Pſammis R. Ægypti.	
3350 --	IECHONIAS fil. poſt m. 3. abducitur Babyl. cum 20000. captivis, in quibus EZECHIEL. Initium captivit, Babyl. Succedit patruus ZEDEKIAS.	46. SOLON ἄρχων Athen. novis legibus remp conſtituit.		Apries R. Ægypti. *Aſtyages* ult. R. Mediæ Amaſis, occ. Aprice cœpit in Æg.	
		48. Periander obit, cum quo Monarchia apud Corinthios deſinit.	177. SERVIVS TVLLIVS R. VI.	*Evilmerodach* fil. R. Bab. Nirigliſſoor gener Neb. R. Babyl. *Cyrus* cœpit in Perſia.	600
60	Hieroſol. à Nebucadnezare occupatur Zedekias excæcatus Babylonem ducitur, deletur templum.				
	Finis Regni Iuda.	52. Phalaris tyrannus Agrigentinus		Laboroſoarchodus, *Danieli* Belſazar *R. Bab.* m 9. *Huic trucidato ſuccedit* Nabonidus, *Danieli* Darius Medus.	
86	Iechonias Babylone è carcere eductus & in honore habitus ab Evilmerodacho.	53. Piſiſtratus tyrannidẽ invadit Athenis. 54. Æſopus necatur à Delphis. Steſichorus poëta obiit. 57. *Seculum VII. Sapientum.*	CC. *annus urbis*	Amyntas Maced. R. Aſtyages Mediæ R regno & vita exuitur à Cyro. *Finis Regni Medorum.*	
3400 --					

Persica.	Ol. Græc.	A. V. Rom.	Vir. Il.	Var.	Ante Chr.
	58		Theognis floret.		
	59				
Cyrus Nabonidum vincit.	Piſiſtratus denuo ab exilio redit Athenas&dominatum ſibi firmat.		THALES obit.		
Babylon capitur à Cyro.			Anaximāder obit. Hipponax.	CROESVS à Cyro vincitur.	
	62. Piſiſtratus obit, ſuccedit *Hippias* fil. *Polycrates* rerum potitur in Samo Inſula.	221. TARQVINIVS ſuperbus R. ult.	*Pythagoras* floret.	*Finis Regni Lydorum.*	
Cyrus ſolvit capt. Babyl. Iudæorum.			Xenophanes Colophonius.		
CAMBYSES Cyro patri ſuccedit.			Simonides Ceus, Lyricus.	*Amaſis* R. Ægypti obit.	
Cambyſes Ægyptum invadit.	65. *Polycrates* Samiorum tyrannus interficitur.		Phocylides.	Hujus filium *Pſammenitū* ſextū jā mēſe regnantem evertit Cambyſes.	
MAGI DVO, menſes VII.			Anacreon.		
DARIVS HYSTASPIDES.	67. *Hipparchus* Piſiſtrati f. ab Harmodio& Ariſtogitone cæditur.		Anaximenes naſcitur.		
Babylonē rebellem per Zopyrū recipit Darius.			Epicharmus *Pythagoræ auditor.*		
Darii in Scythiam expeditio infelix.	Hippias Athenis pulſus fugit ad Dariū.	245. REGIFVGIVM. Primi Coſſ.	PINDARVS naſcitur.		
Megabazus Thraciā & Macedoniam Darii imperio ſubjicit.	69 Bellum inter Athen.&Æginetas.	*Porſena Cluſinorum Regulus Tarquinios reducere conatur.*	ÆSCHYLVS naſcitur. Heraclitus Epheſius.	Alexander Amyntæ f Rex Maced.	
	70 Mileſii &Iones à Perſis deficiunt.		Zeno Eleates. Anaxagoras naſcitur.		500

3451-		Sardes ab Ionib& Athen. captæ incenduntur.	256. *Primus dictator T. Lartius Flavius.*			
56	Ionum claſſis à Perſis diſſipatur, omneſq;eorum urbes ſubigũtur.	72 PVGNA MARATHONIA.	260 Primi Tribuni plebis. 264 *C. Marcius Coriolanus in exiliũ actus.*	SOPHOCLES naſcitur.	Gelo R. Syracuſanus cœpit.	
60	Darius claſsē DC. triremium mittit in Græciam.					
65	XERXES ſolus, defuncto patre.		268. *Lex agraria à Sp. Caſſio promulgatur.*	Miltiades Themiſtocles.	Hiero Syracuſis ſuccedit fr. Geloni.	
70	Trãſitus Xerxis in Europam. *Heſter* Xerxi è Græcia reverſo adducitur.	75. PVGNA SALAMINIA. Mardonius *ad Plataas*, à Pauſania & Ariſtide vincitur & occiditur.	270. *Bellum Veiens diuturnum cui Æqui, Volſci, Hetruſci ſe miſcuerũt.* 277. *CCCVI. Fabii periere ad Cremerã.*	EVRIPIDES naſcitur. Democritus naſcitur.	Syracuſani Thraſybulo Hieronis ſucceſſore expulſo ſe in libertatem aſſerunt.	
80	*Cimon Miltiadis f. cadit Perſas adEurymedontem fl. terra marique.*	77 *Themiſtocles exul Argos & poſt ad Perſas abit. Bellum Meſſenium III, annos 10.*	297. X. tribb pl. primùm creantur.	SOCRATES naſcitur.		
86	ARTAXERXES μακρόχειρ.	78 Pauſanias *proditionis damnatus fame necatur. Græcia externo metu liberata, ad domeſtica bella paullatim arma convertit.*	CCCmus Vrbis *Legati in Græciam miſſi cognoſcendarum legum ergo.* Xviri creantur.	Cratinus. Bacchylides.	Perdiccas R. Macedoniæ.	
3500--		82				450

Anni Mūdi.	Persica.	Ol. Græc.	A. V. Rom.	Vir. C.	Var.	Ante Chr.
3501 --		*Cimon Perſas in Cypro terra mariq; vincit & ad pacem faciendā adigit Artaxerxem.* 83. Athenienſes in Italiam ad Thurium inſtaurandū colonos mittūt, in quibus HERODOTVS.	309 *Rogationes Canuleja de connubio patriciorum & cōſulatu cū plebe cōmunicando.* 310. Primi Tribuni militares Coſ poteſtate.	Cimon in Cypro obit. Empedocles. Protagoras. Meliſſus Parmenidis audit.		
26	DARIVS NOTHVS fil. Edictum Cyri de inſtaurādo templo Hieroſol. renovatur à Dario. Initium hebdomadum Danielis.	87. BELLI PELOPONNESIACI initium. 89. *Induciæ in 50. annos inter Athen. & Spartanos initæ, poſt 8. annos diſſolvuntur.*	311. *Primi Cenſores.* 315. *Sp. Melii ſeditio opprimitur.* 316 *Vejentes à Romanis deficiūt auctore Larte Toiumnio.*	L Quinctius Cincinnatus Dictator. *Iſocrates* naſcitur. Gorgias. *Prodicus. Hippocrates. Thucydides. Pericl.* obit. *Plato* naſc. *Haggæus* & *Zacharias* vaticinari incipiunt.	Archelaus R. Maced defuncto Perdicca.	
32	Encænia templi	90				425
38	Ægyptus à Perſis defecit, duce Amyrtæo.	91 *Athenienſes ab Egeſtanis exciti claſſem contra Syracuſanos mittunt, ducibus Alcibiade, Nicia, Lamacho.*	330 *Induciæ 20. annorū datæ Vejentibus.*	*Alcibiades* abſens ſacrilegii damnatus fugit Lacedæmonem.		
39	*Fœdus ictum inter Spartanos & Perſas.*		336 De quæſtoribus promiſcuè ex patribꝰ & plebe creandis plebi conceſſum.			
45	ARTAXERXES μνήμων fil.	*Athenienſiū clades ad Syracuſas.* 93 Athenæ capiuntur à Lyſandro.		*Alcibiadis* glorioſus in patriā reditus.	DIONYSIVS tyrānidem invadit Syracuſis, eāq; tenet annis 38.	
49	*Cyri* ἀνάβασις *contra fr. Artaxerx.*	*Finis Belli Peloponneſiaci.* XXX. Tyranni Athenis Thraſybulo ejiciuntur. 95.	351. Veji à Romanis obſidentur.	Sophocles & Euripides obeunt. *Malachias.* Euclides. *Xenophon.* Cteſias Cnidius.		
3550 -						400

3551	ESRA permiſſu Regis Hieroſolymā proficiſcitur	96. Ageſilaus Spartanus, dux belli in Aſiam mittitur.	360. VEII capti à Dict. M. Furio Camillo. 362 Faliſci Camillo ſe dedunt. 366 Roma capitur à Gallis.	Socrates bibit cicutam. Ariſtophanes fl.		
64	NEHEMIAS Hieroſol. profectus mœnia urbis inſtaurat. Artaxerxes bello Ægyptios invadit.	Spartani ad Leuctra à Thebanis plures à paucioribus vincũtur duce EPAMINONDA. 103	371. M. Manlius è Saxo Tarpejo dejicitur. 380. Ἀναρχία V. annorum ob legem tribuniciam de altero coſ ex plebe deſignando. 390. Primus è plebe coſ. L. Sextius.	ARISTOTELES naſcitur.	Evagoras cœpit in Cypro. Nectanebus R. Ægypti cœpit. Dionyſius moritur, ſuccedit Dionyſius junior.	
89	ARTAXERXES OCHUS.	104. Prælium ad Mantineam cum Laced. & Arcadibus, in quo occumbit victor EPAMINONDAS. 105. Templum Epheſinũ ab Heroſtrato incenditur. 106. Bellũ ſacrũ novennale inter Phocenſes & Bœotos cœpit.	Finis creandorum tribunorũ militarium conſulari poteſtate. 394. M. Curtius in voraginem ſe præcipitat pro rep. 400. Primus è plebe Dictator C. Martius Rutilus.	Ageſilaus R. Spart. obit. Democritus obit. XENOPHON obit Corinthi. Theopompus Chius. Ephorus Cumæus.	PHILIPPUS Amyntæ fil. R. Macedoniæ. DION Syracuſis potitur.	
3600						350

Anni Mūdi.	Ol Pers.	Ol. Maced.	A. V. Rom.	Vir. Il.	Var.	Ante Chr
3601		108. *Philippus* Olynthū dolo capit.			*Nectanebus Rex Ægypti fugit e regno. Ægyptus tota redit ad Perſas.*	
11	110. ARSES penut. Rex Perſarum.	109. *Philippus Græcorum conſenſu territus Byzantium oppugnare deſiſtit, fœdus init cum Athenienſibus.*	413. BELLUM SAMNITICUM ob Campanos cœpit.			
14	111. DARIUS CODOMANNUS ult. R. Perſ.			Menander Comicus naſcitur. *Ol. 109.*		
16	Clades Perſarum ad Granicum. Clades altera ad Iſſum.	110. Philippus Athenienſes vincit ad Chæroneam.	416. *Bellum Latinū ob poſtulatam conſulatus & ſenatus communicationem.*	Euclides.	*Dionyſius Tyrannus Syracuſanus Corinthi exul.*	
17	112.	111. *Alexander* M. cœpit in Macedonia. *Alex. Tyrum cap. Hieroſolymis ſacrificat. Alexandriam condit.*		Diogenes Cynicus obit. *Ol 114.*	*Templū in monte* Gariziin *ſtruitur.*	325
20	Clades ultima ad Arbela: occaſus Perſici imperii, *Initiū Monarchiæ Alexandri M.*					
2	114. Alexander obit. cujus imperium poſt civiles Ducum diſſenſiones tandem in IV. regna diſtractum.		234. Pactio Caudina.	Ariſtoteles & Demoſthenes decedūt. *Ol. 114.*	AGATHOCLES Syracuſas cœpit.	

Anni Mūdi.	*ÆGYPTI*	*SYRIÆ & BABYL.*	*ASIÆ.*	*MACEDONIÆ.*	A. V. Rom.	Vir. Il.	Var.	Ante Chr
28	*PTOL. LAGI* fil.		Antigonus *caſo Eumene Aſia potitur.*	Aridæus Alexād. *fratri ſuccedit.*	442. XXX. millia Samnitium cæduntur ad Maleventum.	Theophraſtus.	Agathocles bellum transfert in Africā	
	116.	Seleucus Nicator.	*Dominatu Caſſandri liberat Athenas per filium Demetrium poliorcetem.*	cui Perdiccas *curator datus.* Caſſander *Antipat. f Athen. capit. Maced. potitur.*				
38	*Capit & affligit Hieroſolymā.*				445 *Bellum Hetruſcū cœpit.*	Xenocrates obit *Ol. 116.*		
	118.							
45	*Hoc anno omnes Alexandri ſucceſſores regiū ſibi nomen & inſignia ſumunt.*							
3650			*Antigonus à Seleuco occiditur Demetrius fugit.*					300

3651--			Demetrius *Athenis iterũ potitur.*	*Caſſander Rex obit, poſt quẽ de regno variè certatur, ſucceſſio tandem ſtetit in Demetrii poſteris.*		Megaſthenes Perſa		
			Occupat Macedoniam & Græciam totam.			Timæus fl.	*Athenæ dejecto Demetrii præſidio libertatẽ recuperant.*	
			Pellit Pyrrhũ Theſſaliam invadentẽ.		264. Debellatur tandem cũ Samnitib9 & fœdus renovatur.	Demetrius Phalereus perit. *Ol.124.*		
		Seleucus capto Demetrio Rex etiam Aſiæ.	*Victus à Regibus, tradit ſe Seleuco & anno poſt tertio moritur.*	*Macedonia Demetrio eripitur à Pyrrho, & huic à Lyſimacho.*		Beroſus Ægyptius.		
65	123 Ptol. *Philadelphus* cœpit vivo patre.	Extremum prælium inter duces Alex. M. Seleucum & Lyſimachum, in quo hic occumbit.		*Antigonus II. Gonatas,* Demetrii Poliorc. filius.	472. Belli Tarentini initium cum PYRRHO rege.	Theocritus.	*Galli tẽplũ Delphicum ſpoliant. In Aſiã trajiciunt.*	275
		Seleucus Ptol. Cerauni inſidiis oppreſſus, regnum Maced. quod Lyſimacho eripuerat, cum vita amittit.			482. Dedito Tarento bellum finitur.	Epicur9 obit *Ol. 127.* Manethos. Zoilus.	Initium ſocietatis & reip Achæorum.	
	127. S. Scriptura in Gr. linguã vertitur à LXX. interpret.	ANTIOCHVS Σωτὴρ Seleuco patri ſuccedit. ANTIOCHVS Θεός. Parthi duce Arſace à Syro-Macedonibus deficiunt.		*Gallo-Græcis debellatis, Athenas capit.*	490. BELLVM PVNICVM I. cœpit.	Aratus Sicyonius ejecto tyrãno patriam Achæorum reipub. jungit.	Hiero R Syracuſarum.	
3700--								250

Anni Mūdi.	Ol. Æg.	Syr.	Mac.	A. V. Rom.	Vir. C.	Var.	Ante Chr.
3701 -- 4	133. Ptol. III. Evergetes.	Seleucus II. Callinicus, Thei fil.	DEMETRIVS Antigoni Gonatæ fil	512. C. LVTATIVS Catulus Coſ Pœnos vincit ad Ægates.	Apollonius Rhodius Callimachi diſcipulus.		
		Antiochus ἱέραξ regi fratri bellū infert ope Gallorum.	Aratus Sicyonius Corinthū expulſo Macedonico præſidio Achæorum reip. jungit.	Finis I. Belli Punici.	M. Livius Andronicus. ENNIVS naſcitur. V.C.515. I. SIRACIDES venit in Ægyptum.	Attalus Pergamenus occaſione belli inter Seleucum Callinicū & Antiochum Hieracem fratres, res ſuas in Aſia auget.	
3730	140. Ptol. IV. Φιλοπάτωρ.	Seleucus Ceraunus f.	ANTIGONVS III. Δώσων	519. Templum Iani ſecundo clauditur.	Chryſippus Stoicus, Cleanthis diſcipulus.	Galli in Aſia invaleſcūt	225
	Pugna ad Raphiam Ptolomæo felix.	Antiochus M. Callinici f.	PHILIPPVS II.	536. BELLVM PVNICVM II. cœpit.			
	144. Ptol. V. Epiphanes.	Iudæam & Syriæ urbes Ptolomei poſſeſſas occupat.	Aratum Sicyoniū veneno perimit.	542. Syracuſæ capiuntur à M. Marcello.	Archimedes perit. Polybius naſcitur. Olymp. 143.		
3750 --	Iudæam & Syriæ urbes Antiocho adimit.			552. BELLVM PVNICVM II. finitur. 554. Bellū Macedonicum I.	Nævius obit. Ol. 144.		200

	145. Iudæi Ptolomæi præſidium arceHieroſ. ab Antiocho adjuti dejiciunt	Antiochꝰ urbes Syriæ recuperat. Vincitur ad Magneſiam à L. Scipione Coſ. Rom. *Seleucus* Σωτὴρ ὁ Φιλοπάτωρ.	Philippꝰ ad Cynoſcephalas vincitur à T. Quinctio Flaminio.	558. Philippo Macedonico pax, Græciæ libertas redditur à Quinctio. 563 Bellum cum *Antiocho* cœpit.	Plautus obit. V.C.554. *Eratoſthenes* obit, *Ol. 146.* Panætius Stoicus.	*Attalo* Pergameno ſuccedit *Eumenes.* *Hannibal* apud Pruſiam Bithyniæ Regẽ, veneno ſemet interimit.	275
3770	150. *Ptol. VI.* Φιλομήτωρ.	*Antiochus Epiphanes,* fil. Magni. Idolum in templo Hieroſ. collocat.	*Perſeus* cœpit.	575. LEX VILLIA *annalis, præfigens annos ætatis Candidatis Magiſtratuum.* 583. Bellum Macedonicum II.	St Cæcilius Comicus. Crates Mallotes.		
3800	151. Templũ Heliopoli ſtruitur à Iudæis auctore Onia. CLVII. Olympias.	*Antiochus Eupator* fil. Epiphanis. *Demetrius Soter* fil. Seleuci. *Alexander* Bala inſurgit contra Demetrium, Epiphanis ſuppoſititius.	Perſeus vincitur. *Finis Regni.*	586. L. Æmilius Paulus delet regnum Macedonicum. 590. Perſeus Albæ in carcere moritur. DCmusVrbis annus.	*Ennius* moritur. *Ariſtarchus.* *Terentius* naufragio perit. Pacuvius.	*Iudas Maccabæus* cœpit. Encænia templi Hieroſ. Iudæ Maccabæo ſuccedit frater *Ionathan.*	120

Anni Mūdi.	Ol. Æg.	Syr.	Jud.	A. V. Rom.	Vir. Il.	Var.	Ante Chr
3801—	158 *Ptol. VII. Phyſcon*, qui & Evergetes II.	DEMETR. NICAN.		605. Bellū PVNICVM III. 606. Macedonicum III. contra Andriſcū.	M. Porcius Cato obit. Apollodorus Athen.		149
		Antiochus Sidetes fr. Syriam invadit.	SIMON cœpit renovat fœdus cū Romanis.	608. *Carthago* & *Corinthus* delentur	L. Attius 30. annos natus fabulā docet, cum Pacuvio octogenario.		
			Simoni à genero occiſo ſuccedit *Ioh. Hyrcanus* fil.	609. Bellū contra *Viriathum* in Hiſpania. 621. Tiberius Gracchus perimitur.			
		Alexander Zebenna, everſo Demetrio, R.		622. *Numantia* à Scipione deletur.			125
3830	165. *Ptol. IIX. Lathyrus*, fil.	*Antiochus Grypus* Demetrii fil.		633. C. Gracchus ob pernicioſas rogationes occiditur.			
3840	168. Pellitur Ægypto à matre, eiq; ſurrogatur fr. Alexander.		*Delet templum in mõte Garizim. funditus evertit Samariam.*	641. Bellū Cimbricum cœpit. 643. Bellū Iugurthinum cœpit.	Cicero & Pompejus naſcuntur. V. C. 648.	Iugurtha everſis Micipſæ liberis Numidiam ſibi vendicat.	
			ARISTOBVLVS REX. IAMNEVS ALEXANDER REX II.	653 C Marius & Q. Catulus Cimbros in Italiæ aditu delent.	P. Rutilius Rufus. Lucilius obit. Carneades fl.		
3850--							100

3853	170. *Lathyrus* in regnum revocatur.	*Antiochus periit, ſuccedit, fr. Cyzicenus, quē evertit Seleucꝰ Grypi fil. & hunc Antiochus pius Cyziceni f. qui per annos ferè IX. contra æmulos patrueles regnum tuetur.*		664. Bellū Sociale. 666. Initiū belli civilis Mariani. 668 L. Sylla bellum in Græcia gerit contra Mithridatem. 673. Idem victis hoſtibus *Dictator* rēp. conſtituit & proſcriptionis tabulas proponit.	M. Antonius Orator. Artemidorus Epheſius. Metrodorus Sceptius. L Siſenna. Cl. Quadrigarius. Q. Val. Antias.	Mithridates Ponti R. Aſiam occupat, cives R. trucidat, Græciā invadit.	
3867	174. *Ptol. Auletes.*	Tigranes Armeniæ R. Syriā occupat. *Lucullus Tigrane victo Antiochū Aſiaticum Pii f. regem ſalutat.*	*Alexandra* defuncto marito regnum tenēt. *Hyrcanus* & Ariſtobulus II. fratres de regno contendunt. *Hieroſolyma capitur à Pompejo. Hyrcanus reſtituitur, Ariſtobulus Romam ducitur.*	677. Bellū Sertorianum in Hiſp. 681. L. Lucullus res in Aſia gerit cōtra Mithridatem.	Catullus & Salluſtius naſcūtur. V. C. 668. Geminꝰ Math. Q. Hortenſius.	Nicomedes Bithyniæ R. moriens pop. R. hæredē inſtituit.	75
3895	181. *Ptol. Ægypto à ſuis pulſus Pompeji juſſu reſtituitur à Gabinio.*	Syria à Pō pejo in provinciā redigitur.	Alexander Ariſtobuli fil. contra Hyrcanū in Iudæa tumultuatur.	688. Pompejus bellum piraticum conficit. 699. Pompeji, Craſſi, Cæſaris triūviratus.	T. Pomponius Atticꝰ. M. Terentius Varro. T. Lucretius ſibi mortē conſciſcit.		
3900	182. *Ptol. Dionyſius cū ſorore Cleopatra.*	Gabinius Syriæ præſes.					50

C. Cæsar victo Pompejo rapit Monarchiam. X.

Anni Mūdi.	ÆGYPT.	JUD.	A. V. ROM.	VIRI ILL.	VARIA.
3901.				Diodorus Siculus.	
3903.	CLEOPATRA à morte fratris ſola regnat.	*Herodes* Iudææ R. Romæ deſignatur.	710. C. Cæſar Romæ in curia occiditur.	Cornelius Nepos.	
			723. Antonius ad Actium vincitur. C. Cæſar Octavianus, rogatus à ſenatu retinet imperiū, rēp conſtituit, appellatur AVGVSTVS.	722. T. Pomp. Atticus obit.	Phraates Parthorum Rex Romana ſigna Craſſo erepta reſtituit.
3920.	Victis ac à ſemet interfectis *Antonio* & *Cleopatrâ*, ÆGYPTVS in provinciæ formam redigitur à Romanis.			Dionyſ. Halicarnaſſ. venit in Italiam. Nicol. Damaſcenus.	
3939.		Herodes templū Hieroſ. inſtaurat.	Druſus in Germania res bene gerit.	735. Virgilius obit. 741. M. Agrippa obit.	
			748. Auguſtus Tiberium adoptat.	746. Mœcenas, & Horatius obeunt.	
3950.					

CHRISTI NATALIS DIONYSIANVS, VNDE VVLGARIS ÆRÆ INITIVM.

Lectori Studioſo S.

SUmma hiſtoriæ univerſæ veſtigia, ab orbe condito ad C. Cæſaris monarchiam, decem tabulis impreſſimus, quarum prima annos continet cIↄ cIↄ, ſecunda annos Iↄ, tertia cccc, quarta ccc, quinta cc, ſexta & ſequentes ſingulæ c. Clauduntur quinque priores ſingulæ illuſtri quodam temporis articulo: Prima quidem *ortu Abrahami*; ſecunda *ingreſſu populi in terram Canaan*; tertia *regni Iſraëlitici exordio & fine Attici*; quarta *Romæ conditu*; quinta *Cyri initiis*. Quinque cæteras ſuum quasq; ſeculum abſolvit; niſi quod huic omnium ultimæ L. annorum ἐπισθόγραφον adjecimus, quod eò factum, ut ſi quis in natali Servatoris terminum figere malit, eum & hîc inveniat. In temporum ratione ſequimur Joſephum Scaligerum, prout in Canone Chronico eam expreſſit V. Cl. Ubbo Emmius. Annos ante Chriſtum natum ab initio æræ vulgaris Dionyſianæ computamus. TA-

TABULÆ CHRONOLOGICÆ

A NATO CHRISTO
AD ANNUM.

---

cIɔ Iɔ c.
LVIII.

Anni Chriſti æra vulgaris Dionyſianæ.

Anni Chr.	Res Imp. Rom.	Res Eccl.	Viri Cel.	Varia.
	C. Cæſar Octavianus Auguſtus obit A. C. 14, æt. 76, à primo conſulatu 46, à devicto Antonio 43.	CHRISTI NATALIS Dionyſianus Anno Mundi 3950.	Trogus Pompejus. C. Iul. Hyginus. Antiſtius Labeo. C. Attejus Capito.	9. Archelao relegato per Cæſarum procuratores Iudæa adminiſtrari cœpit.
14	TIBERIVS. 23. *Sævitia, libidine, arrogantia, omnibus inviſus.*	Chriſtus in templo diſputat annus natus XII.		10. Quintilius Varus ab Arminio cæditur.
17	Germanicus Cæſar de Cheruſcis, Cattis, Angrivariis triumphat.	Chriſtus baptizatur annos natus XXX. Iohannes Baptiſta ab Herode Antipa capite truncatur.	17. Ovidius *obit.* Livius *obit.* Strabo. 19. L. Feneſtella *obit.*	17. Terræ motus XII. Aſiæ urbes affligit. 19. Arminius dolo ſuorum perit.
31	Sejanus ſcelerum patrator, juſſu Tiberii cum omni ſtirpe tandem necatur.	33. Paſſio Chriſti & reſurrectio.	Velleius Paterculus. Cornelius Celſus. Maſſurius Sabinus. Caſſius Longinus uterq;. Val. Maximus.	27. Amphitheatri Fidenatis ruinâ L. hominum millia obteruntur. Herodes Antipas tetrarcha Galilææ.
37	C. CALIGVLA. 3. *Cædibus, ſtupris ac rapinis omnia miſcet.*	34. Pauli converſio.		37. Herodes Agrippa à Cajo Imp. Rex Trachonitidis &c. à Claudio Iudææ etiam & Samariæ conſtituitur.
41	CLAVDIVS. 13. *Stolidus & alieno ductu crudelis.*		40. Philo Iudæus *Legatus Romæ pro gentilibus ſuis.*	
44	Britannos ſubigit.	43. Iacobus major ab Herode Agrippa occiditur. Petrus ab eodẽ in carcerem conjectus ab Angelo liberatur.	Pomponius Mela. Columella.	44. Agrippâ divinitus percuſſo, Iudæa iterum per Romanos procuratores adminiſtratur
50	Iudæos Româ pellit.			

54 NERO. 13. *Monſtro quam homini ſimilior.*	Simon magus. Nicolaitæ.	Petronius Arbiter. M. Val. Probus. L. Seneca. M. fil.	Eſſeni florent in Ægypto.
57 Parthos per Corbulonem feliciter reprimit.	62. Iacobus minor lapidibus obruitur.	Lucanus.	
64 Vrbem incendit, & invidiam ſceleris derivat in Chriſtianos.		Proculus. Perſius.	70. Hieroſolymæ & Politiæ Iudaicæ excidium. *Finis hebdomadũ Danielis.*
68 GALBA. OTHO. VITELLIVS.	64. PRIMA PERSECVTIO Chriſtianorum, Petrus cruci ſuffigitur, Paulus gladio truncatur.	Apollonius Tyanæus. Q. Curtius. Quinctilianus. Aſconius Pedianus.	
69 FL. VESPASIANVS 10. *Principum omnium poſt Auguſtum optimus.*			72. Templum Iudæorum in Ægypto diruitur.
79 T. VESPASIANVS. 2. *Amor & deliciæ generis humani.*		80. Plinius perit. Martialis. Val. Flaccus.	73. Cæſarea fit metropolis Palæſtinæ.
81 DOMITIANVS. 15. *Sævus, rapax, luxurioſus.*	Ebion, Menander, Cerinthus hæretici.	St. Papinius. Iuvenalis. Silius Italicus. 94. Fl. Ioſephus *Antiquitatũ libros abſolvit.*	80. Veſuvii montis incẽdium.
84 Iul. Agricola conficit bellum Britannicum.			Muſonius, Epictetus, Dio Pruſæus, aliique Philoſophi urbe & Italiâ pelluntur.
96 COCCEIVS NERVA. 1.	92. Clemens Epiſcopus Romanus cœpit.	Sext. Iul Frontinus.	
97 TRAIANVS. 19. *Optimus à Senatu appellatur.*	94. PERSECVTIO II. S. Iohannes relegatur Fl. Clemens Exconſul. martyrio coronatur.	Cornel. Tacitus.	
100	99. S. Iohannes Epheſi obit.		

Res Imp. Rom.	Res Eccl.	Viri Cel.	Varia.
Trajanus Daciam victo Decebalo ſubigit.		Plutarchus. Philo Byblius.	
Idem contra Parthos, Armenios, Arabes res magnas gerit.	107. *Perſecutio III.* Ignatius Antiochiâ Romam tractus leonibus objicitur.	*Papias S. Ioannis auditor.* C. Plinius *Bithyniæ præſes.*	
Iudæi in Africa & Cypro rebelles compeſcuntur.		L. Annæus Florus.	14. Babylon, Cteſiphon, Seleucia à Trajano capta.
HADRIANVS 21. *Ingenio varius.*	Trajani perſecutionẽ ſucceſſor ejus propagat.	Phavorinus Arelatenſis. Suetonius Trãquillus.	18. Iudæorum rebellio in Iudæa à Marcio Turbone caſtigatur.
Rebus urbanis conſtitutis provincias peragrat.	Aquila Bibliorum interpres.	Ptolomæus. Neratius Priſcus.	
Parthis Armenia, Aſſyria, Meſopotamia cedit.	126. Quadratus & Ariſtides Apologeticos Imperatori exhibent.	Iuventius Celſus. Priſcus Iabolenus.	29. Iudæis Hieroſol. agro interdictum.
Hieroſolyma inſtaurat.		Arrianus. R. Akiba. Cl. Aelianus. Phlegon Trallianus.	31. Salvius Iulianus auctoritate Hadriani Imp. edictum perpetuum condit.
Iudæos Barcocheba duce rebelles internecione delet.			
ANTONINVS PIVS. 24. *Alter Numa.*	Baſilides Gnoſticorum ſectæ parens.	Zenobius Sophiſta. Max. Tyrius. Galenus. Iuſtinus *Trogi abbreviator.*	R. Iehuda cognomẽto ſanctus juris Iudaici traditiones ſcripto mandat.
Orbem terrarum ſine bello ſola auctoritate texit.	Iuſtinus Apologiam edit. Marcion, Cerdo, Valentinus hæreſiarchæ.		

		Symmachus Bibliorum interpres. Hegeſippus ex Iudæo Chriſtianus.	Appianus. Diog. Laërtius. Gellius.	
161	M. ANTON. PHILOS. 19. & L. ANTONINVS VERVS. 9. *Fratres diſſimillimi.*	163. Iuſtinus Apologiam alteram imperatoribus offert.	Apollonius Alexandrinus. Hermogenes *Rhetor.*	62. Vologeſes Part. R. Rom. imperii fines infeſtat.
165	De Parthis triumphant.			65. Britannis permiſſu Regis publicè annunciatur Evangelium.
169	L. Verus apoplexia perit.	166. PERSECVTIO IV. Iuſtinus Romæ, Polycarpus Smyrnæ martyrium obeunt.	Polyænus. Pauſanias. Athenæus.	
	Bellum Marcomannicum.		Appulejus, *Athenagoras*, *Theophilus.*	
	Chriſtiana legio pluviam & victoriam exercitui Imp. impetrat.	Montanus, Tatianus, hæreſiarchæ.	*Melito Sardenſis.*	
180	COMMODVS. 12. *Optimi patris peſſimus filius.*	Theodotion Bibliorum interpres.	*Apollinaris. Dionyſius Corinthius.*	
		85. Apollonius ſenator Rom. martyr.		89. Cleander nuper apud Cōmodum potens dignum vita exitum ſortitur.
192	PERTINAX. DIDIVS IVLIANVS. SEPTIMIVS SEVERVS. 18.	Pantænus Indiam petit Evangelii proferendi cauſſa.	Lucianus. Phrynichus.	
	Peſcennium Nigrum in Oriente, Clodium Albinum in Occid Imperii competitores ſigillatim aggreſſus vincit.	Contentio de tempore celebrandi Paſchatis. Tertullianus ſcribit Apologeticum.	Iulius Pollux. Iul. Solinus.	Artabanus Part. R. ab Imp ſuperatur.
200				

Anni Chr.	Res Imp. Rom.	Res Eccl.	Viri Cel.	Varia.
201		V. PERSECVTIO, quâ *Philippus* Ægypti Præſes, *Leonides* pater Orig. *Irenæus* cum omni ferè populo ſuo Lugdunenſi martyrio coronati.	Clemens Alexandrinus. Minucius Felix.	
205	Severus Imp. ex Oriente redux triumphat. Idem in Britannia, re feliciter geſta, obit.		*Papinianus. Philoſtratus ſcriptor vitæ Apollonii.*	Plautianus Præf. Prætorio, gratiâ & opibus florens, Caracallæ ſocer, à genero interimitur.
211	Ant. Baſſianus CARACALLA, cum fr. GETA.		*Philoſtratus prioris gener ſcripſit vitas Sophiſtarum.*	
212	*Geta* in ſinu matris à fratre occiditur.	215. Diſputatio inter Cajum Catholicum & Proclum Montani ſectatorem Romæ inſtituitur.	Iul. Africanus. *Dion Caſſius. Herodianus.*	
217	MACRINVS. 1.			
218	HELIOGABALVS. 4. *Omnium nequiſſimus.*		*Vlpianus, Pomponius, Celſus, Modeſtinus, Paullus ICti.*	
222	SEVERVS ALEXANDER. 13. *Pace belloq; optimus.*	19. Hierichunte in dolio inveniuntur divinæ ſcripturæ libri Græcè redditi. Origenes Alexandriæ, Cæſareæ, Athenis ſacros codices interpretatur.	*Oppianus.*	
235	MAXIMVS. 2. *Gordiani pater & filius Imperium uſurpantes occiduntur.*		*Ammonius* præceptor *Plotini.*	25. Iudæis in Palæſtina degere permiſſum. Talmud. Hieroſol. à R. Iochanã conſcribitur.
237	BALBINVS & PVPIENVS. 1.			
238	GORDIANVS. 6.	35. VI. PERSECVTIO, pleroſq; omnes eccleſiarum Antiſtites partim morte, alios exilio ſuſtulit.	Gregorius Neocæſarienſ.	30. Perſæ Artabano Partho everſo imperium Orientis recuperant per ARTAXERXEM.
244	PHILIPPVS ARABS. 5. *Parricida anteceſſoris.*		*Cenſorinus. Serenus Sammonicus.*	
249	DECIVS. 2.	49. VII. PERSECVTIO, priorib. ſævior.	Cyprianus.	42. Sapores Rex Perſarum Romanis finibus infeſtus.

251 GALLVS *pater* & VOLVSIANVS *filius*, 2.	Paulus in eremum ſecedit.	Dionyſ. Alexandrinus.	Perſæ Antiochiam diripiunt. Scythæ Chalcedonem capiunt, Nicæam ſuccendunt. Gothi Macedoniam vaſtant.
253 VALERIANVS cũ fil. GALLIENO.	Novatiani & Novati ſchiſma Romæ contra Cornelium Epiſcopum.	*Gregorius Imperialium conſtitutionũ collector.*	
260 Valerianus à Sapore capitur. A Gallieno duces paſſim deficiunt.	57. IIX. PERSECVTIO. Cyprianus primùm exilio, inde capite mulctatur.		64. Odenatus Palmyrenorũ Decurio, Zenobiæ maritus, regio nomine aſſumpto, Perſas Romanis finibus expellit.
268 CLAVDIVS, 2. *Frugi & moderatus.* Gothos ingenti ſtrage fundit.			
270 AVRELIANVS. 5. Vincit Alemannos & Marcomannos. Zenobiam triumphat.	Sabellius hæreſis abolitæ inſtaurator. 70. Paullus Samoſatenus Deitatis in Chriſto abnegator, in Synod. Antioch. damnatur.	72. *Dionyſ. Longinus juſſu Imp. occiditur.*	
275 TACITVS. FLORIANVS. 276 Aur. PROBVS. 6.		*Porphyrius Plotini & Longini diſcipulus.*	
822 CARVS, cum filiis CARINO & NVMERIANO.	72. IX. PERSECVTIO. 77. Manichæorum hæreſis erumpit.	Arnobius.	
284 DIOCLETIANVS. 20. MAXIMIANVS HERCVLIVS Imp. Collega. 291 Iulius Conſtantius Chlorus & Galerius Maximianus Armentarius adoptantur Cæſares. 300	97. Thebææ legionis milites, quod Chriſtiani eſſent; omnes ad unum à Max. Herculio trucidantur.	Lactantius. *Spartianus.* *Vulcatius Gallicanus.* *Trebellius Pollio.*	Conſtantius Chlorus Britanniam, Diocletianus Ægyptum, Herculius Africam pacant, Narſeum Perſam vincit Galerius.

Res Imp. Rom.	Res Eccl.	Viri Cel.	Varia.
Impp. depoſitâ purpurâ *Conſtantium Chlorum* & *Galeriũ Maximianum* renunciant Auguſtos.	X. PERSECVTIO atrociſſima.	*Iul. Capitolinus.* *Æl. Lampridius.*	305. Conſtantius filium Conſtantinũ; Galerius Severum Maximinum Cæſares appellant.
CONSTANTINVS M. 31. MAXENTIVS Herculii fil. 6.	Donatiſtarum ſchiſma in Africa.	*Fl. Vopiſcus.* Iuvencus. Hermogenes conſtit. Imperialium collector.	309. Sapores II. Rex Perſ. cum vitæ initio cœpit, regnavit annos 70. Perſequutor Chriſtianorum.
Licinius à Galerio Cæſar conſtituitur.			
Maxentius perit.	25. SYNOD. NICÆNA, Arii hæreſin damnat, & controverſiã de Paſchate dirimit.		Gladiatorũ ſpectacula è R. orbe ſublata.
Licinius capite mulctatur.			
Criſpus Cæſar dolo novercæ occiditur.	30. Athanaſius ex presbytero Epiſcopus Alexandr.		
Encænia novæ urbis Cpolis.	34. Synodus Tyri Ἀρειανίζουσα.		327. Fauſta Conſtantini M. uxor calumniarum in Criſpinum Cæſ. rea occiditur.
CONSTANTINVS, CONSTANTIVS, CONSTANS.	Ancyrana & Gangrenſis Synodi.	40. Euſeb Cæſarienſ. obit. *Terentianus Maurus. Iamblichus, Donatus.*	41. Franci Galliam populantes à Conſtante vincuntur.
Conſtantinus à Conſtante prope Aquilejam cæditur.	47. Synodus Sardicenſis eiq; oppoſita Philippenſis.	Iul. Maternus Firmicus.	Cõſtantis morte cognita Vetranio in Pannonia, Nepotianus Romæ imperium arripiunt.
Conſtans à Magnentii duce occiditur.	PHOTINVS & Macedonius hæretici.		

351	Magnentius vincitur à Conſtantio.		51. Synodus Sirmienſis hæreticorum.	Lucifer Calaritanus.	Niſibis à Sapore Perſa ter fruſtra obſeſſa.
361	IVLIANVS Apoſtata.		55. Hilarius Pictavorum Epiſcopus relegatur.	56. Antonius Monachus obit.	54. Gallus Cæſar capite mulctatur à Conſtantino.
363	IOVIANVS.		57. *Liberius* Papa R. Arianæ hæreſi ſubſcribit.	*Aurel. Victor. Eutropius. Proæreſius. Themiſtius.*	Iovianus cum Perſis pacem init tradita Niſibi & magna parte Meſopotamiæ.
364	VALENTINIANVS in occidente. 12.	VALENS 25. In oriente.	59. Ariminenſis & Seleucienſis ſynodi hæreticorum. Valens Imper, Catholicos vehementer perſequitur.	Optatus Milevitan. Cyrillus Hieroſol. Ephrem Syrus. 71. Athanaſius obit.	VVeſt Gotthi Valentis permiſſu in Thracia ſedes ponunt.
375	GRATIANVS & VALENTINIANVS II.	389. THEODOSIVS 17.	Baſilius M. Cæſareæ in Cappad. Epiſcopus.		Vlphilas ſ. ſcripturam in linguam Gotthicam traducit.
385	Cl. Maximus tyrannus Gratianum perimit.	388. Cl. Maximū fugat.	Gregorius Nazianzenus. Ambroſius Mediolanenſis, Martinus Turonenſis Epiſcopi. Gregorius Nyſſenus.	*Oribaſius. Eunapius. Aramianus Marcellinus.* Philaſtrius. Evagrius. Epiphanius. Prudentius.	384. Symmachus de ara Victoriæ inſtauranda Valentinianum interpellat, quem refellit Ambroſius.
392	Valentinianus ab Arbogaſte ſtrangulatur.	394. Eugenium tyrannū vincit.	81 Synod. *Conſtantinop.* Oecum. II. damnat Macedonium. Priſcillianiſtarū ſecta in Hiſp. Hieronymus.	Didymus Alexandrinus. *Fl. Vegetius. Macrobius.*	
395	HONORIVS 28.	ARCADIVS. 13.	Ruffinus. 97. S. Ambroſius obit.	*Claudianus. Auſonius. Manilius.*	Iezdegirdes Rex Perſarum.
400					

Seculum IV.

IMP. OCC.	IMP. OR.	RES ECC.	VIRI C.	VARIA.
Stilico Radagaiſum occidit.		Innocent. I. Epiſcop. Rom. 7. I. Chryſoſtomus obit in exilio.	Sever. Sulpitius. *Sext. Aur. Victor.* Syneſi9 Cyrenenſ. Ep.	Gothi primũ Radagaiſo, inde Alarico R. ducibus, in Italiam irrumpunt, ſtipati Hunnis.
Stilico Honorii juſſu perimitur.	8. THEODOSIVS II. 43.	11. Collatio contra Donatiſtas Carthagine, coram Marcellino Tribuno.	Paulus Oroſius. Sedulius. Cyrillus Alexandr.	Alani, Vandali, Suevi, Burgundiones, Gallias & Hiſpanias invadunt.
CONSTANTIVS conſors Imperii.	14. Pulcheriam ſororem Auguſtam appellat.	16 PELAGII & Cæleſtii errores Carthagine & Mileti damnantur.	Theodoretus. Proclus Ep. CPtanus. Poſſidius Calamẽſis Epiſcopus.	10. Roma cap. ab Alarico. 11 Alarico ſuccedit Athaulfus, aſſumta in uxorem *Placidia* Honorii ſorore.
VALENTINIANVS III. 30.	Perſicum bellum contra VVaranem.	20. S. Hieronymus annos natus 91. obit.	Paulinus. Vincentius Lirinenſis.	*Pharamundus* primus Rex Francorum. 27. Vandali & Alani duce Genſerico in Africam penetrãt à Bonifacio Comite invitati.
Aëtius contra Francos, Burgundiones, Gothos, Hunnos rem Romanam utcunque ſuſtentat.	35. Codex Theodoſianus editur Cpoli.	30. S. Auguſtinus anno æt. 76. obit. 31. Synodus EPHESINA, contra Neſtorium.	Socrates. Sozomenus. *Zoſimus. Olympiodorus.*	29. Clodius Pharamundi f. trans Rhenum in Gallias erũpens ab Aëtio reprimitur.
Picti & Scoti Britannos infeſtant.	Bleda & Attila Illyricũ & Thraciam populantur.	32. *Patricius* Hibernos docet fidẽ Chriſtianam. 40. LEO ordinatur Epiſcopus R.	1. Caſſian9. Philoſtorgius. Iſidorus Peluſiota. Idatius.	45 Clod. Franc R. ditionem trans Rhenũ extendit.
	50. MARCIANVS.			49. *Meroveus* Franc. in Gallia ſedem firmat.

451	Attilæ clades in campis Catalaunicis.		51. Synod. CHALCEDONENSIS contra Eutychem.	Proſper Aquitanus.	Saxonum in Britanniam adventus.
455	MAXIMVS.			*Paullus Ægineta.*	Venetiarum origo.
456	AVITVS.				
457	MAIORIANVS. 4.	57. LEO Thrax. 17.	Perſequutio Vandalica ſub Arianis regibus fervet in Africa.	*Aëtius Amidenus.* Salvianus Maſſilienſis.	55 Genſericus ex Africa in Italiam evocatus Romam diripit.
461	SEVERVS. 4.				
467	ANTHEMIVS. 5.		61. LEO Epiſcop. R. obit.	60. obit Simeon Stylites ὁ θαυμαστός.	76. Genſerico in Africa ſuccedit *Hunericus*.
472	OLYBRIVS.				
473	GLYCERIVS.				
474	IVL. NEPOS.	74. ZENO. 18.	72. Sidonius Apollinaris Arvernorũ Epiſcopus creatur.	Fauſtus Rhegienſ. Ep.	
475	AVGVSTVLVS.				
476	ODOACER Herulus Italiam occupat.	77. *Baſiliſcus* imperii invaſor perit.	*Hunericus* R. in Africa ſævit in Catholicos.	Gelaſius Cyzicenus. Sidonius Apollinaris. Æneas Gazæus.	84. Hunerico ſuccedit *Gundamundus*.
	Finis Imp. Occid.				
	REGES ITALIÆ.	91. ANASTASIVS. 27.	94. Gelaſius P. Rom. qui libri authentici, qui apocryphi ſint habendi, declarat.	Victor Vticenſis. Ennodius Ticinenſis. Gennadius Maſſilienſis.	95. *Thraſamundus* Vandal. Rex.
493	THEODORICVS OſtGott. R. *Odoacrum* evertit.				99. Bulgari in Romanos fines incurrũt.
			Clodoveus R. Franc. initiatur Chriſtianismo.	*Proclus Lycius.*	
500					

Anni Chr.	Reg. It.	Imp. Or.	Res Ecc.	Viri C.	Varia.
		Anaſtaſius cum Perſarum Rege Cabade bello conflictatur. Vitaliani Gothi contra Imper. inſtructa claſſis Procli ſpeculis æreis conflagrat. 18. IVSTINVS Thrax. 9.	Fulgentius Ruſpenſis Epiſcop. à Thraſamūdo in Sardiniam relegatur. 18. Tumultus CPli contra Anaſt. Imp coortus ob triſagii hymni interpolationem.	Symmachus. Boethius. Ferrandus Diacon9. *Heſychius Mileſius.* Nonnus Panopolita Avitus Alcimus. Dionyſ. Exiguus. I. Maxentius.	*Cabudes* Perſa orientalem Imperii limitem infeſtat. 7. *Clodoveus* Alarico VV. Gotho debellato Lutetiam regni ſedem conſtituit. Amalaricus fil in Hiſp. fugiens hanc & partem Galliæ retinet. 22. *Hildericus* Vand R. orthodoxis benignus.
526	*Athalaricus* ſub matris Amalaſunthæ tutela. 9.	27. IVSTINIANVS. 38. 29. *Belliſarius* contra Cabadē Perſam mittitur.	*Hildericus* R. Vand. Africanis Eccleſiis pacem reddit.	Marcellin9 comes. Caſſiodorus.	26. Antiochia terræ motu pænè omnis evertitur.
534	*Theodatus.* 2.	34. Belliſar. Africam recipit	29. Arauſicana ſynodus contra Pelagium.	Epiphanius Scholaſticus. Anaſtaſius Sinaita.	29. Codex Iuſtinianeus publicatur.
536	*Vitiges.* 4.	36. Idem Romam recuperat, & pòſt Vitigem capit.		Arator. *Procopius.*	30. Hildericum Vandalū regno exuit fr. *Gilimer.*
539	*Ildibaldus.* 1.		S. BENEDICTVS Caſſinenſe cœnobium cōdit.	*Priſcianus. Agathias. Marinus Neapolitanus. Ammonius.*	34. Finis regni Vandalici in Africa.
	Eraricus. m. 3.	40. Idem cōtra *Coſroem* Perſam & ſubinde contra *Totilam* mittitur.			
541	TOTILAS. 10.		35. Ioh. Philoponus, Grammat. Alexandr. *XIIX.* argumenta Procli ſcripto confutat.	*Tribonianus. Damaſcius Damaſcenus.*	40. *Coſroes* Perſa Syriam vaſtat.
	Romam bis capit.	48. *Theodora* Auguſta obit.		Iornandes.	48. Berytus Phœniciæ, ſtudiorum mater, terræ motu evertitur.
550					

		52. *Narſes* Totilam inde & *Tejam* debellat.	53. Synodus CPtana ſecunda, Oecumenica quinta Theodori Mopſveſteni libros, Ibæ Edeſſeni epiſtolam & Theodoreti commentariũ contra Cyrilli anathematiſmos damnat.	Gildas ſapiens. *Simplicius.* Liberatus.	Monachi translatis ex India bombycum ovis ſerici cõficiendi rationem docent Europæos.
553	*Tejas* Rex ult. 1. *Finis regni Gothorum in Italia.*				
		65. IVSTINVS. II. 13. *A bello alienus, legum amans & juſtitiæ.*		Procopius Gazæus. 65. *Belliſarius* obit.	58. Hunni Thraciam vaſtantes à Belliſario reprimuntur.
568	ALBOINVS Langobard. R. Italiam invadit.			*Corippus.* Venantius Fortunatus.	Langobardis in Italia dominantibus Ravennam tenent Exarchi.
574	*Clepho*, 1. Interregnũ decenne.	78. TIBERIVS II. *princeps lenis, juſtus, munificus, piꝰ.*		Evagrius.	74. *Alboinus* fraude uxoris Roſimundæ perit.
585	*Authar*, 7.	82. MAVRITIVS Cappadox 20. *Virtutes reliquas labe avaritiæ deformavit.*	91. Greg. M. eligitur Papa R. 96. In Britannia Picti à Columbano, Angloſaxones ab Auguſtino Monacho docentur fidẽ Chriſtianam.		91. *Hormiſdæ* Perſarum Regi in carcerem detruſo ſurrogatur fil. Cosroës ſecundus.
591	*Agilulfus*, 25.	Bellum Perſicum. Bellum Avaricum.		96. Gregorius Turonenſis obit.	
600					

Anni Chr.	Imp. Or.	Reg. It.	Res Ecc.	Viri C.	Varia.
602	PHOCAS. 8. *Imperium eadem immanitate, qua quæſierat adminiſtrat.*		4. Gregorius M. PapaR. obit.	Iſychus Ep. Hieroſ. Theophylactus Simocatta.	Coſroes Perſa Romanos fines populatur. 12. Francorum Reges civili bello colliduntur.
610	HERACLIVS. 30.				13. *Clotarius* toto Francorũ regno potitur. *Avares* Thraciam infeſtant.
614	Perſæ Hieroſolymam occupant, Ægypto & Libya potiuntur.	16. *AdalVValdus*. 10.	14. Capta Hieroſolyma lignũ Crucis in Perſidem aſportatur. Chriſtianorũ ad XC millia Iudæis venduntur maſtanturq;	Iohannes ἐλεήμων. Leontius.	
621	*Heraclius* in Armenia Perſas cædit & in Perſidem penetrat.	26. *Ariovaldus*.	30. Cantabrigienſis Academia à R. Sigisberto inſtituitur. 30. Initium ſectæ MONOTHELETARVM.	Sophronius Ep. Hieroſol. Ioh. Moſchus.	22. MVHAMMEDES Arabum princeps ob novam ſectam Meccâ profugit. *Dagobertus* R. Francorum 31. *Muhammedes* obit. Succeſſores illius Saraceni paullatim Palæſtinam, Syriam, Ægyptum occupant.
627	*Siroes* Perſ. R pacem reddit Romanis.	39. *Rotaris*. 10.		36. Iſidorus Hiſpalenſis obit.	
641	CONSTANTINVS. m. 4. HERACLEONAS. m. 6. CONSTANS. 27.		Conſtans Orthodoxis juxta atque Monotheletis ſilentium imperat.	Antiochus monachus.	40. Saraceni Hormisda fugato Perſidem ſibi ſubjiciunt. 44. Dagoberto ſuccedunt filii *Clodoveus II.* & Sigebertus.
650					

654	Conſtans ad Lyciæ littus infeliciter pugnat contra Saracenos.	54. *Rodoaldus.* 5. 60. *Aripertus.*	57. Clodoveus in ſumma annonæ penuria aurum & argentum ſepulcris abradi, & in pauperes dividi jubet.	Audoënus Epiſcopus Rotomagenſis.	53. Saraceni Rhodum occupant. *Muavia* Saracenorum Calipha princeps victorioſus. 60. Francorum Regibus in luxum & inertiam ſolutis, Palatii præfecti plæraq; omnia deinceps adminiſtrant.
668	CONSTANTINVS Pogonatus 17.	62. *Gundipertus.* 63. *Grimoaldus.* 9.		Hildephonſus Epiſc. Toletanus.	
676	Saraceni obſeſſa nequicquam CPli inducias XXX. annorum paciſcuntur.	73. *Garibaldus*, m.3. *Pertarithus.* 17.	62. Bathildis Clodovei uxor Corbeienſe monaſterium condit.	Maximus monachus CPtanus, martyr.	70. Saraceni Syracuſas expugnant.
685	IVSTINIANVS II. ῥινότμητος. 10. *Barbarus & immitis.* Induciis Saracenicis temerè & infeliciter renunciat.	91. *Cunipertus.* 12.	80. Synod. Cptana III, œcumenica ſexta damnat Monotheletas & in his Honorium R. Pontificē.	Ionas ſcriptor vitæ Columbani.	77. *Bulgari* VVolgæ fl. accolæ, Thraciam vaſtantes pacem Imperatori vendunt pactione annui tributi. 91 *Pipinus* Anſegiſi fil. Auſtraſiæ & Neuſtriæ regnorū magiſterium per 27. annos gerit.
695	LEONTIVS 3. Iuſtinianum naſo mutilatum relegat.		90. Egbertus Eboracens. Archiepiſcopus, VVillebrordum, Suibertū, Lebuinum, aliosq; in Friſiam ad Evangelium docendum mittit.	Iulianus Archiep. Toletanus.	98. Saraceni Carthaginem evertunt.
698	TIB. ABSIMARVS. 7. Leontium naſo truncat.				700 Saraceni in Syria, Armenia & Cilicia latè cæduntur.
700					

Seculum VII.

Anni Chr.	IMP. OR.	REG. IT.	RES ECC.	VIRI C.	VARIA.
705	Iuſtinianus imperium recuperat. 6.	3. *Luitpertus*. m. 8.	6. Saraceni Chriſtianis Damaſci primarium templum adimunt.		
		Regimpertus. m. 3.	7. Synodus Trullana quini-ſexta.		
711	PHILIPPICVS. 2.		12. Philippicus ſextam ſynodum abrogat.		12. Saraceni Hiſpaniam occupant cæſo Roderico R.
713	ARTEMIVS mutato nomine ANASTASIVS dictus. 2.	4. *Aripertus*. 11.	*Bonifacius* ex Anglia Monachus Bavaros, Francos orientales Haſſones ac Thuringos docet fidem Chriſtianam.	Beda.	14. *Pipinus* obit, ſuccedit in regni præfectura filius *Carolus Martellus*.
		16. *Aſpirandus*, m. 3.			
715	THEODOSIVS. 2.				
717	LEO ISAVRVS. 24. CPlin à Saracenis obſeſſam fortiter defendit.	*Luitprandus*. 30.	26. Leo Imp. incipit εἰκονομαχεῖν.	Ioh. Damaſcenus ſcribit contra Imp. pro ſacris imaginibus.	17. Aſtures Pelagio Gothi duce Saracenos latè vincunt in Hiſpania. *Carolus Martellus* Saxones, Bavaros, Alemannos, Saracenos cædit.
727	Romani relictâ fide Imp. in fidem ſe Rom. Pontif. Greg. II. dedunt.	46. *Hildebrandus*. m. 7.	Greg. II. Papa R. Imp. anathemate ferit. S. Bonif. Mogunt. Eccleſ. profectus Fuldenſe monaſt. condit.	30. Germanus Epiſcopus CPtanus obit in exilio. 34. Beda obit. 37. VVillebrordus primus Ep Traject. obit.	41. Carolo Martello ſuccedunt duo filii Carolomannus & Pipinus.
		Rachis. 6.			
741	CONSTANTINVS COPRONYMVS. 34. Hujus uxor *Irene* Cagani Avarum Regis filia.	50. *Ariſtulphus* occupat Ravennam.	Idem in Bavaria IV. in Francia Or. II. inſtituit Epiſcopatus. 47. Carolomānus è Rege Monachus Caſſinenſis.		42. Childericus poſtremus è Merovæi poſteris R. Francorum.
		Finis Exarchatus.	50. Rachis è Langob. Rege Mon. Caſſin.		Atrox peſtis Græciam, Italiam &c. populatur.
750					

	Imperator Iconolatras grauiter perſequitur.	57. *Deſiderius* ultimus Lãgobardorum. 18.	52. S. Bonifacius Præſul Moguntinus Pipinum in RegemFrancorum perungit. 54. Synodus CPtana 338. Epiſcoporum damnat imaginum in tẽplis uſum.	54. S.Bonifacius àFriſiis interficitur.	52. PIPINVS Caroli Martelli fil. exPalatii præfecto Rex Francorum, exauctorato Childerico.
762	Bulgaros vincit ad Anchialum & triũphat.		Leo Imp. in reprimendo imaginũ cultu patrem avumq; æmulatur.	Theodorus Studites. Alcuinus Albinus. Paullus Diaconus.	62. TVRCÆ portis Caſpiis effuſi Armeniæ incumbunt, & Saracenos oppugnant. 68. CAROLVS M. R. Francorum coronatur.
775	LEO IV.	74. CAROLVS M. capto Deſiderio R. Italiæ.		81. VVillibaldus primus Eyſtetenſ. præſul obit.	72. Initia belli Saxonici per annos *XXXIII.* continuati.
780	CONSTANTINVS VII. cum matre Irene. 10.		80. Oſnabrugenſis eccleſia prima in omni Saxonia à Carolo conſtituta. 87. Synodus NICÆNA II. contra Iconoclaſtas.	Georgius Syncellus. Georgius Theophanes.	78. Caroli in Hiſpaniam contra Saracenos expeditio. 80. Carolus VVidekindus Saxonem ſuperat.
790	Cõſtantinus Irene in ordinem redactâ ſolus regnat 8.	*Finis regni Langobardorum in Italia.*	91. Pariſienſis Academia à Carolo M. inſtituitur. 94. Synodus Francofurt. præſenteCarolo Felicem & Elipandũ Hiſp. Epiſcopos, cultum item imaginũ damnat.	95. Hadrianus I. papa R. obit.	91. Carolus Avares ad Rabam fl. magna ſtrage fundit.
797	Irene filium excæcatum imperio deiicit.				800. CAROLVS Romæ à Leone III. Imperator Auguſtus declaratur. 14.
800					

Seculum VIII.

Anni Chr.	Imp. Occ.	Imp. Or.	Res Ecc.	Viri C.	Varia.
801	CAROLVS M. Saxones tranſalpinos in Gallias transfert. Danos & Venetos comprimit.	2. NICEPHORVS, Logotheta dejecta Irene. 9.	9. Synodus Aquisgranenſis.	Vſuardus. 9. S. Ludgerus obit.	Normanni Friſiorum, Gallorum, Scotorum littora infeſtant.
806	Filiis hæreditatem tripartitò dividit.	11. MICHAEL CVROPALATES. 2.		Eginardus. Othelgrimus.	13. Bulgari capiunt Adrianopolim.
814	LVDOVICVS PIVS. 27.	13. LEO V. ARMENIVS. *Iconomachus*. 7.	22. Corbeienſe cœnobium in Saxonia conditur.		20. S. Marci corpus Alexandria Venetias transfertur.
817	Bernardus Italiæ R. à patruo Imp. deſciſcens bellum movet infeliciter.	20. MICHAEL BALBVS. 8.	25. Synodus Pariſienſis de imaginibus memoriæ gratia retinendis.	VValafrid. Strabo. Alhaſenus.	23. Saraceni Hiſpanienſes Cretam occupant.
830	Conjuratio procerum contr. Lud. Imp.	29. THEOPHILVS. 12. Iconolatrarum perſecutor.	26. Haraldus Daniæ Rex cum uxore & ſociis Moguntiæ baptiſatur.	Freculphꝰ Lexovienſis. Anſegiſus.	28. Saraceni Africani Siciliam ſubigunt.
833	Filiorum contra patrem Imp. conſpiratio.			Nithardus. Aimoinus.	41. NORMANNORVM in Galliam juſtæ expeditionis initium.
840	LOTHARIVS. 15.	41. MICHAEL. 25. *Vecors & ſævus*.	Michael Imp. ſacras imagines inſtaurat.	Haimo Epiſc Halberſt.	
841	Funeſtum inter Reges fratres Ludovici Pii filios diſſidium.		47. Rabanus Maurus fit ſextus Epiſcopus Moguntinus.		
850					

	LothariusImperio ſe abdicat.		55. Lotharius ex Imper. Monachus, in Prumienſi cœnobio obit.	56. Rab. Maurus obit.	Saraceni Corſicam&Sardiniam infeſtant.
855	LVDOVICVS II. 19. Bellum contra Saracenos inCampania. *Adalgiſus* dux Beneventanus ditione ſua exuitur à Ludovico Imp.	Bardas Cæſar interficitur. 67. BASILIVS.19. remp. anteceſſoris ignavia perditam recreavit.	58. Ignatio patriarchæ CPtano ſede dejecto ſurrogatur Photius. 69. Synodus CPtana cõtra Photiũ Oecumenica octava quibusdam habita.	Nicol.I. Papa R. Photius. Niceras David. Abumazar Alpharabius. Anaſtaſius bibliothecarius. Hincmarus Remenſis.	54. Normanni inteſtino bello colliduntur. 62. Lotharius Lotharingiæ Rex legitima conjuge expulſa aliam ſibi jungit infeliciter.
875	CAROLVS CALVVS. 2.		Bogoris Bulgarorum R. fitChriſtianus, & ſubinde monachꝰ.	Paſchaſius Ratbertus.	
877	LVDOVICVS III. Balbus. 3.				
880	CAROLVS CRASSVS. 7.		80.Initia religionisChriſtianæ in Moravia.	Petrus Siculus. Ado Vienenſ.	70. Sanctimoniales in Anglia ut Normannorum libidinem extinguant nares ſibi & labra præcidunt.
887	ARNOLPHVS. Berengarius regnum Italiæ invadit.	89. LEO IV. Philoſophus 25.	81. Godefridus Normannorũ R.Chriſtiana ſacra ſuſcipit. Leo Imp. ob ductã quartam conjugem àNic. Patriarcha aditu eccleſiæ prohibetur.	Albategnius. Ioannes Scotus à diſcipulis graphiis confoditur.	87. Normannis Neuſtria incolenda traditur à CaroloCraſſo Imp.
899	LVDOVICVS IV. 12.				
900					

Anni Chr.	Imp. Occ.	Imp. Or.	Res Ecc.	Viri C.	Varia.
907	Hungari Lud. Imperatorē prælio vincunt ad Ansbergam Bavariæ.	11. ALEXANDER.	12. Rollo dux Normannorum ſacris Chriſtianiſmi initiatur.	Moſes Barcepha.	Hungari Pannoniâ egreſſi Italiam affligunt, per Germaniam prædas agũt.
912	CONRADVS. 7.	12. CONSTANTINVS Porphyrogennetus. 19.		Rhegino.	12. Rollo dux cũ Normannis ſuis à Carolo Simplice borealem Galliæ oram omnem obtinet.
915	Berengarius R. Ital. Imperator ſalutatur.				
919	HENRICVS AVCEPS. 17.	ROMANVS Lacopenus imperii conſors.	21. Quibus cauſſis tertias ſummum nuptias inire liceret, apud Græcos legibꝰ firmatur.	Radulphus Flaviacenſis.	
922	Hungaros Saxoniæ infeſtos ſubmovet.				
	Bellum diuturnum contra Sclavos, Henetos, Vandalos.	30. Bulgari capiunt Adrianopolin, Thraciam & Macedoniam vaſtant.			24. Hungari Italiam, Germaniam & Galliam depopulantur.
933	Hungarorum ad 40. millia cæduntur ad Merſburgum.		27. Benno Metenſis Epiſcopus à civibus ſuis diſciplinæ impatientibus excæcatur.	Vdalricus Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopus.	37. Ramirus R. Hiſp. octoginta amplius millia Saracenorum cædit.
936	OTTO MAGNVS. 37. Bohemos 13. annorũ intervallo domat.	36. Ruſſi CPlin invadentes ſummoventur.			
939	Lotharingiam occupat.				Turcæ Thraciam populantes ad ipſam CPlin perveniunt.
946	In Galliam expeditionem ſuſcipit.			Luitprandus Ticinenſis.	
948	Haraldum Danorum Regem ſuperat.		Haraldus Danorum R. cum filio Svenone baptizatur.	Raſis.	Otto Imper. Sclavorum gentem ſuo ſubjecit imperio.
950					

951 .n Italiā movet contra *Berengarium.*				Hermannus Billing dux Saxoniæ.
955 Hungaros fundit ad Auguſtam.		60. Bulgari Chriſtianæ religioni initiantur.	Suidas.	
962 OttoImp. Romæ ſalutatur Auguſtus.	60. ROMANVS Iunior. 3.		Flodoardus,	
966 In Italiam revertitur.	63. NICEPHORVS Phocas.	65. Poloni cū Miczlao Principe ſuo ſacra Chriſtiana ſuſcipiunt.	VVittichindus.	64. Berengarius ab Imp. in deditionem acceptus, relegatur in Bavariam, ibiq; moritur.
	69. IOH ZIMISCES.			
969 Apuliam & Calabriam occupat.	75. BASILIVS & CONSTANTINVS Romani junioris filii.		Hroſvvit.	
973 OTTO II. 19.		70. Archiepiſcopatus Magdeburgenſis initium.	Abbo Floriacenſis.	
Infeliciter pugnat contra Græcos & Saracenos in Calabria.		80. Ruſſi cum Volodomiro duce ad Chriſtum convertuntur.		
983 OTTO III.				86. LVD. V. Gall. Rex ſtirpis Carolinæ ultimus.
986 Bohemos ad obſequium cogit.		Initia Chriſtianæ religionis in Svecia & Norvegia.		
987 Creſcentium Romæ ſupplicio afficit.	BulgariTheſſalia ejiciuntur.			88. HVGO Capetus Gall. Rex.
		96. Greg. V. Papa Rom. Bruno antea vocatus, natione Saxo.		
1000				1000.

Seculum X.

Anni Chr.	Imp. Occ.	Imp. Or.	Res Ecc.	Viri C.	Varia.
1002	HENRICVS II. cognomento *Sanctus & Claudus*.		6. Bambergenſis Epiſcopatus initium.	Fulbertus Carnotenſ.	1. *Boleslaus* primus Poloniæ R. creatur ab Ottone III. Imp.
1004	Expeditio prima Imp. in Italiam.				
1013	Expeditio in Italiam altera.	18. Baſilius de Bulgaria debellata triumphat.	8. Bruno Pruſſorum, Bonifacius Ruſſorum Apoſtoli martyrio coronatur.	Burchard. VVormacienſis.	5. *Canutus Magnus* Daniæ Rex.
1015	Boleslaum Polon. R. tributum pendere cogit Imperator.	22. Idem Iberos ſubigit.		Dithmarus Mersburgenſ.	*Saraceni* Hieroſolymam capiunt.
1023	Henrici Imp. expeditio ingens in Italiam.	28. ROMANVS *Argyrus*, *Zoes* maritus.	Duo *Olai*, alter Norvvegiæ, alter Suediæ R., ambo pietate illuſtres.	Berno Abbas Augienſis.	19. *Normannorum* initia in Apulia.
1024	CONRADVS II. Saliquus.	34. MICHAEL *Paphlago*. Siciliam à Saracenis recuperat.	34. Chriſtianæ religionis cultus apud Ruſſiam propagatur.	Guido Aretinus.	
1027	Romæ coronatur.			*Avicenna*.	
1029	Hungariam bello petit.				
1036	Italiam pacat.			GlaberRadulphus.	35. *Roberto* Galliæ Regi, ſuccedit fil. Henricus.
1039	HENRICVS III. *Niger*.	41. MICHAEL *Calaphatus*, m. 4.	*Berengarius* Archid. Andegavenſis veritatem corporis Chriſti in Sacramento negat.		
1041	Bellum Bohemicum.			Petrus Damiani.	41. *Normanni* Apuliam occupant pulſis Græcis.
1042	Bellum Hungaricum. Bellum Lotharingicum.	CONSTANTINVS *monomachus*, *Zoes* maritus.	Henric. Imp. Romã progreſſus Papam Greg. VI. ſede dejicit.	Hermann9 Contractus.	*Turcæ* contra Saracenos in Oriente invaleſcunt.
1050					

		54. THEODORA *ſoror Zoes.*		Humbertus.	Leo IX.P.R. in Germ. profectus auxilia adverſum Mormannos ab Aug. impetrat.
1056	HENRICUS IV. puer ſexennis. Decennis à matre abſtractus Coloniam abducitur.	56. MICHAEL *Stratiotes.* 57. ISAACIUS *Comnenus.* 59. CONSTANTINUS *Ducas.*	59. Lateranēſis ſynodus damnat Berengarium. 64. Celebris peregrinatio Hieroſolymam inſtituitur, cujus duces Germaniæ Antiſtites.	Lanfrancus. Oecumenius. Olympiodorus. Adamus Bremenſis. Iohannes Curopalates.	59. Normanni ex hoſtibus Papæ clientes.
1065	Tutelâ exit & gladio cingitur anno ætatis 14.				65. Ferdinandus R.Hiſp. obit.
1068	Sclavos rebelles in Luſatia domat.	68. ROMANUS *Diogenes.* 71 MICHAEL *Ducas.*	73. *Hildebrandus* ex archidiacono Papa Rom. *Gregorius VII.* dictus.	Bartholdus Conſtantienſis. Lambertus Schafnaburgenſ.	66. Eduardus S. Rex Angliæ obit.
1075	Cum Saxonibus & Thuringis ad Vnſtrutum fl. confligit.	78. NICEPHORUS *Botoniates.*		Ioh. Xiphilinus. Theophylactus.	71. Romanus Diogenes prælio cum Turcis inito, ab hoſtibus capitur.
1076	A Gregorio VII. proſcribitur.		Sueno Danorum R. cædes in eccleſiæ imperatas publicâ pœnitentiâ expiat.	Anſelmi tres.	
1080	Rodolphus Sueviæ dux Anti Cæſar quartum vincitur, & manū dextram amittit.	81. ALEXIUS *Comnenus.* 96. Franciſcis in Palæſtinam properantibus nequicquam reſiſtit.	86. Synodus Moguntina damnat actâ Greg.	Simeon Metaphraſtes. Marianus Scotus. Michaël Pſellus.	86. *Vratiſlaus* ab Henric. Imp Bohemiæ R. creatur. 89. Mathildis Tuſciæ comitiſſa VVelponi Bavariæ duci nubit.
1084	Imperator Romæ coronatur.		Carthuſienſis ordinis origò. Hoſpitaliorū ordo in Palæſtina.	IuoCarnotenſis. BrunoCarthuſianorum pater.	96. Expeditionis ſacræ initium.
1093	*Conradi fil.* Imperatoris contra patrem rebellio.		97. In Claromontano cōcilio expeditio in Palæſtinam decernitur.	VVilhelmus Malmesberienſis. P.Lombardus. Otto Friſingenſ.	99. Hieroſolyma à Chriſtianis capitur. Godefridus I. Rex Hieroſol.
1100					

Anni Chr.	Imp. Occ.	Imp. Or.	Res Ecc.	Viri C.	Varia.
1106	HENRICVS V.			Leo Oſtienſis. Sigebertus.	1. Balduinus Godefridi fr. Rex *II.* Hieroſol.
1112	Imp à Papa excommunicatur.		10. Paſchalis Papa ab Hērico Imp. in ordinem redigitur.	Rupertus Tuitienſis.	
1116	Idem denuò excommunicatur.	10. Ad Occidentis etiam imperium adſpirat.		Ioh. Sarisburienſis.	10. Balduinus Danorum claſſe adjutus Berytum ac Sidonem capit.
1122	Redit cū Pontifice in gratiam.	18. IOH. *Comnenus*, qui & Calojohannes.	18. Ordo Tēplariorum.	Euthymius Zigabenus. ioh. Zonaras.	18. *Balduinus II.* Rex Hieroſol. tertius.
1125	LOTHARIVS SAXO.		20. Præmonſtratenſium ordo S. Norberto inſtitutore.	Anna Comnena. Avenpace. Algazel.	22. Balduinus Rex capitur à Turcis.
	Conradus Svevus Lotharii æmulus Rex Italiæ coronatur.		24. Pomerani fidem Chriſtianam docentur.	Michael Glycas.	24. *Tyrus* capta à Chriſtianis.
1133	Lotharius Romæ coronatur.		P. Abailardus ejusq; diſcipulus Arnaldus Brixienſis pravorū de fide errorum damnantur.	Conſtantinus Manaſſes.	Henricus Superbus dux Bavariæ, Saxoniæ ducatu à Lothario Imp. dotatur.
1137	Occupat Apuliam.				
1138	CONRADVS III. Svevus	43. MANVEL *Comnenus.*		S. Bernhardus.	31. *Fulco* Andeg. poſt Bald. R. Hieroſol.
	Henricus ſuperbus proſcribitur.		Gilbertus Pictavienſis Epiſcopus, & Henr. Petrobruſianus eccleſiaſtica cenſura notantur.	Hugo de S. Victore. Richardus de S. Victore.	40. Guelfus Bavariæ dux in periculo ab uxore ſervatur.
	Imp. Henrico Leoni Saxoniam reddit.				42. *Balduinus III.* R. Hieroſol.

1152	FRIDERICVS Barbaroſſa.			Euſtathius Homeri interp.	
			Finni ad fidem Chriſti traducuntur.	Averroes.	58. Henricus Leo domat Obotriros.
				Ioh. Tzetzes. Guntherus.	
1162	Imp. Mediolanum excidit.		Gratianus Decretorũ opus à ſe collectum edit.		58. Vladislaus Dux Bohemiæ regio axiomate ornatur ab Imperatore.
1167	Id. Romam occupat.			P. Comeſtor. R. Abrahã AbenEſra.	
1180	Henricus Leo proſcribitur.	81. ALEXIVS *Comnenus*, 3. 83. ANDRONICVS. 85. ISAACIVS. *Angelus*, 9.	76. Albigenſes Epiſcoporũ ſententiis damnantur in Gallia.	Rambam. Helmoldus. VVilhelmꝰ Tyrius.	68. *Almericus* Hieroſol R. capit Damiatam. 73. *Balduinus IV.* Almerici ſucceſſor.
1189	Frid. Imp. ſacra expeditio in Syriam.		Initia Chriſtianiſmi in Livonia	Godefridꝰ Viterbienſis. P. Bleſenſis.	84. *Guido Luſignanus* R. Hieroſol. 87. *Saladinus* Damaſci & Ægypti R. capit Hieroſolym.
1190	HENRICVS VI.			Gilbertus Porretanus.	88. Henr. Leo evertit Bardevicum.
1194	Siciliam & Apuliam occupat.	95. ALEXIVS *Angelus*, 8.	Ordo Teutonicus inſtituitur.	Theod. Balſamon.	
1198	PHILIPPVS. OTTO IV.			Ioh. Serapion. Iohan. Meſve.	
1200					

Seculum XII.

Anni Chr.	Imp. Occ.	Imp. Or.	Res Ecc.	Viri C.	Varia.
1208	OTTO, ſolus, occiſo Philippo.	3. Iſaacius Aug. cum ALEXIO filio.		Saxo Grammaticus. Helinald9.	
1212	A Papa excõmunicato ſurrogatur Fridericus.	4. BALDVINVS CPli.	4. Ordo Dominicanorum.	Nicetas Choniates.	6. Philippus Imp. Ottocarum Bohemiæ Regem creat.
1214	Vincitur à Philippo Gall. rege.	THEOD. LASCARES Nicææ.	9. Ordo Franciſcanorũ.		
		6. HENRICVS fr. Balduini.	15. Concilium Lateranenſe ſub Innocent. III.	Rodericus Toletanus	
1218	FRIDERICVS *II.* ſolus.	16. PETRVS Altiſiodorenſis Comes.		Honorius Auguſtodunenſis. Accurſius.	19. Damiata à Chriſtianis capta.
	A Pontifice excommunicatur.	22. ROBERTVS Altiſiodorenſ.			22. Damiatâ & Ægypto totâ cedunt Chriſtiani.
1228	Hieroſolymã recipit ejusque Rex creatur.	IOH. DVCAS Nicææ.	21. Patavina Academia ab Friderico Imp. inſtituitur.	21. S. Dominicus obit. Raymundus de penna forti.	33. Tartari patria egreſſi Perſiam &c. occupant.
1234	Hungaris victis Viennã Imperio attribuit.	29. BALDVINVS *II.* CPli.			35. OTTO cognom. puer, nepos Henr. Leonis, Dux Brunſvic. & Luneb. appellatur ab Imp.
	Bellum Mediolanenſe.		40. Academia Salmanticenſis.	26. S. Franciſcus obit.	
1244	Tartaros Hungariâ expellit.			Conr. Vrſpergenſis.	
1245	HENR. HASS. Lantgr. AntiCæſar.			VVilhelm. Pariſienſis.	40. Tartari Poloniam, Sileſiam & Hungariam vaſtant.
1247	VVILHELMVS Holland. Comes.		45. Lugdunenſe concilium ſub Innocent. IV.	Iac. à Vitriaco. Alexander Halenſis.	
1250	CONRADVS *IV.*			Hugo de S. Caro. Matthæus Paris.	44. Hieroſolyma Chriſtianis eripitur à Sultano Babylonico.

1256	RICHARDVS. ALFONSVS R. Caſtellæ. *Alfonſus poſſeſſionem Imperii non adiit. Richardus Francofurti coronatus & mox in Angliam reverſus, vacuum reliquit imperium.*	55. THEOD. LASCARES II. Nicææ. 58. IOH. LASCARES. MICHAEL PALÆOLOGVS Nicææ, & fugato Balduino, CPli.	53. Sorbonæ collegium fundatur Pariſiis. 61. Secta flagellantium in Italia.	Martinus Polonus. Vincent. Belluacenſis. Albertus Stadenſis. Robertus Sorbona. Albertus M.	54. Manfredus Frid II. fil. Siciliam ſibi vendicat. *Cublai* Tartarorum Imp. in cujus aula vixit *M. Paullus Venetus.*
1273	RVDOLFVS I. Com. Habſp.		64. Vrbanus IV. inſtituit feſtum corporis Chriſti.	Thomas Aquinas.	65. Manfredus à Carolo Andeg. vincitur.
1278	Ottocarum Bohem. R. in acie victum occidit.	83. ANDRONICVS II. Palæologus.		Bonaventura. VVilhelmus Durantes.	68. Conradinus Conr. Imp. f. Neapoli capite mulctatur.
1286	Helvetios ſibi ſubjicit.		74. Concil. Lugdunenſe.	Haito Armenus.	70. Ludovicus S. Rex Gall. obit.
1292	ADOLPHVS Naſſovius, & contra eum ALBERTVS Auſtriacus.			Ægidius Romanus. Raymundus Lullus.	82. Veſperæ Siculæ. 84. Carolus Andegav. R. Sicil. & Neap. obit.
1298	Adolphus in prælio perimitur.		98. Sextus Decretaliū à Bonifacio P. promulgatur.	Richardus de media villa. Henr. Gandavenſis.	85. Philippus Pulcher R. Gall. Finis Regni Chriſtianorum in Syria.
1300					1300.

Anni Chr.	Imp. Occ.	Imp. Or.	Res Ecc.	Viri C.	Varia.
				Ioh. Duns Scotus.	
1308	HENRICVS VII. Lutzenburgicus.		5. Clemens V. Romanam curiam transtulit Avenionem.	Auguſtinꝰ Anconitanus.	*Othman* ex præfecto Ciliciæ Sultanus Turcarum.
1314	LVDOVICVS V. Bavarus, & FRIDERICVS Auſtriacus.		11. Conciliũ Viennenſe in Gallia publicat Clementinas & damnat Tẽplarios.	Siffridus Presbyter. Nicephorꝰ Calliſtus.	Initia fœderis Helvetici.
1323	Fridericus à Ludovico capitur.			P. Aureolus. Durandus.	
1324	Ludovicus Imp. à P.R. excommunicatur.	25. ANDRONICVS III.	17. Ioh. XXII. Clementinis addit librum ſeptimum.	Hervæus. Franciſc. Maironis. Occam.	22 Sileſia à Polonis ad Bohemos transfertur ob inteſtinã Principum diſcordiam.
				Nicol. Liranus.	27. Philippus Valeſius R. Gall.
1346	CAROLVS IV.	41. IOH. CANTACVZENVS.	39. Piſana Academia conditur.	Niceph. Gregoras. Bartolus.	27. Orchanes Othmanni fil. & ſucceſſor.
	Guntherus Comes Schvvartzb. Imperatoris æmulus.		46. Academiæ Heidelbergenſis initium.	Rob. Holkoth. Nicol. Cabaſilas.	37. Diuturni inter Anglos & Gallos belli initia.
1350					

1356	Aurea bulla Norimbergæ promulgatur,	54. IOHANNES VI.		Franciſc. Petrarcha.	59. Amurath Turcarum Sultanus, capta Hadrianopoli, ſedem ibi figit.
			60. Academia Pragenſis à Carolo Imp. fundatur.	Ioh. Taulerus.	
1378	VVENCESLAVS.			Ioh. VVicleſ.	
		84. EMANVEL Palæologus.	86. Iagello Lituanus cum gente ſua fit Chriſtianus.	Baldus.	86. TAMERLANES Scytha Babylonem occupat.
	Frider. dux Brunſv. Cæſar deſignatur.				88. Sigismundus R. Hungariæ.
			91. Annatæ à Bonif. IX. P. R. inſtituuntur.		95. Prælium ad Nicopolim inter Sigismundum & Bajazethem.
1400	RVPERTVS PALATINVS.				1400

Seculum XIV.

Anni Chr.	Imp. Occ.	Imp. Or.	Res Ecc.	Viri C.	Varia.
1401	Ruperti Imp. contra Galeacium Mediolanẽſem irrita expeditio.		1. Cracovienſis Academia conditur. 9. Lipſienſis Academia inſtituitur.	Ioh. Froſſardus. Theodoricus à Niẽ. Iohan. Capreolus.	Tamerlanes obit.
1410	IODOCVS Marchio Moraviæ.			Petrus ab Alliaco.	10. PoloniCruciferis Boruſſiæ partem eripiunt.
1411	SIGISMVNDVS.	17. IOH. PALÆOLOGVS Andronici fil.	14. Concil. Conſtantienſe. 15. Ioh. Hus comburitur. 16. Hieron. Pragenſis cõburitur.	Ioh. Gerſon. Bartholomeus Facius. Leonardus Aretinus. Poggio Florentinus.	13. MAHOMETH I. inſtaurator fortunæ Turcarum.
1421	Initium belli Huſſitici contra Ioh. Zilcam.	20. Ioh. Palæologus Emanuelis fil.	17. Martinus V. eligitur Papa R. 19. Roſtochienſis Academiæ initium.	PaullusBurgenſis. Alfonſus Toſtatus. Nicol. Panormitanus.	21. Amurath II. Mahometis fil.
1437	ALBERTVS II. Auſtriacus.		31. Concil. Baſileenſe. 38. Conc. Florentinum.	Laurentius Valla. Blondus Flavius. Antonin. Florentinus. Nic. Cuſanus.	32. Henr. VI. Angl. Rex Lutetiæ Rex Galliæ coronatur. Vladislaus Polon. & Hung. Rex.
1440	FRIDERICVS III.	44. CONSTANTINVS Palæol.	47. NICOL. V. Papa R.	Dion. Carthuſianus.	44. Prælium ad Varnam inter Amurathem & Vladislaum. Ioh. Huniades Hungariæ gubernator.

1452	Imp. Romæ coronatur.			Thomas de Kempis. Georgius Trapezuntius.	Mahometh II.
		53. CPlis à Turcis occupatur.			
1454	Boruſſiæ ordines in Poloniæ Regis clientelam ſe conferunt.		59. Gryphisvvaldenſis Academiæ initium.	B. Platina. Nic. Perottus. Fr. Philelphus.	55. Angli Gallia omni pelluntur.
				Æn. Sylvius. Laonicus Chalcondylas. Rodolphus Agricola.	58. Matthias Huniades Rex Hungariæ. Vſuncaſſan Perſiam occupat.
			72. Ingolſtadienſis Academia conditur.	IovianusPontanus. Alex. ab Alexandro.	73. Mahometh & Vſuncaſſan bello colliduntur.
1477	Maria Caroli Burgundi filia nubit Maximiliano Auſtriaco.			Gabr. Biel. Ioh. Picus. Marſil. Ficinus.	77. Carolus Burgundus occumbit in prælio ad Nancejum Lotharing.
			79. Ioh. VVeſſelius Groningenſis, VVormatienſis Concionator, damnatur Moguntiæ.	Bapt. Fulgoſus. Hermolaus Barbarus. AngelusPolitianus, Phil. Comineus.	81. Mahomethi ſuccedit Bajazethes II.
1493	MAXIMILIANVS I.				90. Ruſtanus regnumPerſiæ occupat.
			97. Hieron. Savonarola juſſu Alexandri VI. crematur Florentiæ,	Ioh. Reuchlinus. Ioh. Trittenheimius. Ioh. Nauclerus.	94. Carolus IIX. Gall. R. 98. Iſmael Sophi cœpit in Perſia. 98. Lud. XII. R. Gall.
1500	Bellum contra Helvetios parum felix.				

Anni Chr.	Imp. Occid.	Res Eccl.	Viri Cel.	Varia.
1507	Initia belli inter Maximil. & Venetos.	2. Academia VVittebergenſis.	Ioh. Cuſpinianus. Rob. Gaguinus.	
			Alb. Kranzius. Th. Cajetanus.	7. Sigism. R. Polon.
1508	Fœdus Cameracenſe contra Venetos.	6. Acad. Francofurtenſ. ad Viadrum.	Sylveſter Prierias.	12. Selimus fil. Bajazethis.
		16. Sacrorum Bibliorum editio Complutenſis.	Iaſon Mainus. Phil. Beroaldus. B. Rhenanus.	15 Franciſcus Valeſius Gall. R.
1519	CAROLVS V.	17. Martinus Lutherus contra Indulgentias Papales cœpit diſputare.	Lud. Coel. Rhodiginus. Ioh. Aventinus. Anton. Bonfinius.	20. Chriſtiernus Daniæ & Sueciæ R. 20. Solimannus patri Selimo ſuccedit.
1521	Comitia VVormatienſis.	21. Initia ſectæ Anabaptiſtarum.	Polydorus Virgilius. Leander Albertus.	22. Solimannus Rhodum capit.
1525	Franciſcus Gall. Rex in prælio ad Papiam capitur.	29. Fœdus Smalcaldicum. 30. Auguſtana comitia.		
1527	Roma capta & direpta.	35. Initium ſodalitii Ieſuitici.	Thomas Morus. Dominicus Scoto. Ambroſ. Catharinus.	
1529	Conventus Spirenſis.	41. Colloquium VVormatienſe inter Philippum & Eccium.	35. Zaſius obit. 36. Eraſmus obit.	37. Chriſtianus III. Daniæ R.
1546	Initium belli Smalcaldici.	46. Initium Cōcilii Tridentini. 48. Libellus INTERIM promulgatur.	40. Budæus obit. 46. Lutherus obit. 50. Alciatus obit.	47. Henricus II. Gall. R. 48. Sigismundus Aug. Rex Polon.
1550				

1552	Bellum à Mauritio Saxone geritur contra Carolum Imp.	52. Transactio Paſſavienſis.	Iacob Cujacius. Barnabas Briſſonius Franciſcus Hotomannus. 56. Ioh. Sleidanus obit.	53. Eduardo V in Anglia ſu cedit ſoror Maria.
1553	Conflictus inter Mauritium & Albertum Brandenburgicum ad Sivershuſam.	55. Pax religionis in comitiis Auguſtanis firmatur.	58. Iul. Cæſ. Scaliger obit.	58. Eliſabeth Angliæ Regina. 60. Carolus I Gall. R.
1558	FERDINANDVS.	61. Colloquium Poſſiacum in Gall. 63. Finis Concilii Tridentini.	60. Phil. Melanchthon obit. H. Stephanus.	66. Selimus I Solimanni f. 67. Initia bel Belgici.
1564	MAXIMILIANVS II.	64. Colloquiũ Maulbrunnenſe. 68. Colloquium Altenburgenſe.	VVolfg. Lazius. Andr. Tiraquellus.	74. Amurathe III. 76. Stephanu Bathor R. Po lon.
1576	RVDOLPHVS II.	72 B. Arias Montanus SS. Bib. Regiam editionem abſolvit. 76. Academiæ Iuliæ natalis 15. Octob.	Hadr. Turnebus. Ioach. Camerarius. VVilhelmus Xylander. Georg. Buchananus.	78. Sebaſt. Luſit R. in Afric. perit. 81. Philippus II Hiſp R. Luſit occupat. 87. Maria Scotiæ Regina decollatur.
1594	Raba à Turcis capta.	83. Colloquium Quedlinburgenſe. 86. Colloquium Mompelgartenſe.	I. Sturmius. Lipſius. Tycho Brahe.	89. Henrico III. in Gall. ſuccedit Henr. IV. 95. Mahometh III.
1595	Strigonium Hungariæ Imp recuperat.	94 Ieſuitæ Galliâ pelluntur. 99. Pax religionis in Gallia promulgatur.	1600. D. Chytræus obit.	1600. Mauritii Naſſovii victoria ad Neop. Fland.
1600				

MP. OCC.	RES ECCLES.	VIRI CEL.	VARIA.
	1. Colloquium *Ra-*	Ioh. Scaliger.	5. *Iacobus* Scot. &
ATTHIAS	*tiſbonenſe.*	Iſ. Caſaubonus.	Angl R.
fratri *Rudolpho*	5. *Leo XI.* Pont. R.	Ian. Druſius.	10. *Ludovicus XIII.*
ſuccedit, *Libe-*	25. dier.	P. Merula.	R. Gall.
ralis, imper.	5. *Paulus V.* Pont. R.	Douzæ.	18. Cometa hor-
ann. 7. m. 7.	5. Reformatio *Mar-*	Dom. Baudius.	ribilis.
	purgenſis.	Fr. Iunius.	30. Guſt. Adolph.
ERDINAN-	6. *Veneti* excom-	Sixt. Amama.	Suec. R. in
DVS II. Imp.	municantur.	Th. Erpenius.	Germaniam
poſt varios	10. *Arminius* & *Go-*	Scip. Gentilis.	venit.
motus *Felix*,	*marus* Leidæ cō-	Conr. Ritters-	32. Vladiſl. IV.
imp. ann. 17.	tendunt.	huſ.	Pol. R.
	11. Gymnaſ. *Medio-*	Ioh. Meurſius.	32. Prælium *Lü-*
riderieus V. E-	*burg.*	Ob. Giſanius.	*tzenſe.*
lect. Palat. *R.*	11. *Conr. Vorſtius* Lei-	Phil. Camera-	34. Præl. *Nordling.*
Bohem. deſi-	dæ portentoſa	rius.	35. Pax *Pragenſis*,
gnatur, hinc	docet.	*Iac. Thuanus.*	40. Philippus IV.
tricennale	12. *Val. Weigelius* in	Marq. Freherus.	Hiſp. R.
bellum.	Miſnia cœpit.	Dion. Gotho-	41. Portugallia
	12. Epiſcopi Scoti-	fredus.	deficit.
Bethlehem Gabor	am turbant.	Ian. Gruterus.	44. Prælium Sue-
coronā *Hung.*	14. Perſecutio Ev-	Sethus Calviſius.	co-Dan.
titulo *Princi-*	ang. in Bohem.	Phil. Scherbius.	45. Bell. *Turco-*
pis rapit.	17. Iubilæus B. Lu-	Cor. Martini.	Venet.
	theri.	Mich. Piccartus.	46. Canea rapi-
Friderici Electo	18. Synodus *Dordra-*	*Mart. Opitius*	tur.
ratus in co-	*cenſis.*	Luc. Oſiander.	47. Motus Neap.
mitiis Ratisb.	20. Syn. *Rupellana.*	Pol. Lyſerus.	& Siculi.
Maximiliano	21. *Gregorius XV.*	Æg. Nic. Hūnii	48. Frid. III. Dan.
Bavaro tradi-	Pont. R.	Mart. Chemni-	R.
tur.	21. Acad. *Rintel.*	tius.	48. Ioh. Caſim
	22. Biblioth. *Heidelb.*	Ioh. Gerhardo.	Pol. R.
Albertus, Frid-	Romā tranſlata.	Frid. Balduinus	48. Pax *Oſnabr.*
landiæ Dux,	23. Acad. *Sorana* &	Chr. Pelargus.	48. Aquæ Hornh.
vulgò *Wallen-*	*Altdorf.*	Balth. Meiſne-	48. Motus An-
ſteinius, regnū	23. *Vrbanus VIII.*	rus.	glici.
Bohem. affe-	Pont. R.	Balth. Mentze-	48. Pax Hiſpano-
ctans, *Egræ* in	24. Conventus	rus.	Belg.
menſa occi-	Theol. Saxon.	Alb. Gravverus.	49. Carolus I.
ditur.	25. Acad. *Dorptienſ.*	Henr. Höpfner.	Angl. R. ſecuri
	in Livonia.	Gaſp. Er. Broch-	percuſſus.
FERDINAN-	28. Iubil. Rom.	man.	49. Motus Gal-
DVS III. ve-	31. Colloq. *Lipſienſe.*	Andr. Keſler.	lici.
rè *Pacificus*,	31. Gymnaſ. *Am-*	*Caſ. Baronius.*	50. Pax *Noriber-*
imp. ann. 20.	*ſtel.* & *Davent.*	*Rob. Bellarminus.*	*genſis.*
	38. Synod. *Glasg.*	Mart. Becanus.	50. Turbæ Am-
	cōtra Epiſc Scot.	Iac. Gretſerus.	ſtelod.

		40. *C. Ianſenii* de *Gratia* liber. damn. bullis ann. 41. & 53. 44. *Innocentius* X. Pont. R. 45. Colloq. *Toruntenſe*. 46. Gymn. *Bredanum*. 48. Acad. *Hardervic*.	VVilh. Perkinſius. Dan. Toſſanus. Abr. Scultetus. Th. Mortonus. Ioſ. Hall. Iac. Vſher. Ioh. Rainoldus. *Ioh. Buxtorffius.* Ioh. Cameró. Guil. Ameſius. Th. Iameſius. Moſ. Amyraldus. Phil. Mornæus. Petr. Molinæus.	51. Maxim. Bav. mortuus. 51. Carolus II. Scot. R. cæſus. 52. Ludovicus XIV. Gall. R. 52. Cometa per 14. dies. 53. Bellum Anglo-Belg. 54. *Bellum Tartar. in Sina.* 54. Pax Anglo-belg.
1653	FERDINANDVS IV. Rex Rom. vivo adhuc Ferd. III. moritur anno ſeq.	51. Iub. Romæ. 52. Acad. *Heidelb.* reſtaur. 54. Anonymus de *Præadamitis*. 54. *Innocentius* X. Pont. moritur.	Dav. Paræus. Dav. Blondellus. Andr. Rivetus. Fr. Spanhemius. *M. Ant. de Dominis.* Dion. Petavius. Iac. Sirmondus. Ioh. Seldenus. H. Grotius.	54. Cromvvell *Protector.* 54. Eclipſis ſolaris. 54. *Chriſtina* deponit coron. 55. *Carolus Guſt.* R. Suec. coron. 55. Bell. *Suecopolon.*
1658	LEOPOLDVS, *Pius*, *Iuſtus*, *Glorioſus*, CONSILIO ET INDVSTRIA celebris; quem Deus Imperio diu commodet!	55. Alexander VII. Pont. R. cùm per 3. menſ. ſedes vacaſſet. 55. *Chriſtina*, nuper Reg. Oſn. Pontificiam religionem ſectatur. 56. *Iſaacus Peyrerius*, libri de Præadamitis auctor, Bruxellis in carcerem conjicitur, ejurat errorem, & fit Pontificius. 57. *Veneti* recipiunt *Ieſuitas*.	Ger. Ioh. Voſſius. Cl. Salmaſius. Dan. Heinſius. Samuel Petitus. Petr. Scriverius. M. Zu. Boxhornius. *Georg. Calixtus.* Conr. Hornejus. Ol. VVormius. Fort. Licetus. Phil. Tomaſinus. Fr. B. Ferrarius. Gaſp. Hofmannus. Dan. Sennertus. Gil. Iacchæus. Dan. Sthaiius. Guil. Schikardus. Chriſt. Beſoldus. Matth. Berneggerus. Renatus des Cartes. *Et qui adhuc vivũt.*	55. 56. Motus Helvet. 56. Ioh. Georg. I. Elect. Sax. mortuus. 56. Incendium Aquisgr. 56. Peſtis Neapol. 57. Peſtis Genuenſ. 58. Cromvvell moritur. 58. Sueci 12 mill. per glaciem in Daniam.

INDEX
Hiſtorico-politico-philologicus.

A.

ADad. 135
Adami & Saturni comparatio. 11
Adolphus Naſſovius. 696
Ægyptiacum regnū. 129. 212
Ægyptiorum dynaſtiæ *collaterales*, non ſucceſſivæ. 131
Ægyptiorum monumenta magni fiunt. 75. 84. 85
Æneas in Italiam venit. 93 res geſtæ. 94. liberi ac ſucceſſores. 96
Ahaſverus quis? 156
Alamannicum vectigal. 599
Alæ quatuor apud Dan. 232
Albanum regnum. 91
Albertus I. Auſtrius. 697
Albertus II. 705
Alexander M. & ejus origo admiranda. 171. Scriptores rerum ab eo geſtarum. 178 & ſeqq. Pontifici ſupplex factus. 183. Domum illius exſtinxit *Caſſander*. 246. 247
Alexander Mammææ. 350
Alexander incertæ ſtirpis. 194. Romæ reſtitutus. 196
Alexander Zebennas. 199
Alexander Papa num calcaverit collum Friderici Imp. 663. usque ad 689
Alphonſus titulo imperii contentus. 694
Alyattes *uxorem* laudans. 124
Amores gemini. 92
Analphabetus num Juſtinus? 513
Anaſtaſius Dicorus. 502
Anaſtaſius, al. Artemius. 590
Annii Viterbienſis fraus. 29
Anthemius. 492
Antigonus. 185. 239. *Gonatas.* 249. *Doſon.* 250
Antiochicum bellū. 222. 223
Antiochus M. 187. bellum ejus cum Hannibale. 188. dicte-

dicterium. 188. cum *Epiphane* confunditur. 189. 190. 191. mors illius. 188. 189. *Soter*. 186. *Theos*. 186. *Epiphanes*. 192. *Eupator*. 193. *Sedetes*. 197. 198. *Grypus* & *Philometor*. 201. *Cyzicenus*. 203. *Euſebes*. 204. *Didymus*. 205. *Dionyſius*. 207. *Comagenus*. 209. 210
Antipator. 247. 249
Antoninus Pius, 313. ejus initium. 320
Aquilam in ſignis Rom. abominabantur Judæi. 311
Aralius. 43
Arcadius. 455
Argivorum regnum. 112
Aridæi regnum omiſſum. 246
Ariſtonicus. 245
Arius. 42
Armamithres. 44
Armeniacum regnum. 259
Armentarius fit Imp. 506
Arnulphus. 640
Arſaces. 253
Arſes. 163
Artavaſdes. 260
Artaxerxis *Longimani* regnum. 155
Artaxerxes *Mnemon*. 161. 162
Artaxias. 259. 260
Artemon. 187
Ἄρχοντες perpetui quando inſtituti? 109
Aſchenazim. 12
Aſiæ Reges. 239. & ſeqq.
Aſſyriaci & Babylonici imperii diviſio. 50. 51
Aſſyriorum Reges recenſentur. 41. 52
Aſtyages, *Medici* regni finis. 59
Attalus I. 243. Attal. II. 244. Attal. III. 245
Atticum regnum. 100. 101. defenditur usq; ad 487
Attilæ titulus. 30. genus. 473.
Aventinus magna libertate de Pontificibus ſcripſit. 666
Auguſtulus. 496
Auguſtus. 275. & ſeqq. in quo nomine cœpit & exſtinctū eſt imperium. 497. velut in Conſtantinis. 601
Avitus. 491
Aurelianus. 382

B.

B*Abylonem* non cepit *Darius*. 62
Babylonica dynaſtia duplex. 54. 55

Baby-

Babylonici & Aſſyriaci imperii diviſio. 50. 51
Babyloniorum Reges. 55
Bacchi vas fiſtile. 2
Bagaudæ. 394
Balbinus. 353
Baleus. 45
Barzanes. 259
Βασιλεῖς, i.e. *præſtantes.* 21
Baſiliſcus. 495
Beliſarius num Germanus? 576
Bellatorum jus. 483. 484
Belli *Trojani* Scriptores. 71
Bellum *Antiochicum.* 222. 223
Beroſus verus & ſuppoſititius. 24. 25
Beſoldus tantùm legit Juſtinum in Syro-Medicis 203
Beſſi perfidia. 166. 167
Bibliotheca *Alexandrina* duplex. 217
Bonifacius VIII. *Cæſar ac Pontifex.* 698
Bonoſus. 389
Britannia non fuit Conſtant. M. patria. 417
Bruſſus ad mare Balthicum. 32
Bulla aurea. 703

C.

CAdaver Regis Ochi felibus objectum. 163
Cæſar quis primùm dictus. 314
quis inſtituerit? 315
CÆSARES notiſſimi temporibus Conſtantini M. 425. 428
Caligula. 284. tradit *Comagenen* Antiocho. 210
Callinicus, Antiochi F. 212
Calocærus. 429
Calvi pro ignominioſis. 526
Camblites *uxorem devorans.* 121. 122
Cambyſis mater, & regnum. 144. 145
Cantacuzenorū reliquiæ. 614
Capillati in nummis cur? 526
Caracallus. 344
Carinus. 389
Carolus M. 597. Auguſtus appellatus. 627. legitimus Imp. 630
Carolus II. Calvus. 637
Carolus III. Craſſus. 638
Carolus IV. 703. *Car. V.* 709
Carus. 389
Caſſander. 246. 247
Caſtratio marium prohibita. 299
Cecrops in *mari rubro* periit. 101
Chaldæorum monarchæ ante diluvium. 23. 24

Chaldæus *paraphraſtes* quis? 20. 21
Cham pro Ægyptio. 129
Chriſti nomen qui hodiè ignorent? 10
Chriſtianam fidem qui *primi Nobilium* amplexi? 505
Chriſtiani qui nam facti *Reges ſub Juſtiniano?* 538. 539. 540
Chriſtianorum *precibus* impetrata *tempeſtas.* 329
Claudius. 285. M. Aur. *Claudius.* 379
Clemens III. Papa inclemens Ludovico IV. Imp. 702
Cleopatra, Grypi mater, haurire cogitur venenum. 202
Cleopatra regnum & res. 237. 238
Codro generoſior. 109
Codrus pro exemplo Imperatoribus. 109
Cœna Domini, i. e. dies tertius ante Paſcha. 546
Comagene. 208. 209. 210
Commodus. 332
Conradus I. 644. *Conr. II.* Salicus. 653. *Conr. III.* 659. *Conr. IV.* 693
Conſtans, Conſt. M. F. 409
Conſtans, Heracl. N. 587
Conſtantius Chlorus. 400
Conſtantius, Conſt. M. F. 409
Fl. *Conſtantius,* Illyr. 470
Conſtantinus Magnus. 414 & ſeqq.
Conſtantinus, Conſt. M. F. 409
Conſtantinus, Heracl. F. 587
Conſtantinus Pogonatus. 588
Conſtantinus Porphyrogennetus. 595
Conſt. Porphyr. *Excerpta.* 603. 604
Conſtantinopolis ædificata. 420. direpta. 614. 615. à *Conſtantino I.* condita, ab *ultimo* amiſſa. 601
Conſtantinopolitanum imperium quomodo defecerit? 599
Conſules *ordinarii* pro *ſuffectis.* 389
Conſulum par *eorundem cognominum.* 346
Conſulatum proſcripſit *Juſtinianus.* 579
Cõtroverſiæ *theologicæ* nè dirimantur à *politicis.* 540. 541
Corinthiorum regnum. 114
Corona *frondea* pro *diademate.* 241

Creatio gentilibus cognita. 7. & ſeq.
Crœſi clades. 127
Cyaxares *fictus*. 63
Cyri nomen. 135. genus maternum clarius. 132. inſtitutio. 137. res geſtæ. 142. 143
Cyri pædia *Xenophontis* non eſt *liber* hiſtoricus *moralis*. 63
Cyriades. 367

D.

DAra (non, Clara) urbs. 255
Dares Phrygius. 72
Darii regnum. 148. res geſtæ. 159
Darius *Medum* regnum non ingreſſus. 61. 62
Darius *Nothus*. 161
Darii *Codomanni* genus. 164. luxus. 164. ter victus. 165
Decentius. 431
Decius. 358
Demetrius. 193. 194. *Nicanor*. 196. 198. *Eucærus*. 206. *Poliorcetes*. 239. 248
Deorum *nomina affectandi mos*. 29. 135
Deſiderius. 431
Dictys Cretenſis. 71
Diluvii apud gentiles notitia, atq; ejus indicia. 14. 15
Dio Coccejanus. 73
Diocletianus. 391
Domitianus. 298
Dubitationis formulæ *Hiſtoricorum*. 670. 671

E.

EDucatio regia. 138. 141
Electionis poteſtas popularis. 628. 629
Electorum origo. 652
Epiphanes, Ant. F. 212
Epitomatorum pretium. 6
Eſtheræ maritus. 156
Eumenes I. 242. Eum. II. 244
Excerpta *Peireſciana*. 603
Expeditio ſacra in *Palæſtinam*. 689. impeditur à Greg. IX. Papa. 691. & Innocentio IV. 692

F.

FAmes dira. 146
Familiaritas Principum. 529
Fato fruſtrà obnitimur. 58
Ferdinandus I. 710. *Ferdin. II*. 713. *Ferdin. III*. 715. *Ferdin. IV*. 718
Filii Dei. 22
Firmius. 389
Florianus. 386
Forma muliebris vincens omnia. 523. 524

Formæ-

Formarum *diverſitas* in *numis* unde? 524. 525

Fortuna meretriculæ ſimilis. 572

Francorum gens præclara. 594 unde ſic dicta? 595

Fridericus Ahenobarbus. 660 ejus collum Alexander Papa num calcaverit? 665. usq; ad 689.

Fridericus II. Magnus. 704

Fridericus III. 706

Fridericus Auſtrius, al. *Pulcher*. 700

Frugalitas *Juliani*. 338

G.

G*Alba*. 288

Gallienus. 368

Gallos viciſſe, magnum erat. 243

Generis humilitas. 213

Gentilium *notitia* hiſtoriæ *antediluviana*. 8

Germania pro metropoli inter Thraciam & Illyricum. 576

Germanica lingua in Taurica Cherſoneſo. 18

Germanorum origo. 12

Gladio Martis uſus Attila. 474

Glycerius. 493

Gomeri propago. 17

Gordiani, pater & filius. 352

Gordianus, nepos. 354

Gothicum bellum. 566

Grammaticus quis Imp. factus? 334

Græca fide mercari. 83

Græci quando literis uſi? 82

Fl. Gratianus. 445

Gregorius IX. Papa qualis? 691

H.

H*Adrianus*. 306. & ſeqq. initium ejus. 320

Hannibalianus. 428

Hæreticorum *ignominia* ſingularis. 536

Hæreticos *quomodo* tractarit *Juſtinianus*? 555

Helenæ genus. 113

Heliogabalus. 349

Henricus I. 644. *Henr. II.* 652. *Henr. III.* 654. *Henr. IV.* 655. *Henr. V.* 657. *Henr. VI.* 689. *Henr. VII.* 699

Heracleonas. 587

Heraclidarum dynaſtia. 113

Heraclius. 586

Hiempſal. 265

Hieroſolymæ inſtauratio. 158

Hildebrandi elogiū. 655. 656

Hiſtoriæ diviſio. 2. 3

Hiſtoriæ *univerſalis* Scriptores. 3.4
Hiſtoriæ *pragmaticæ* difficultas. 5
Hiſtoriæ *antediluvianæ* notitia inter gentes. 8. & ſeqq.
Honorius. 457
Humanitas admiranda Principum. 529. 531

I.

IGnominiæ genus mirificum. 536
Ilium quomodo conditũ? 66
Ilus. 68
Imperatorum ab *Irene* ad *Conſtantinum Palæologum* ſeries. 601. usq; ad 614
Imperatorum poteſtas in *Pontifices.* 649. 650. 651. 661. 692. 701
Indiges & Deus & Pater. 69
Ingenuus. 367
Ingelheym num Caroli M. patria? 597
Innocentius IV. Papa pulſus Italia. 692
Inſtitutio multum poteſt. 137
Johannes Tyrannus. 498
Johannes VIII. Papa, *felix puerpera.* 634. 635. cur hæc hiſtoria ſæpè omiſſa? 679
Jonas Propheta *ad quem Regum* venerit? 49
Jovianus. 439. defenditur. 441
Jotapianus. 357
Judæi in *Ægyptum* abducti. 216. eorum hoſtes *Ptol. Philip.* 220. & *Phyſcon.* 227. nec non *Soter Lathurus.* 229. 231
Judæi *aquilam* in ſignis Rom. abominati. 311
Judæorum figmentum de *ingenio* ac *morte Titi.* 296. 298
Judæus *Carolum Calvum* venenata potione peremit. 637
Jugurtha. 264
Julia gens *Venere* orta. 91. 92. vera origo. 96
Did. *Julianus.* 336
Julianus Apoſt. 436
Julius Cæſar. 271
Juſtinus I. 504
Juſtinus II. 580
Juſtiniani I. vita, conjugium, res geſtæ, mores &c. 514. usq; ad 579
Juſtinianus II. 589
Juſtitiæ ſtudium in Principe. 563

L. Lace-

L.

LAcedæmoniorum regnũ. 113. Reges duo. 114
Largitiones multum efficiunt. 549
Laurentius non paſſus ſub *Decio*. 359
Lauretanum cubiculum cur fabuloſum? 678
Leges Juſtin. non pro beneficio agnoſcit Lipſius. 561
Leges in gratiam ſequioris ſexus. 520
Fl. *Leo*. 491. *Junior*. 493. *Iſaurus*. 591. *Porphyrogennetus*. 592
LEOPOLDUS. 719. 720
Licinius. 407
Licinianus. 361
Lignum polientis mors. 147
Longa alba. 96
Lotharius, Lud. Pii F. 633
Lotharius, Gebh. F. 658. ejus natale ſolum. 658
Ludovicus I. 632. *Ludov. II*. 636. *Ludov. III*. Balbus. 642. *Ludov. IV*. 700
Ludovicus, *Germaniæ Rex* tantùm. 642
Lupa Romuli ac Remi. 99
Lurconis ſtratagema. 333
Luterloch, patria Lotharii. 658
Lydiæ regnum. 118. Reges. 127
Lyſimachus. 248. 249

M.

MAcedoniæ Regum ſucceſſio. 175. & ſeqq.
Macedoniæ regnum quis occuparit? 252
Macrinus. 374
Magi fraus & cædes. 147. 148
Magnentius. 431
Magogi poſteritas. 29. 30
Majorianus. 492
Male feriatus. 639
Malferito. ibid.
Manethonis ſomnia. 130
Manichæis faventes corrumpere hiſtorias. 509. 510
Marcianus. 489
Marcius. 355
Marcomannicum bellum. 328
Marcus, Philoſophus. 325
Marcus, Baſiliſci F. 495
Marinus. 357
Martis gladio uſus *Attila*. 474
Maſaniſſæ regnum. 262
Mater patriæ, Livia. 521
Matthias. 712
Mauritius. 583
Maxentius. 405
Maximianus Hercul. 391. 392
Gal. Val. *Maximianus*. 403

Maximil. I. 707. 708. *Maximil. II.* 711
Maximinus & *Maximus*. 351
Gal. Val. *Maximinus*. 403
Maximus & *Balbinus*. 353
Petr. *Maximus*. 490
Megaſthenes, non *Metaſthenes*. 50
Micipſa. 264
Militiæ decus, cognomẽ. 706
Miniſtrorum peccata Principi ne ſint fraudi. 535
Mirabilia mundi, cognomen. 705
Mithridates M. 257
Mizraim, Ægyptiorum pater. 129
MONARCHIARUM conditores *veram Dei cognitionem habuere*. 184
Monaſterium proſtitutarum recipiendarum. 554

N.

NAbuchodonoſori ſucceſſores. 60. & ſeqq.
Narſes. 577. *dictum* ejus *acutum*. 581
Narſetes *duo*. 585
Natalitium munus triſte. 227
Nazarenus, quo ſenſu Chriſtus? 303
Jul. *Nepos*. 495
Nepotianus. 432
Nero. 286
Nerva. 302. initium ejus. 318
Nimrodus quare *venator*? 25. 26
Ninus quando regnare cœperit? 33
Ninyas. 41
Noah, id eſt, *Prometheus*. 16. 17
Nobilitatis affectandæ Impp. vanitas. 339
Nominis ſui fama abutentes. 424
Nomina *barbara* reſpuebant Principes. 506. 518
Nomina *Deorum affectandi* mos. 29. 135. 136
Nomina *duo* Regum *Orientalium*. 63. 257
Nominum exacta *cognitio* ad tractandam hiſtoriã. 404
Noriberga obſeſſa. 658
Noribergenſium & Alberti Brandenb. bellum. 707
Novem viæ, urbs Thraciæ. 106
Numerus ſocietatis *totus*, licet *uno excepto*. 258
Numerianus. 390

O.

OCtavius per adoptionem *Octavianus*. 137

Octaviani *Auguſti* præclara educatio. 138. 139
Ochus. 161
Odenatus. 368
Olybrius. 493
Onkelos, paraphraſtes Chaldæus, quis? 20. 21
Orodes. 258
Otho, Imp. Rom. 290
Otho I. 645. *Otho II.* 650. *Otho III.* 651. *Otho IV.* Imp. Rom. 690

P.

PAcem dicere quando non licuerit? 546
Palæologorum reliquiæ. 614
Palladium quando delapſum cœlo? 68
Parricidia Romanorum defenſa. 480. & ſeqq.
Parthicum bellum. 327
Parthicum regnum. 252. ejus *epocha duplex*. 253
Pax *Oſnabruccenſis* ac *Noribergenſis*. 717
Pedibus Pontificum advolvi haud rarum. 680. 681
Pellaca, non eſt nomen proprium. 162
Perſarũ origo. 134. Reges. 159
Perſeus. 251. *Perſeo* oriũdi Reges *Macedonũ* & *Perſarũ*. 171
Perſici regni ruina. 164. & ſeqq.
Perſicum bellum. 574
Perſis *tributum* indixit *Darius*. 149
Pertinax. 334
Pfaffenkaiſer. 702
Philetærus, Aſiatici regni conditor. 241
Philippus, *Grypi F.* 206
Philippus *Macedo*. 251
Philippus *Arabs*, non fuit Chriſtianus. 356
Sat. Philippus, *Arabis F.* 357
Philippus, *Henr. F.* 690
Philoſophi cognomen. 323
Phocas. 584
Phraates. 257
Pictonum licentia. 687. 688
Pipini ſtemma. 596
Polybianæ hiſtoriæ commendatio. 4
Ponticum regnum. 261
Pontifex *probatus ab Imp.* legitimus eſt. 647. *dejiciebatur ab Imp.* 649
Populus eligebat Impp. & Reges. 628. 629
Porcus ſupra portam Hieroſol. 311
Potentes, quinam? 21
Præſidum avaritia. 535

Prexaſpis filius *ſagitta traje-ctus* à Cambyſe. 147
Priamus cum ſua ſobole nu-meroſa. 69.70
Priapatius Arſaces. 256
Probus. 387
Procopius, fautor Manichæo-rum. 510.512.534.557.558. 563
Proculus. 389
Prodigia ſub *Valentiniano.* 444
Prometheus, id eſt, *Noah.* 16. 17
Propala, ſive *Propola*, quid? 195
Ptolemæus I. 212. hujus genus. 213. *Soter.* 215. *Magnus.* 216. *Philadelphus.* 217. *Evergetes.* 218. *Philopator*, alias, *Gallus.* 219. *Epiphanes.* 220. *Philometor.* 221. *cæſus* ab Antiocho. 225 *Phyſcon.* 225. omnium *truculentiſſimus.* 225. 226. *Soter.* 228. *Lathurus.* 229. *Auletes.* 231. *Alexander.* 231. 232. 233. *Nothus.* 235. *Auletes* & *Dionyſius.* 236. *Ceraunus.* 249. *Meliagrus.* ib.
Pyrrhus. 248

Q.

Quinctillus. 382

R.

Reges *Attici.* 100. & ſeqq.
Reges ſemper *duo Lacedamoniorum.* 114
REGES, & res, *Romanorum.* 267
Richardus, Angl. R. & Imp. 694. 695
Roma *leporis curſu* capta. 641
Romæ *natalis.* 33
Romæ ſtatus miſerrimus. 567
Romanorum regnum *in Italia* quando defecerit? 696
Romanus quis dictus? 303
M. Aur. Romulus. 406
Rudolphus I. 695. facta incogniti hiſtoriola. 530
Rudolphus II. 712
Rupertus, Palatinus. 704

S.

Sanctum Sanctorum ingredi vult Ptol. Philop. 220
Saturninus. 389
Saturnus. 11
Sardanapalli luxus. 48
Scaliger memoria fretus. 418
Scriptorum *commune vitium.* 72
Σκυ(?)αλισμός. 61
Seleucus. 185. *Callinicus.* 187.

Ceraunus. 187. *Philopator*. 192
Seleucus, Ant. Grypi F. 204. 205
Semiramis. 37. 39. res geſtę. 37
Septimania, ſeptem provinciarum imperium. 461
Seſoſtris. 34. 35
Sethi poſteritas *cur diluvio* perierit? 22. 23
L. Sept. *Severus*. 385
Val. *Severus*. 405
Fl. Lib. *Severus*. 492
Siciliæ Rex, Conr. IV. 693
Sicyoniorum regnum. 112
Sigismundus. 705
Sogdianus. 160
Soror *una in duorum* fratrum matrimonio. 227
Stilico. 457
Subulcus fit Imp. 506.
Succeſſionis lis inter duos *Henr. Auc.* filios. 151. 152
Syncellus exſcriptor *Dexippi* incurioſus. 174
Syriæ Regum ſucceſſio. 185

T.

T*Acitus*, Imp. 384
Tacitus, Hiſtoricus qualis? 281. & ſeqq. ejus ὑποσχεσμός. 296
Templa *Chriſtianis* num potuerit *Adrianus*? 310
Templa *Græcorum* cur perdiderit *Xerxes*? 154
Templi *Hieroſolymitani* inſtauratio. 162. auſus eſt & *Julianus*. 438
Templum *Dianæ* qui *Antiochus* ſpoliarit? 190
Templum *Sophiæ*. 534
Templum *Veneris*. 94
Teridates. 256
Themiſtoclis fuga. 155
Theodora, quæ & qualis? 520
Theodorias & *Theodoropolis*. 521
Theodoricus Rex. 907
Theodoſius. 450. Junior. 467. Adramyt. 591
Cl. *Tiberius*. 279
Tiberius Conſt. 582
Tigranes. 259
Titus. 296
Totilas. 566. 567
Trajanus. 304. initium ejus. 319. quomodo compellarit *Dionem Coccejanum* in curru triumphali? 73
SS. TRINITATIS indicium in *Giapan*. 11
Triumviratus. 274
Troja *terræmotus* & *inundationes* paſſa. 89

Trojæ *excidium* in *dubium* vocatur. 73
Τροῖαν ἑλεῖν, prov. 71
Trojanam originem *affectantes*. 81. 339
Trojanorum origo. 65
Trojanorum Regum ſucceſſio. 68. & ſeqq.
Tros. 68
Tuiſto num *Aſcenas?* 12
Turcarum origo. 31. initia. 616
Turcicorum IMPP. ſeries. 617. 626
Tympanum, mortis genus. 61
TYRANNI XXX. *ſub Gallieno*. 369. 379. Tyr. VII. *ſub Diocletiano*. 393. 395. alii III. *ſub Maximiano, &c.* 412. 413. alii IV. *ſub Valentiniano, &c.* 445. 447. alii IV. *ſub Theodoſio*. 453. 455. alii XVI. *ſub Honorio*. 458. 467. *Johannes*. 488. alii IX. *poſt Auguſtulum*. 498. 502. alii IV. *ſub Anaſtaſio*. 503. *Leontius* & *Abſimarus*. 590

V.

FL. *Valens*. 443
Fl. *Valentinianus*. ib.
Valentinianus Junior. 448
Valentinianus III. 473
Valerianus. 365
Vectigal *Alamannicum*. 599
Veneris *fabulæ*. 40. 41. *templum*. 94
Veſpaſianus. 294
Veſtem plebejam cur induat Princeps? 530
Veſuvii incendium. 296
Vetranio. 431. 434
Vexoris ætas. 35
Vibices, i.e. mancipia. 241
Vicariatus nuperrimus. 719
Vigilius malè habitus. 561
Vitam ſempiternam quo ſenſu jactarit *Ptolemæus?* 217
Vitellius. 292
Ulyſſe prudentior. 109
Ungari à Magogo. 30
Unſtrut, Caroli M. patria. 598
Voluſianus. 362
Vulcanus eſt *Tubalcain*. 14
Uxorem devorans Camblites. 121
Uxores *formoſæ*. 523
Uxores *laudare aliis*, periculoſum. 124. 125
Uxores *magnorum* ſæpè *virorum carcinomata*. 522

W.

W*Enceslaus*. 704
Wilhelmus. 694. 695

X. Xeno-

X.

XEnophontis *Cyripædia* quale ſcriptum? 63
Xerxes, *Balæus.* 44
Xerxis & *Artabarzanis* de *ſucceſſione* lis. 151. 152. *illius* exercitus numeroſiſſimus. 152. inſolentia. 152. infelix *ad Plataas* pugna. 153. res geſtæ. 153. 154
Xerxes II. 160. 161

Z.

ZAmes. 42. 43
Ζάν. 43
Zeno. 494
Zorobabelis *longævitas.* 158

ERRATA.

In *tranſitu* quaſi *ſtrictim* adſpeximus graviores quosdam errores; accurato *modeſti Lectoris* judicio reliquos permittentes.

Pro	*Lege*
aſtus pag. 6.	aliis.
Aſſenez. p. 12.	Aſcenez.
quæ p. 17.	quos.
Ratiocinarii p. 26.	Rationarii.
Hygnus p. 106.	Hyginus.
coæaneus p. 158.	coætaneus.
Macedonicarum p. 176.	Macedonicorum.
novarchi p. 183.	navarchi.
metrachoniſmum p. 243.	metachroniſmum.
Marici p. 326.	Marcii.
Reineſius lib. XXIX. Proinde &c. p. 336.	Reineſius; cujus proinde &c.
Sub ea p. 444.	Sub eo.
vollum p. 472.	collum.
Auguſtum p. 528.	Auguſtus.

1103
528